HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

A U C T O R E

GASPARE SACCARELLO

T A U R I N E N S I

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS UNDECIMUS

AB ANNO JESU CHRISTI 516. USQUE AD AN. 542.



ROMÆ MDCCLXXXIV.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

APPROBATIONES.

Jubente Reverendiſſimo P. Thoma Mamachio, S. P. A. Magiſtro, Librum, cui titulus *Hiſtoria Eccleſiaſtica per annos digeſta &c. Auctore Gaſpare Saccarello Congregat. Oratorii Rom. presbytero, Tom. XI.*, legi perquam diligenter; atque typis vulgari poſſe cenſeo.

Romæ pridie Idus Decembris 1783.

Joſeph Can: Regis Vaticanæ Biblioth. Præfectus.

Quum undecimum hoc Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ volumen Cl. P. Gaſparis Saccarelli Congr. Oratorii Presb. nihil contineat contra fidem, aut bonos mores, quod ad me præcipue pertinere arbitror, publica luce donatum, præcedentibus voluminibus ſociari dignum cenſeo.

Joſeph Theoli S. Th. Doctor.

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus Antonius Marcucci ab I. C. Patr. Cp., Epiſc. Montis-Alti ac Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſt. Magiſter.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 516. HORMISDÆ PAPÆ 3.
ANASTASII IMP. 26.
THEODORICI REGIS 24.

Historiæ Ecclesiasticæ seriem prosequentes, volumini huic undecimo initium dabit annus 516., Petri Consulatu notatus absque collega, quem pietate, & doctrina fulsisse, crebræ ad eum ab Ennodio Ticinensi datæ epistolæ testantur; eoque anno Anastasius Imperator Apostolicæ Sedis legatos Romam dimisit, unaque cum iis honorificentissimam legationem ad Hormisdam Pontificem misit, electis ad id clarissimis viris, Theopompo Comite Domesticorum, & Severiano comite sacri Concistorii, quibus litteras ad Pontificem deferendas dedit. Hæc autem omnia (ut exitus probabit) per simulationem agebat, ut populorum animos sibi conciliaret, quos Fidei causa sibi infensos esse sæpius expertus fuerat. Ad Hormisdam itaque Pontificem, hæc Anastasius scripsit. *Omnia, quæ benignitas conceperit animorum, dulci ambitu, & festi-*

JESU CHR. AN. 516. Anastasii Imp. epist. ad Hormisdam.

Con. II. tom. 4. pag. 1436.

JESU CHR. AN. 516. *festinatione laudabili propagantur, nec sibi requiem putat posse præstari, donec ad effectum saluberrimum desiderata perduxerint. Et tunc quædam ipsius festinationis fit requies, dum contigerit spes votorum. Quod in præsenti nos certa ratione pertulimus, donec cælestis favor, & nostræ petitioni auditum, & vestræ promissionis serenum donet effectum. Ergo quia vel maxima itineris longitudo, & ultra solitum morem hiemalis asperitas, quod optabamus, nobis fecit incertum, interim intra animos desiderata compressimus, beneficia divina captantes, quæ bonæ exitus rei sua interpositione decidunt. Agnoscentes igitur, quod ejus primam nobis gratiam condonavit, ut missa ad nos Legatio ad beatitudinem tuam feliciter remearet, ad secundam processimus, ut dirigeretur a nobis promissa legatio, per quam & commemoratio fieret eorum, quæ cum sanctissimis viris longa deliberatione contulimus, & inde, Deo auspice, tam nostræ petitionis, quam vestræ gratiæ ad integrum lux serena resplendeat, & toti Orbi gaudia expectata donentur. Commemorationis itaque loco, & salutationis honorem reddendo, Theopompum virum illustrem, comitem domesticorum, agentem nostri sacri palatii scholam, fidelem nobis, & pro suis moribus, vel pro ipsa affectione genitali nostræ provinciæ: sed & Severianum virum clarissimum comitem sacri nostri concistorii ad vestram direximus sanctitatem, qui ordinem litterarum propria voce testantes, ad celeritatem expectata provocent, quæ etiam cælesti misericordiæ credimus placuisse. Data 17. Kal. Augustas Constantinopoli, Petro viro clarissimo Consule.*

Alia Anastasii epist. ad Hormisdam.

2. Hactenus ad Hormisdam Anastasius, qui etiam, ut omnem hæreseos suspicionem averteret, epistolæ ad Hormisdam datæ, quam Apostolicæ Sedis legatis tradidit, fidei professionem inseruit, qua profitebatur se non solum Nestorium, & Eutychetem, eorumque dogmata damnare, sed etiam synodum Chalcedonensem recipere, ac venerari; unde ajebat: *Gratias omnipotenti Deo referimus, quod Sanctitas vestra, disciplinis cælestibus instituta, sicut poposcimus, legatos fidei Ennodium & Fortunatum venerabiles Episcopos, sed etiam viros Religiosos Venantium Presbyterum, Vitalem Diaconum, & Hilarum Notarium, quales poscebat causæ sublimitas, destinavit; qui negotii magnitudinem implere possent, ecclesiastici luce sermonis, quique operante Deo, omnia subtiliter requirentes, quæ ad rectam & veram Christianorum pertinent fidem, & ipsi sicut*

ficut decuit, declararunt, & a nobis, ficut oportuit, agnoverunt: quia una eſt Eccleſia Dei, Apoſtolicis ubique formata doctrinis &c. & inſerta fidei profeſſione, qua ſe Orthodoxæ fidei hactenus ſectatorem protectoremque fuiſſe teſtabatur; de Chalcedonenſis ſynodi auctoritate nominatim hæc addidit: *Miramur autem quamobrem de beatiſſimis patribus, qui in Chalcedone convenerunt, aliqua nobis ſcribere voluiſtis, dum ea, quæ ab his fuerant conſtituta, prædeceſſorum noſtrorum multiplicibus decretis confirmata monſtrantur. Et cum nec alia Synodus facta fuerit, per quam, quæ ab illa diſpoſita ſunt, redderentur infirma, nec lex a nobis proceſſerit, cujus novitate ſtatuta præfati epiſcopalis concilii ſolverentur, maxime cum ipſa ſynodus dixerit anathema eſſe debere, quicumque aliam fidem, quam apud Nicæam trecenti decem & octo venerabiles Patres conſtituerunt, docere vel immutare voluerit, ad hoc etiam eos, quos ſuperius comprehendimus, ideſt Neſtorium, & Eutychetem damnaverunt, quos nos quoque damnamus. Nam pro hac cauſa atteſtantur nobis etiam divinæ Litteræ ad Alexandriam, non ſemel, ſed multotiens deſtinatæ. Per quas objurgavimus, cur ſibi non arbitrentur poſſe ſufficere directam fidei doctrinam, recedentes ab anathemate Chalcedonenſis Synodi, vel venerandæ memoriæ Leonis Epiſcopi.* De Acacii autem nomine e Dypticis eradendo, ſe quidem ad id jubendum, propter unitatem Eccleſiarum paratum eſſe ajebat, niſi alia venerabilibus Eccleſiis ſententia fuiſſet, quod etiam ſine multa effuſione humani ſanguinis perficere non poterat; unde concilio hæc reſervanda eſſe ajebat. Hactenus Anaſtaſii litteræ, quibus fallere quemquam potuiſſet; niſi ex iis, quæ ſupra diximus, & dicentur inferius, qualis eſſet vulpis illius animus, perſpicue monſtraretur.

JESU CHR. AN. 516.

3. Epiſtola altera ad Romanum Senatum data, conſcriptos Patres rogavit, ut apud Pontificem, & apud Regem ſuis officiis efficerent, ut felicem exitum legatio ejus ſortiretur, atque his verbis exorditur. *Si vos liberique veſtri valetis, bene eſt. Ego exercituſque meus valemus. Quoties utriſque publicis rebus proſpera voluntate conſulitur, non ſolum exhortatio, ſed poſtulatio quoque creditur conveniens, ut duabus in unum concurrentibus cauſis animus incitatus, quod felix & bonum partibus ſit, valeat adipiſci. Si etenim Chriſtus Deus & Dominus noſter, & per mitiſſimam voluntatem, & quamdam diſpenſationis petitionem nos revocavit ad ſe, & redemptos proprio ſangui-*

Anaſtaſii epiſtola ad Senatum Romanum. *Tom.* 4. *pag.* 1436.

JESU CHR. AN.516. *guine libertati restituit, ut salutem mortalitati præstaret, non videtur absurdum, tam apud gloriosissimum regem, quam apud beatissimum Papam almæ urbis Romæ, patres conscriptos imperiali petitioni conjunctos, ea sperare, quæ & nobis, & sibi, Deo annuente, in commune proficiant; hoc est, ne fugitivorum audiant concinnatos sermones, mendacio solo compositos, sed satisfactione suscepta, quam & veritas, & legatorum, qui directi sunt, inquisitio patefecit, ad desideratam pacem acceptabili Deo voluptate concurrant. Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie, multam partem reipublicæ vestram vindicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum cœtum vestrum solerti studio, ac provido labore contendere; tam apud excelsum regem, cui regendi vos potestas & solicitudo commissa est, quam apud venerabilem Papam, cui intercedendi apud Deum facultas est præstita, ut in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere, in qua utriusque Reipublicæ membra sperata sanitate salventur. Implebitis enim veterem consuetudinem, & nimis consilio vestro notissimam, si ea, quæ publicæ utilitati conveniunt, tractando, sperando, postulando, effectum adipisci Deo auspice feceritis. Data V. Kalendas Augusti, Chalcedone, Petro viro Clarissimo Consule.*

Hormisdæ epistola ad Anastasium. *Tom. 4. pag. 1436.*

4. Acceptis Anastasii Imperatoris epistolis, Hormisdas iterum ad eum rescribens, quod catholicæ Fidei tuendæ Imperator studeret; ac tantam pro reintegranda ecclesiarum concordia, & communione sollicitudinem gereret, quammaximas gratias agit, ac ut opere, quæ verbis promiserat, impleret, hortatus est; nec se stimulis ad ea, quæ ecclesiæ utilitatem, vel pacem spectabant, indigere adnotat; unde post plurima addit. Quid opus est apud illum preces adhibere, qui supplicat? Vos Senatui urbis Romæ, ut me ad pacem hortaretur, injungitis. Ego non solum cum his ad vos supplicationis verba converto, sed vestigiis vestris pro universali advolor Ecclesia. Audite me pro Christo legatione fungentem: non patiamini ab improbis canibus Christi membra discerpi: quæ insanabilia videtis, abscindite, & quæ ægra, curate. Cur quæ sana sunt, invalidis conjuncta quatiuntur? Servate ordinem, quem unitas ipsa præfinit, & pacem Mundo, quam poscitis, reddite. Hæc & sub præsenti occasione deposco, & rursum ac sæpius supplicare curabo, sperans importunitatem hanc meam, & Deo esse placituram, & apud vos quoque per assiduas petitiones, quo-

quoniam id nos Dominus docuit, vacuam non futuram. Data Romæ &c.

Jesu Chr. an. 516.

Vitalianus Præfectura militum exuitur.

5. At non diu in ea, quam de Imperatore conceperat, opinione fuit Hormisdas, nam legatos ab Imperatore missos, Eutychiana labe pollutos invenit, statimque, re infecta, dimisit, ut ex epistola ad Avitum anno sequenti ab Hormisda data compertum est. Anastasius vero Imperator, cum jam sibi conciliatos populorum animos videret, Vitalianum, quem hactenus rebellem expertus fuerat, militum præfectura exuit, atque ejus loco Ruffinum militum magistrum creavit, quem sibi fidissimum esse sciebat, Vitalianus vero ad tranquilliorem vitam transiit, ut scribit Nicephorus.

Marcell. in chron. Niceph. lib. 16. cap. 38.

Epistola synodica Episcoporum Epiri ad Hormisdam.

6. Illyricianos Episcopos Apostolicæ sedis communionem expetiisse anno superiori diximus; hoc autem anno cum in unum convenissent, ut in locum Alcysonis Nicopolitani Episcopi, & Illyrici Primatis Joannem ordinarent, litteris suis Hormisdam Papam rogarunt, ut quam prius ab ejusdem legatis Ennodio, & Fortunato Episcopo, Venantio Presbytero Vitali Diacono, & Hilaro Notario CPoli expetierant communionem obtinuerantque, eamdem ipse confirmaret, ac ut Joannem in locum Alcysonis CPoli demortui ordinatum, in suam gratiam & communionem reciperet. Alcysonem vero cum aliis Epiri, & Illyrici Episcopis, CPolim ab Anastasio vocatos, ibique catholicæ Fidei causa vexatos fuisse narrat Marcellinus in Chronico his verbis: *Petro solo Coss. Anastasius Laurentium Lycnidensem, Domnionem Sardicensem, Alcysonem Nicopolitanum, Gajanum Naissitanum, & Evangelum, aliosque Sacerdotes suis Anastasius præsentari jussit obtutibus. Alcissus, & Gajanus Episcopi apud Byzantium vita defuncti sunt, unoque sepulchro reconditi. Domnione, & Evangelo ad sedes proprias, ob metum Illyriciani Catholici militis, extemplo remissis, solus Laurentius Anastasium Imp. in Palatio pro fide Catholica sæpe convincens, apud Comitatum, ac si in exilio relegatus, retentusque est, mobiliorque deinde corpore, quam Constantinopolim advenerat, effectus. Nam septimo infirmitatis suæ anno idem Laurentius fide sua, sed Christi gratia in atrio Cosmæ & Damiani sanatus est, pedibusque sistere propriis, gressibusque meruit confirmari, suæque dein patriæ incolumis reddi, ubi major octogenario requiescit.* Alcyson vir erat magni nominis, ac æstimationis, ad quem de Flaviano, & Macedonio, Palæstinæ

Marcell. in chronico.

JESU CHR. AN.516. stinæ monachi litteras dederant, quas Evagrius historiæ suæ inseruit, easque supra recitavimus. Eo mortuo, Joannes Nicopoli, Antistes ejus loco est ordinatus, cujus virtutes prædicant Episcopi Epiri in epistola ad Hormisdam mox citata. Sed privatas etiam Joannes Hormisdæ epistolas dedit, quibus de ordinatione sua certiorem reddidit, ac ait, *ad vestras orationes concurro; ut juxta consuetudinem Apostolicæ Sedis vestræ, quæ cunctarum ecclesiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignemini, secundum antiquam spiritualem dispositionem vestram &c.* Deinde post aliqua. *Votum mihi est, vestram sequi doctrinam, sicut inter sanctos Prædecessor meus Alcyson extiterat: & anathematizo Dioscorum, ac Timotheum appellatione Ælurum, & Petrum horum successorem; & Petri communione cum his permixtum Acacium, & Petrum qui Antiochenam perturbavit ecclesiam, sequens in omnibus synodicas & apostolicas epistolas scriptas a vero Præsule Romanæ Ecclesiæ Leone. Rogo autem plenius atque perfectius, quæ servari oportet, commonete, & a quibus abstinere debeam, vestris custodibus litteris intimate; ut si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi, sive egi apostolicis doctrinis vestris incongruum, vestris imbutus sermonibus, possim hæreticorum absistere machinis. Hoc enim facientes, sanctissime, firmiores nostræ sanctæ Synodi invenietis Episcopos, & bonorum actuum clerum, ac populum confirmabitis, tanquam familiarem vobis reddentes sanctam Nicopolitanorum Ecclesiam. Venerabilem vero Diaconum Ruffinum ad tam necessariam causam directam, pacifice, sicut vos decet, rogati suscipite; & fiduciam tribuentes, celerem ejus recursum ad nos præstare dignemini, portantem, spiritualia atque apostolica constituta. Cuncta, sanctissime, omnem in Christo fraternitatem vestræ Beatitudinis ego & qui mecum sunt, plurimum salutamus in Domino.*

Hormisdæ ad Joannem, & ad Episc. Epiri epist.

7. Cum has accepisset epistolas Hormisdas, Joanni, & Episcopis Epiri rescribens, se eorum fide, obedientia, ac erga Apostolicam Sedem veneratione quammaxime delectari testatus est, & ut in inceptis perseveraret, hortatus est, ut ibidem videri potest, & in epistola altera, quam Epiri Episcopis communem esse voluit, quam etiam in eorum synodo legi præcepit, idem retractans argumentum, ut non solum Nestorium cum Eutychete, eorumque hæresim vitarent, admonuit; sed ut ceteros quoque eorum perfidia, vel commu-

munione pollutos ab eorum communione, una cum Acacio repellerent, jussit: iisque libellum, cui singuli subscribere debebant, ut Romanæ ecclesiæ communionem promereri possent, misit per Ruffinum Diaconum, a quo eorum epistolas ipse acceperat. *Unde libellum cum litteris misimus, cui vos subscriptiones inserite, ut fides vestra, quam directa per Ruffinum Diaconum scripta testantur, apud nos fiat hujus quoque repetitionis adjectione manifestior. Dat. 13. Kal. Decemb. Petro viro Clarissimo Consule.*

Libellus fidei in Oriente ab Hormisda missus.

Concil. tom. 4. pag. 1444.

8. Porro libellus, qui his litteris jungebatur, idem esse censetur, quem 15. Kal. Aprilis anno sequenti dedit in hunc modum. *Prima salus est, regulam rectæ fidei custodire, & a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c. *hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe & fide separari minime cupientes, & Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreticos; præcipue Nestorium hæreticum, qui quodam Constantinopolitanæ fuit urbis Episcopus, damnatus in concilio Ephesino a Cælestino Papa urbis Romæ, & a S. Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite. Una cum ipso anathematizantes Eutychetem, & Dioscorum Alexandrinum, in sancta Synodo, quam sequimur & amplectimur, Chalcedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Ælurum cognomento, & discipulum quoque ejus, atque sequacem Petrum, vel Acacium, qui in eorum communionis societate permansit; quia quorum se communioni miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum sequacibus suis, & omnium suprascriptorum. Quapropter suscipimus & approbamus omnes epistolas Leonis Papæ, universas quas de Religione Christiana conscripsit. Unde, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & verax Christianæ religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione Ecclesiæ catholicæ, idest, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professio-*

fessio-

JESU CHR. AN.516. *fessionem meam manu propria subscripsi, & tibi Hormisdæ Sancto, & venerabili Papæ Urbis Romæ obtuli. Data XV. Kal. Aprilis, Agapito viro clarissimo Consule.*

Commonitorium legato ab Hormisda datum.

9. His addidit Hormisdas commonitorium, quod Polioni Subdiacono, quem in Epirum mittebat, tradidit his verbis conceptum: *Cum Dei adjutorio, & orationibus SS. Apostolorum Petri, & Pauli veniens Nicopolim, sic debeas agere, ut postquam Episcopus Nicopolitanus acceperit litteras nostras, episcopos, quos in sua parœcia habet, colligat, & faciat subscribere libellum, quem in epistolis suis habet annexum. Si tamen dixerit prædictus Episcopus esse laboriosum Episcopos colligere, dirigat tecum personas per singulos Episcopos, ut te præsente subscribant prædictum libellum. Sic tamen cum Dei misericordia facere debes; ut epistolæ, quæ a nobis missæ sunt, publice legantur; aut si videris præ timore hoc Episcopos facere nolle, saltem Clericis suis hæc relegant: quæ tamen in ipsorum dimitte potestatem, & scripta Episcoporum, & illius Episcopi, hoc est Joannis Metropolitani, ad nos cum Dei misericordia reporta. Post hoc factum nullas moras te volumus ibidem facere, propter insidias, & calliditates inimicorum.*

Dorotheus Thessalon. Episcopus cum TimotheoCP communicat.

10. Non solum Epiri Episcopi, sed Illyriciani etiam cum Dorotheo Thessalonicensi Metropolitano, ad Hormisdæ communionem transierant, ejusque auxilium petierant, ut anno superiori diximus, dum epistolam Dorothei ad Hormisdam recitavimus, unde ad Cœsarium Hormisdas scripserat, Dardaniæ, & Illyrici Episcopos, hæreticorum communione repudiata, suam expetiisse, quod anno sequenti ad Avitum scribens confirmat. At Dorotheus Illyrici Metropolitanus, qui cum cœteros dignitate præiret, ita exemplo suo, ut in beneceptis perstarent, confirmare debuisset, Imperatoris metu correptus, ad Timothei Constantinopolitani Episcopi communionem rediit, tamquam canis ad vomitum: quapropter Illyriciani Episcopi, *una convenientes, tabulis etiam testibus professi sunt, ab eo velut Metropolita se discedere, missisque Romam tabulis, Romani Pontificis communionem observare polliciti sunt*. Hæc Theophanes anno sæculi Alex. 508., qui Kal. Septem. superioris anni inchoatur. Quare hoc concilium anno superiori aliqui collocant, sed ne eodem tempore Dorotheum Romanæ ecclesiæ communionem expetiisse, atque ab ea recessisse dicamus; hoc potius anno collocamus, si tamen aliquando cele-

Theoph. in croneg. p.139.

Baluzius in collect. concil. Basnag. ann. 515.

lebratum fuit hoc concilium, de quo nullibi mentio fit, nisi apud Theophanem, & Anastasium in chronico. At Hormisdas Papa ad Cæsarium scribens anno 515., Illyricianos Episcopos ubique laudat, nec quidquam de Dorothei Metropolitani prævaricatione adnotat; unde hujus Illyriciani concilii tota fides apud Theophanem est, qui eodem capite de zelo Monachorum Palæstinæ pro Chalcedonensi synodo, eorumque gestis hoc anno hæc refert: *Monachi deserta Palæstinæ loca inhabitantes, divino fervore accensi, quatuor fidei scriptas ediderunt obtestationes; quarum duas quidem ad Imperatorem, ad Provinciæ præfectos unam, & alteram ad Hierosolymorum Episcopum miserunt, palam professi a sancta Chalcedonensi synodo nullatenus se discessuros, neque cum impio Severo communionem habituros, quandoquidem vel ipsi sacris Locis incendio consumptis mortem subire parati forent.*

Synodus Tarraconensis.

9. Ad [illegible]striorem, certioremque synodum transimus, quæ Tarracone in Hispania habita est, *anno sexto Theuderici Regis, Consulatu Petri, sub die octavo idus Novembris, ut in ejus inscriptione legitur*. Synodo interfuere Episcopi decem, quibus præfuit Joannes Tarraconensis. Canones in ea tredecim editi sunt, quorum hæc summa est. 1. Clerici, & Monachi consanguineis, quæ sunt necessaria præbeant, sed cum iis diu non maneant, ad eos visitandos non pergant, nisi probatum ætate testem suum habeant. Qui hæc contempserit, si Clericus loci sui dignitate privetur, si Monachus in cella reclusus, pane, & aqua victitans, pœnitentiæ lamentis incumbat. 2. Clericus negotiationi non vacet, si contra fecerit, deponatur. 3. Clericus, qui pecuniam mutuo dedit de vino, vel frumento, eam accipiat. Si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit, sine augmento accipiat. 4. Episcopus, Presbyter, aut ex Clericis alius, die Dominico judicandis causis non vacet, cæteris diebus id exercere possunt, exceptis criminalibus negotiis. 5. Episcopus, qui a suo Metropolitano non fuerit ordinatus, post duos menses coram eo se sistat, ut sui officii moneatur; si infirmitate aliqua, ne hoc impleat, detinetur, suis litteris Metropolitano indicet. 6. Episcopus a Metropolitano ad synodum vocatus, si venire spreverit, ad synodum usque proximam, Episcoporum provinciæ communione privetur. 7. In Diœcesanis ecclesiis Presbyteri, & Diaconi cum Clericis septimanas observent, idest ut Presbyter

Canones synodi Tarraconensis.

JESU CHR. AN. 516. unam faciat hebdomadam, cui succedat Diaconus, *ita tamen ut omnis clerus die sabbato ad vesperam sit paratus, quo facilius die Dominico cum omnium præsentia solemnitas celebretur. Quia desistente Clero (quod pessimum est) comperimus in basilicis nec luminaria ministrari*. Si quis hæc implere neglexerit, canonicæ disciplinæ subdatur. 8. Singulis annis ab Episcopo ecclesiæ visitentur, si quas derelictas invenerit, *ordinatione ipsius reparetur*. 9. Si quis Lectorum adulteræ mulieri adhœreat, aut relinquat mulierem, aut a Clero habeatur extraneus: idem Judicium esto de Ostiariis. 10. Pro patrociniis impensis Sacerdos, vel Clericus munera non accipiat, nisi impellente pietate in ecclesia offerantur, secus pro fœneratore damnabitur. 11. Monachi ecclesiasticum ministerium non suscipiant, nisi de Abbatis imperio, nec forensia procurent negotia, nisi poscente Monasterii utilitate, ex Abbatis præcepto. 12. Post obitum Episcopi, qui intestatus decessit, rerum ipsius inventarium a Presbyteris & Diaconis fideliter conficiatur. Qui ex iis aliquid tulisse convictus fuerit, restituat universa. 13. A Metropolitanis ad synodum epistolis evocentur, non solum Presbyteri ex Cathedralibus ecclesiis, sed etiam de Diœcesi, quinimmo aliqui etiam ex laicis. Hactenus Tarraconensis synodi canones, ex quorum septimo, in quo diei Dominici festum a sabbato incipiendum decernitur: *Fortasse consuetudo emanavit in totam fere Hispaniam cessandi die sabbato ab omni opere sub horam vespertinam*, inquit Vascus in chronico, qui mos a Judæis ad Christianos translatus est.

Gundebadus Burgundionum Rex obiit.

12. In Galliis autem Petro Consule *Rex Gundobaudus obiit, & levatus est filius ejus Sigismundus*, ait Marius Aventicensis, cui ceteri chronologi subscribunt. Gundebaudus duos filios reliquit, Sigismundum, & Gundemarum, e quibus solus Sigismundus in Paternum Regnum successit. Ut Gundebaudum ad fidem orthodoxam adduceret, multos labores susceperat Avitus Viennensis. *Nam cum eo frequenter de Fide altercans, & Dialogos in præsenti conficiens, & epistolis absenti respondens, plura & clara ingenii sui, & virtutis opera reliquit: qui, ipso Gundebado in sua perfidia perdito, successorem ejus Sigismundum Regem ad fidem Catholicam convertit, in cujus conversione recitavit homiliam in populum sensuum suavitate plenissimam, & verborum compositione dulcissimam*;

ſimam, ait Agobardus. Sigiſmundi exemplum ſequuti ſunt liberi ejus, Sigericus & filia, ut hic homiliæ titulus indicat ab Avito recitatæ: *Homilia dicta in converſione Domini Sigerici poſtridie quam ſoror ipſius ex Ariana hæreſi eſt recepta*. Extat etiam Aviti epiſtola, Sigiſmundi nomine ſcripta ad Anaſtaſium Imperatorem, qua eum de obitu patris ſui certiorem reddit, ſeque eidem commendat his verbis: *Igitur poſt obitum devotiſſimi, fideliſſimique vobis Patris mei, proceris veſtri, cui ad feliciſſimos integra proſperitate ſucceſſus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam, florentemque Rempublicam vobis Orbem regentibus ſciret, voſque Dominos nationum placido receptus ſine derelinqueret; ad hæc intimanda vobiſque commendanda, quia etiam meæ militiæ rudimenta, quæ genitore quidem meo ſuperſtite nutriſtis, ſed magis magiſque poſt eum cumulo ſacræ dignationis urgebitis &c.* Hæc Sigiſmundus ad Anaſtaſium Imperatorem de patris ſui obitu.

JESU CHR. AN. 517. *Agob lib. adverſus legem Gundebadi p. 120. ex edit. Baluzi, Sirmond. tom. 2. pag. 142. Apud Sirmon. epiſt. 84.* Sigiſmundi Regis epiſt. ad Anaſtaſium Imp.

JESU CHRISTI AN. 517. HORMISDÆ PAPÆ 4.
ANASTASII IMP. 27.
THEODORICI REGIS 25.

1. Annus adeſt quingenteſimus decimus ſeptimus, Coſſ. Flavio Anaſtaſio, & Agapyto, quo cum Avitus Viennenſis Epiſcopus per Arelatenſis Eccleſiæ clericos accepiſſet Dardaniæ, & Illyrici Epiſcopos cum Romana eccleſia communionem iniiſſe (hæc ad Cæſerium ſcripſerat Hormiſdas anno ſuperiori,) ac inſtructam a Pontifice ſecundam legationem, vel miſſam Conſtantinopolim, de qua infra, Hormiſdam Pontificem Avitus epiſtolis ſuis adiit, ut de his certiorem ſe redderet; unde ajebat: *Dum religionis ſtatui, & plenis catholicæ Fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis univerſalis eccleſiæ membra commiſſum pervigil cura veſtræ adhortationis informet. Viennenſem Provinciam ſuperiore anno, ſi meminiſſe dignamini, datis ad humilitatem meam litteris viſitaſtis; quæ ad me, ſecundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatenſis Eccleſiæ Clericos pervenerunt; & quidem pleniſſimæ ſolicitudine paſtorali. In quibus nos ſicut per converſionem provinciarum, ideſt Dardaniæ, Illyrici, vel Thraciæ, ad communionem gaudii provocatis; ſic admonicione cautiſſima, ne quid per ignorantiam pervenire poſſit, inſtruit. Eu-*

Aviti Vienn. Epiſc. epiſt. ad Hormiſdam, & Hormiſdæ ad Avitum.

JESU CHR. AN. 517. *tychetis igitur, Nestoriique damnatio, quos jamdudum per beatissimos prædecessores sanctæ sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam jampridem nostram apostolicæ ad nos diligentiæ provisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit & anxios, quod cum pendere nos ad effectum legationis secundo Constantinopolim destinatæ, omni expectationis studio jusseritis, nec quid filius vester sanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrum securus redierit indicastis; & promissionem vestram tanta silentii diuturnitate suspenditis, ut non minus modo prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos*. Falso tamen nuncio Avitum accepisse secundam missam esse in Orientem legationem, quæ redditæ ab Hormisda Papa ad eum litteræ declarant. Porro ad cuncta hæc exploranda a se missos Romam legatos fuisse subdit, per Alexium scilicet Presbyterum, & Venantium Diaconum: *Cum præsentis famulatus pagina destinavi, per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, utrum fervor schismatum præfatorum, qui intra Constantinopolitanam Urbem vitio perniciosæ obstinationis exarserat, cuique quod magis dolendum est, Alexandrinam, vel Antiochenam ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo favente dicentibus, digna fuerit correctione restinctus: aut si reversa legatio in paginis evidentibus, quod simplex legeretur exhibuit, an forte nuncio magis retulit, unde vobis adhuc qualiscumque suspicio reservetur. Veremur enim, ne pontificale judicium, dum non indicat prospera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactare se Græciam, quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita verendum est ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo juncto, ut quid filiis vestris fratribus meis, idest Gallicanis, si consulant, respondere debeam instruatis: quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare sententiam. Orate ut sic nos prædictorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat. Accepta 3. Kal. Febr. Agapito viro Clarissimo Consule, per Alexium Presbyterum, & Venantium Diaconum.*

Epist. Hormisdæ ad Avitum. 2. Hac autem accepta epistola, Hormisdas Avitum, ceterosque suæ Provinciæ Episcopos epistola altera certiores fecit,

cit, Thraciæ quidem Episcopos, Dardaniæ, Illyrici, & Epiri sincero corde Romanæ Ecclesiæ communionem expetiisse, ac ab eorum communione recessisse, qui cum Nestorii, aut Eutychetis fautoribus communicabant, ceteri vero, idest Græci: *Ore potius præferunt pacis vota, quam pectore, & loquuntur magis justa, quam faciunt; verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant; quæ fuerint professi negligunt, & quæ damnaverint, hæc sequuntur &c. Data XV. Kal. Martias, Agapito Coss.*

Hormisdæ epist. ad Imp.

3. Cumque sua spe hactenus frustratus fuisset Hormisdas, officio tamen suo non defuit, sed potius Apostoli Pauli admonitione excitatus *Argue, obsecra, increpa in omni patientia &c.* alteram ad Orientales legationem misit, cujus in epistola ad Avitum mentio fit, ac præclarissimos viros Ennodium Ticinensem Episcopum, & Peregrinum Misenatem, ad eam obeundam delegit, quibus plurimas dedit epistolas, ad Imperatorem scilicet, ad Timotheum CP. Episcopum, tum etiam ad Episcopos orthodoxæ communionis, ac denique ad Clerum, monachos, & populum Constantinopolitanum, privatas vero addidit ad Possessorem Episcopum. In ea, quam ad Imperatorem scripsit, hæc inter cetera præfatur: *Dudum Legatis mansuetudinis vestræ remeantibus, ad litteras vestras, & mandata respondi, non quidem universa plane, sicut magnitudo rei postulabat, expediens, & tamen pro tempore certa perstringens. Verum etsi sufficienter me allegare omnia contigisset; numquid agens apud Clementiam vestram causam Fidei, poteram repetitis precibus importunitatis incessi? Timeant notam hujus ingratitudinis, quibus cura est studium negotiis navare mundanis. Opus non implet Evangelii, qui a prædicatione ejus venialiter putat posse cessari. Pervigilem pastorum oportet esse custodiam, & lumbos sine relaxatione præcinctos*, atque ut in inceptis perseveraret, quinimmo, ut promissa opere exequeretur, longa oratione Imperatorem admonet; ac tandem post plurima: *Hoc ideo ne facile putet vestra Clementia Acacii prætereundam esse personam. Nonne ille est Acacius, qui cæno Petri, Dioscori, & Eutychetis dogmate & communione pollutus, dum copulatur, immersus est? Illius sustinens in condemnatione supplicium, cujus elegit in communione consortium? Qui viritim propter impietates suas horum singulos odit, & in illis Acacium necesse est oderit, & omnes in Acacio non amarit.*

Acacii peccata.

Jesu Chr. An. 517. *rit. Ab illo per orientales Ecclesias fermentum nefandi erroris inolevit. Inde Alexandrinæ perfidiæ eousque nutrita superbia, ut non acquiescat, sicut scriptis, mandatis salutaribus, cujus famulatur imperiis; & in errore declinando, non sequatur admonitionem, cujus in agendis rebus experitur sibi utilem potestatem. Unde & majore hujusmodi homines convenit detestatione vitari, quia quæ docere debuerunt, nec dum ab aliis instruuntur, assumunt; spernentes in his imperantis monita, in quibus tantum non timeri jubentur imperia; & immemores devotionis contra salutem animæ, quos contumaces esse oportuit pro salute. Hos mentibus perditis ausus nutrivit Acacii cum perfidis juncta communio: atque ideo æstimandus est auctoris loco, cujus gravius peccatur exemplo &c.* Hæc & alia plurima in eamdem rem, quæ longum esset exscribere. Demum his claudit epistolam verbis: *Ad hæc nostris lacrymis, nostris precibus alleganda, Ennodium, atque Peregrinum fratres, & Coepiscopos nostros vice nostra pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus; ideo maxime designato viro fasce secundæ legationis imposito, ut qui nobis spei bonæ detulit initium, nunc adjutore Deo plenum reportet effectum. Acquiescite precamur fidelibus monitis, cujus vos delectatos dudum legimus institutis. Data 3. Nonas Aprilis, Agapito viro Clarissimo Consule.* Hæc ad Imperatorem Hormisdas, ita pastoralis curæ solicitudine æstuans (quod hactenus non fecerat), ut non fuerit dedignatus per eosdem legatos litteras dare ad nefarium Timotheum Constantinopolitanum Episcopum, non quidem communicatorias Catholicis dumtaxat dari solitas, sed commonitorias communes hæreticis, quæ ita se habent:

Legatorum nomina.

Hormisdæ epist. ad Timotheum.

4. *Hormisdas Episcopus Timotheo Episcopo Constantinopolitano. Non mirabitur dilectio tua rationem præteriti silentii mei, si quæ præcesserint universa consideret: non mirabitur præsens alloquium, si quæ sit vis charitatis expendat. Sustinere enim omnia charitatem, Magistro gentium docente, cognovimus; quæ si sua, sicut continet doctrina ipsa, non quærit, an incongrue abusus privilegio meo, quod tibi potius prodesse possit, exhibeo? Expectare enim me decuit ab errantium conjunctione te liberum, & sic amare correctum: videre ab improbandis dividi, atque ita litterario sermone complecti. Sed quem optem reducem, cur differam vocare tardantem? Cur non detur locus moderationi, cum nihil detrahitur æquitati? Impen-*

pendenda sunt, quæ laborantibus prosunt, si nos societatis contagione non polluunt. Hæc causa mihi fuit præsentium litterarum, ut horter, ut moneam, ne terram nostram jacere patiamur negligentius infæcundam. Non diu infructuosam arborem occupare solum diligens permittit agricola: patienter expectat; sed numquid sua continuatione perdurat? Vocatus ad salutaria non moreris. Proprie ab innocentia non recedit, qui ad eam sine tarditate revertit &c. data ut supra tertio nonas Aprilis, Agapito VC. Coss. Hæc Hormisdas ad Timotheum hæreticum, cujus altera etiam extat epistola ad ceteros Episcopos a catholica communione extorres, eosdem excitans, ac hortans, ut ad catholicam communionem, abdicata hæresi, & hæreticorum communione, redirent.

Luc. 13.

Hormisdæ epist. ad Episcopos a catholica communione alienos.

5. At sicuti pastoralis sollicitudinis non solum est dispersa congregare, & infirma curare, fractaque consolidare, sed etiam quod sanum, & pingue est custodire; ita epistolis suis orthodoxos Episcopos Fidei causa vexatos consolari non omisit, & ut in catholicæ fidei defensione perseverarent, hortatus est, quare post plurima addit: *Benedico igitur Deum, dum fervorem fidei vestræ inter procellas varias, tempestatum adversa considero. Vos quoque, ut super his pietatem ejus glorificetis uberiore exultatione suadeo: qui electorum suorum mentes quo acceptiores sibi reddat, examinat; & licet cognitas sibi, quibusdam tamen difficultatibus probat, ut justitiam quoque inesse dono, quod largitur, ostendat &c.* De secunda autem legatione in Orientem missa, eos admonet his verbis: *Nam repetita vice Ennodium atque Peregrinum fratres, & Coepiscopos nostros, mandata legatione direximus, rationem, adhortationes, preces, lacrymas ingerentes, ut ab impiorum contagione separati, ad veram Fidem iisdem, quibus vos modis, & Apostolica scit sedes, se conferant: aut certe non nos defuisse prædicationi, sed illos propriæ saluti, mundus agnoscat. Data 3. nonas Aprilis, Agapito viro Clarissimo Consule.*

Epistola Hormisdæ ad Episcopos Orthodoxos.

6. His alteras exhortatorias litteras ad Clerum, monachos & populum CP. addidit, easque efficacissimas, ut ab hæreticorum communione se abstinerent; unde post plurima: *Recordamini, carissimi, quæ fuerunt Basilisco palatinæ aulæ incubante tentata; & temporum illorum acta, vel visa, vel audita recolite. Quam scelesta tunc fuerit Timothei cognomento Æluri, quam imprudens & monstruosa præsumptio, quantus etiam per*

Hormisdæ epist. ad Clerum, monachos, & populum CP.

Jesu Chr. an. 517.

per universum Orbem fidei se vestræ fervor ostenderit. Probavit tunc Constantinopolitanus Populus, quam pure deceat credentes christiana servare mysteria. Sed transacta utinam studia fuissent, & non nunc similia tempus expeteret! Rursum enim iidem hæretici caput improbum de profundo, quo immersi tenebantur, attollunt. Atque ideo rogo, hortor, admoneo dilectionem vestram, ab eorum vos conciliis & communione secernite &c. Data 3. Nonas Aprilis, Agapito viro Clarissimo Consule.

Hormisdæ epist. ad Possessorem Episcop.

7. His omnibus addidit & libellum confessionis catholicæ fidei, quo veluti lydio lapide singulos probatos voluit, antequam catholicæ communionis participes fierent, quem libellum eumdem esse censemus cum eo, quem superiori anno legatis dederat, ibique descripsimus, cujus initium est: *Prima salus est regulam rectæ fidei custodire &c.* Privatas etiam epistolas ad Possessorem dedit, qui fidei catholicæ causa ab Arianis, patria, & sede pulsus, ex Africa non sine Dei consilio Constantinopolim transierat, ibique catholicæ fidei propugnator factus, hæreticos exagitabat, cujus adversus Pelagianos inita certamina, inferius videbimus. Hic fidei suæ professionem ad Hormisdam deferendam legatis tradiderat. Cujus egregium factum Hormisdas laudans, ad eum hac secunda legatione epistolas reddidit his verbis: *Hormisdas Episcopus, Possessori Episcopo. Optimam vestræ charitatis audientes instantiam, & cognoscentes rectæ vitæ tramitem, quem sine strepitu vindicatis, Deo nostro gratias sine cessatione persolvimus, ut & in ea dispositione persistas, & cæteris, quod sequantur, tribuere possis exemplum. Ista sunt dona cælestia: ista sunt divinæ retributionis indicia: ista sunt Dei judicia, quæ te a Catholico Sacerdotum noluerunt separari consortio. Unde frater carissime, præsentibus hortamur alloquiis, ut in ea constantia, qua electus es, perseveres, & augmenta probabilibus initiis subministres; quia bonum opus, præcipue quod ad doctrinam fidei pertinet, nisi semper creverit, videtur imminui. Et si tribulatio mundana contigerit, ante oculos vestros, futura præmia ponentes, apostolica vos admonitione consulimus, dicentes: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Meliora tamen speramus, quia Deus, qui per beatum Apostolum dixit: Qui vos non dimisit tentari super quod potestis; ipse pro sua*

sua pietate, quos suos elegit esse, & de laqueis adversariorum sicut semper, eripiet. Libellum dilectionis tuæ de confessione rectæ fidei per Legatos nostros remeantes accepimus, & in eo sinceritatem tuæ fraternitatis agnovimus, quia quod recte credit, sub attestatione publica prædicare non distulit. Data 3. *nonas Aprilis, Agapito viro Clarissimo Consule.*

JESU CHR. AN. 517.

Hormisdæ ep. ad Ennodium, & Peregrinum Legatos suos.

8. Dimissis cum his epistolis ab Hormisda legatis, dum iter agunt, cum Anastasius Imperator, & Dorotheus Thessalonicensis Episcopus iniquo tulissent animo, Joannem Nicopolitanum Episcopum, & ceteros Epyri Episcopos ad Romanæ ecclesiæ communionem, iis inconsultis, rediisse, eaque de causa cum in eos persecutionem excitassent; Joannes, ceterique Epyri Episcopi ab Hormisda auxilium petierunt, misso ad eum Diacono cum suis litteris, quibus acceptis Hormisda legatos suos, in itinere adhuc positos, ut iis, cum CPolim pervenissent, opem ferrent, admonuit his verbis: *Hormisdas Ennodio & Peregrino Episcopis. Postquam profecta est charitas vestra, Nicopolitanus Diaconus, qui vobis etiam occurrit in itinere, Romam venit, quem præter moram vidimus, cogitantes ne forte essent, quod ad instructionem mandatæ vobis legationis adjicere deberemus, quod & rationabiliter factum, ut ipsa res evidenter ostendit. Obtulit enim nobis epistolam Joannis Episcopi sui, & aliam Synodi sibi subjacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab Episcopo Thessalonicensi excitatus adversum se tam principales, quam judiciarias potestates, concussionibus, & dispendiis se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad Episcopum relationem secundum prisca exempla non miserit. Pro qua causa speraverunt, ut de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, ut daremus eis licentiam, relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi. Unde tractavimus, & Episcopum quidem Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, si nobiscum velit in communione persistere, ne per illum, si ab eo qui a communione nostra alienus est confirmationem petiisset, nostra quoque communio contagium sustineret. Hæc vos omnia sciretis, instruximus. Quid autem propitio Deo vobis de hoc agendum sit, subjecta declarant. Data pridie Idus Aprilis, Agapito Consule.* Hæc Hormisdas legatis, iisque misit alias epistolas Imperatori, & Dorotheo tradendas, eosdem admonens, ut ab inferenda Joanni, aliisque Episcopis molestia cessarent.

C 9. Ut

Jesu Chr. An. 517.

Hormisdæ epist. ad Joannem.

9. Ut vero afflictos consolaretur, & in perferendis molestiis confirmaret, Jo: Nicopolitanum Episcopum epistola sua sic Hormisdas alloquitur: *Remeante Pullione subdiacono nostro, litteras charitatis vestræ suscepimus, de constantia fidei, vel de intentione, quam circa communionem Sedis Apostolicæ geritis, gratulantes, sed contristati sumus, quod vos aliquas sustinere molestias perhibetis. Ista tamen diuturnam non possunt habere substantiam; quia ubi Deus pure colitur, etsi adversa contigerint, in prospera commutantur, secundum Apostolum dicentem: spes non decipit.* Deinde post aliqua: *Igitur salutantes charitatem tuam hortamur, ut quemadmodum prædiximus, in his, quæ bene incohoata sunt, perseveres, quia qui perstiterit usque in finem, hic salvus erit. Frequenter alloquiis tuis nostram sollicitudinem relevare non desinas. Paræciales quoque Sacerdotes tuos competenti adhortatione confirma, quia ista faciendo, talentum tibi creditum poteris multiplicare quotidie. De illa quoque parte, quam dilectio tua postulat, cogitamus, ut ad Imperatorem clementissimum pro generalitatis quiete preces nostræ perveniant. Tantum est, ut votum, studiumque nostrum congruis orationibus juvare non cesses; quia nos in his Deo auctore perficiendis vacare minime potuerimus. Data* v. *Nonas Martias, Agapito Viro-Clarissimo Consule*; & alia epistola ad Joannem, ceterosque Epyri Episcopos eadem confirmat, ut ibidem videre est, ac se pro eorum quiete maximam sollicitudinem gerere testatus est: *Per legatos ad Orientis Principem destinatos, & ad Thessalonicensem Episcopum, ut ab infestatione vestra cessaret admonui, & prorogatis paginis, ut Imperatori supplicaretur, adjunxi &c.*

Rom. 5.

Mat. 10.

Epist. Hormisdæ ad Dorotheum.

10. Ad Dorotheum vero Thessalonicensem Episcopum per eosdem legatos hæc scripsit. *Papa Hormisdas Dorotheo Episcopo Thessalonicensi. Joannes frater & coepiscopus meus Nicopolitanæ urbis Antistes cum Synodo sua variis se concussionibus atque dispendiis graviter causatur affligi, quod a transgressorum societate divisus, postquam communionem Sedis Apostolicæ emeruit, ad Thessalonicensium Ecclesiam ordinationis suæ initia non direxerit. Potuisset neglectus sic esse culpabilis, si unum esset inter omnes mysterium charitatis. At cum multi se a petræ illius, quæ Christus est, soliditate diviserint; quis non velit ab errantium conjunctione discerni, ut me-*

Qui sint catholici.

mereatur cum his, qui consistunt in veritate, conjungi? Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitata contagia. Ergo objicere quis possit errorem, ubi cogitatam salubriter intelligit cautionem? At nos, quod debueras primus assumere, credebamus te sequi saltem post aliena exempla potuisse. Non sufficit in lapsibus mora, nisi ad reprehensionis cumulum circa eos quoque, qui ad viam redeunt, accedat invidia? Quid aliud quam beati Petri (quod sine impietate dici non potest) *ipsum quod a Domino datum est nomen oderunt, qui eos, qui ad Sedis ipsius altaria confugiunt, insequuntur? Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas? & reverentiam, quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiastica potestate deferri &c.*. Hæc quidem Hormisdas, plane digna tanto Romano Pontifice, qui ad Anastasium Augustum in eadem causa per eosdem Legatos hanc scripsit epistolam. *Hormisdas Anastasio Augusto, per Ennodium, & Peregrinum Episcopos. Dum sapientiæ vestræ, clementissime Imperator, profunda considero, providentes saluti propriæ, vobis displicere non æstimo. Neque enim aut divina monita, aut humana continent instituta, ut qui consulit bonæ spei, qualibet debeat reprehensione culpari, cum maxime pietas quoque vestra affectu se unitatis & pacis flagrare fateatur. Quæ res me quoque, vel pro fiducia conscientiæ vestræ, vel pro creditæ quoque mihi dispensationis officio, emergente compulit non supersedere negotio. Joannes frater & Coepiscopus meus Nicopolitanæ civitatis antistes, prædecessoris sui sanctæ recordationis Alcisonis secutus exemplum, beati Petri Apostoli communionem cum synodo sua, damnatis his, quos Ecclesia detestatur, expetiit. Is nunc gravibus fatigatur insidiis. Precor mansuetudinem vestram, iniqua molientibus obviate, & removete molestias, & correctum fovete, cui, ut corrigeretur, debuisset insisti. Scient enim qui tardaverint, se reos futuros, cum a vobis foveri viderint jam reversos. Fateor, clementissime Imperator, miror insidiantium pertinaciam, neque Dei, neque vestro intuitu permoveri. Nam qui oderunt in homine studium desiderii boni, quod de se æstimant judicari, insequuntur, ad recta reduces; jure culpandi, si non controverterint deviantes. Date fidei vestræ clara documenta, si adfore cunctis ad unitatem reductis & officio omni & adhortatione cogitetis*. Hactenus Hormisdas ad Anastasium Imperatorem.

Epist. ad Anastasium Imp. pag. 1457.

11. Sed

JESU CHR. AN. 517. Admonitio ad legatos. pag. 1456.

II. Sed ne in re tanta quidquam ageretur reprehensione dignum ab ipsis Apostolicæ sedis legatis, idem Pontifex ad eosdem adjecit de his, quæ ad hanc causam spectant, admonitionem, sive (ut ajunt) Commonitorium, his verbis: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, intercedentibus & adjuvantibus sanctis, quid agendum sit de causa Metropolitanæ Ecclesiæ. Primum ubi Thessalonicam, Deo juvante, veneritis, epistolas nostras, quas in hac causa misimus, Episcopo Thessalonicensi tradite, illum quidem ordinem in ejus salutatione servantes, quem scitis a nobis esse mandatum circa eos, qui cum Sede apostolica, hoc est, Ecclesia catholica non communicant. Traditis autem epistolis, instanter agere debetis, ut se ab ejus ecclesiæ concussione suspendat: rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem, & ad corpus Ecclesiæ cum illis, qui nec dum reversi sunt, quidquam habere conjunctum, nos non solvere a prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat. Certe redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia, quæcumque consecuta est a Sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur. Dicite etiam aperte illum ostendere inimicum se esse fidei, si insequitur, quos viderit ad catholicam communionem reverti. Quod poteritis causam ibi Deo propitio componere, scriptis ad Episcopum Nicopolitanum litteris, quid vestra promoverit opera, nunciate. Si vero obstinatus fuerit, nec ab insecutione ejus cessare voluerit, secundum litteras, quas ad clementissimum Imperatorem misimus, apud Principem causam ecclesiæ Nicopolitanæ sic agite, ut dicatis: Alcyson episcopus Nicopolitanus satisfecit Ecclesiæ catholicæ, susceptus est, & ad communionem reductus: hujus successor Joannes Episcopus, & Deum ante oculos habens, & de salute sua cogitans, & prædecessoris sui bonum exemplum sequens, condemnatis hæreticis vel transgressoribus, ad sedem beati Petri Apostoli misit, & susceptus est: huic nunc Thessalonicensis Episcopus insidiatur, & eum concutit; contraria his fecit ab eo exigere volens. Hinc pater vester, & omnes orthodoxi rogant, ut jussionibus vestris removeatur ab eo ista molestia; ne videatur hominibus propter hoc illum persecutionem pati, quia ad communionem Sedis apostolicæ rediit: & qui expectant per vos unitatem fieri, aliud incipiant credere; si pietatem vestram viderint hoc dissimulare, hoc negligenter accipere. Visum est nobis*

nobis expedire, ut litteras, quas ad Thessalonicensem in causa Nicopolitana direximus, quolibet ordine prudentia vestra diversis in locis faciat publicari, magnopere tamen in civitate Thessalonicensium, quia hoc facto, & a persecutione nostrorum potest cessari, & ad ipsins, si se correxerit, credimus pertinere salutem. Hactenus admonitio posterior ad legatos post ipsorum discessum missa. Quibus quanta esset Romanæ Ecclesiæ sollicitudo in revocandis ad Ecclesiam catholicam schismaticis, & hæreticis apertissime patet. Jesu Chr. an. 517.

12. In irritum tamen tantas Hormisdæ Papæ curas cessisse constat; nam Anastasius Imperator Vitaliani rebellione extincta, catholicæ Fidei tuendæ larvam deposuit, ac Pontificis legatos turpiter ejecit, cum eorum constantiam auro, & promissis corrumpere non potuisset. Totius tragædiæ seriem his verbis narrat Anastasius: *Hormisdas item secundo misit Ennodium Episcopum, & Peregrinum Misenatem Episcopum portantes epistolas confortatorias fidei, & contestationes secretas numero 19., & textum libelli, in quo libello noluit consentire Augustus Anastasius, quia & ipse in hæresim Eutychianam communicaverat.* Eos itaque cum auro in suam sententiam trahere non potuisset, ut scilicet cum hæreticis communicarent: *Ejecit eos per posterulam, & imposuit eos in navim periculosam cum militibus & magistrianis, & præfectianis nomine Heliodorum, & Demetrium, qui hoc dedit eis in mandatis Imperator Anastasius, ut nullam civitatem ingrederentur. Legati vero Sedis apostolicæ secretius suprascriptas epistolas fidei 19. per manus monachorum Orthodoxorum exposuerunt per omnes civitates. Quas tamen epistolas ab Episcopis civitatum, qui erant complices, Anastasii Augusti timore, omnes eas epistolas fidei pro crimine Constantinopolim direxerunt.* His addit, Imperatorem contra Hormisdam Pontificem ita excanduisse, ut scribere non dubitaverit: *Nos jubere volumus, non nobis juberi.* Cujus etiam extat epistola ad Hormisdam Pontificem scripta, qua S. Pontificem obstinatioris animi, & ab omni miseratione alieni insimulat, ac tandem post plurima de Jesu Christi erga peccatores bonitate, & misericordia his verbis epistolam claudit: *Nos autem non ea credimus ratione, ut immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt: sed postulationem nostram a præsenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile judicantes illis precum adhi-*

Anastasius Imp. legatos Hormisdæ ejicit.

tom. 4. ibid. 1460. Anastasii ep. ad Hormisdam.

JESU CHR. AN. 517. *adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respuentes; injuriari enim & annullari sustinere possumus, juberi non possumus. Data v. Idus Julii, Constantinopoli, Anastasio Augusto 14. & Agapito Viro clarissimo Consulibus.* Sed non alterius quidem hominis hæc sententia est, quam Imperatoris hæretici, Pharaoni simillimi, tunc per speciem tantummodo cervicem ferream inclinantis, cum instantia eum flagella compellerent, quibus amotis, & Moysen cum Deo obfirmata obstinatione contemnat, ait Card. Baronius.

Hæretici in catholicos persecutionem instaurant.

13. Cum per Orientalis Imperii provincias vulgatum est, Romani Pontificis legatos ab Anastasio Imperatore CPoli turpiter ejectos fuisse, ac Imperatorem impensius quam antea Eutychianæ hæresi patrocinari, ad instaurandas adversus catholicam Fidem pugnas, catholicosque persequendos excitati sunt hæretici. Præceteris vero Severi Antiocheni Episcopi, & Petri Apameensis perfidia, & crudelitas enituit, dum scelератorum manu coacta, monachos orthodoxos Syriæ, prædonum more aggressi, plurimos occiderunt, nec iis parcentes, qui ad sacrum altare confugerant. Apud Imperatorem vero duo monachi missi, Sergius, nempe, ac Joannes de illata vi, injuriisque acceptis conquesti sunt ab eoque spreti, novisque contumeliis affecti ad communem catholicorum Patrem, etsi longe positum, Romanum scilicet Pontificem, litteras dederunt ejus auxilium implorantes, iisque subscripserunt quamplurimi Archimandritæ, Presbyteri, & Diaconi, Fidei catholicæ propugnatores, numero centum septuaginta.

tom.4.p.1461. Epistola Monachorum secundæ Siriæ ad Hormisdam.

Epistolæ autem hæc erat inscriptio: *Sanctissimo ac Beatissimo universi Orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, continenti sedem Principis Apostolorum Petri, deprecatio, & supplicatio minimorum Archimandritarum, & cæterorum monachorum secundæ Syriæ provinciæ*: gravissimas deinde se tribulationes pro fide cum gaudio sustinere narrant. *Quoniam vero Christus Deus noster Principem pastorum & doctorem, & medicum animarum constituit vos, & vestrum sanctum Angelum, dignum est passiones, quæ nobis contigerunt, exponere, & immisericordes ostendere lupos, qui dispant gregem Christi, ut auctoritatis baculo eos expellat de medio ovium, verbo autem doctrinæ animam sanet, & orationis medicamentis mitiget. Qui autem sint isti, & qui hos adversum nos armaverint, audistis utique,*

que, Beatissime, Severus ille, & Petrus, qui nunquam in Christiano numero reputati sunt, qui per singulos dies sanctam Chalcedonensem Synodum, sanctissimum Patrem nostrum Leonem publico anathemate impetentes, qui judicium Dei nihil æstimantes, & colendos canones sanctorum Patrum conculcantes, episcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, & nos cogentes illudere prædictam sanctam Synodum, suppliciis inæstimabilibus affligentes. Unde & quidam eorum injectas plagas minime sustinentes, de hoc sæculo transierunt, & nostrorum vero non exigua multitudo perempta est. Euntibus namque nobis ad mandram domini Simeonis pro causa Ecclesiæ, insidiati sunt nobis in itinere prædicti coinquinati, & supervenientes occiderunt ex nobis trecentos quinquaginta viros, quosdam autem vulneraverunt; alios vero, qui potuerunt ad colenda altaria confugere, ibidem peremerunt, & monasteria incenderunt, per noctem mittentes multitudinem inquietorum hominum redemptorumque omnem paupertatem ecclesiasticam hujusmodi pestiferi homines consumentes. Ad singula autem delatæ ad vestram Beatitudinem instruent chartæ a venerabilibus fratribus Ioanne, & Sergio, quos miseramus Constantinopolim, sperantes vindictam fieri de his, quæ commissa sunt. Sed eos nec verbo dignatus est Imperator, sed etiam cum grandi contumelia expulit, comminatus eis, qui ista porrigerent &c. Unde ad Apostolicam Sedem communemque Patrem se confugisse addunt, auxilium ab eo & consolationem sperantes, cum præcipue eos omnes aversarentur, quos Sedes Apostolica condemnaverat, *Nestorium* scilicet, *Eutychetem*, *Dioscorum*, *& Petrum Alexandrinum, qui cognominatus est Balbus, & Petrum, qui dicebatur Fullo, Antiochenum, nihilominus & Acacium, qui fuit Constantinopolitanus Episcopus, eorum communicatorem, & omnes qui unum illorum hæreticorum defendunt.* Subscriptiones sequuntur in hunc modum. *Ego Alexander Misericordia Dei presbyter, & archimandrita Sancti Maronis deprecatus sum. Simeon Misericordia Dei presbyter, & archimandrita ut supra, etc.*

Monachi ultra tercentos a Severo occisi.

14. Legati ad Hormisdam cum his epistolis missi, fuere Joannes, & Sergius, qui nonnisi ad finem hujus anni, vel sequentis initio Romam pervenerunt, ut redditæ ad eos ab Hormisda epistolæ anno sequenti idibus Feb. demonstrant, quibus alias addidit ad alios ubique degentes, sciens in ceteris

Hormisdæ epist. ad Monachos Syriæ.

JESU CHR. AN. 517. teris Orientis provinciis similia iis, quæ Syriæ monachi passi fuerant, cœteros quoque catholicos ab hæreticis pati, tamquam communis Pater calamitatibus omnium compatiens, ac cum dolentibus dolens, consolatorias pariter, ac exhortatorias ad eos epistolas dedit, quæ in Synodo sub Menna anno 536. recitatæ sunt; in quibus Hormisdas Papa hæc præfatur: *Lectis litteris dilectionis vestræ, quibus inimicorum Dei patefacta vesania est, & infidelium pertinax furor dolenter expositus, qui dum redivivo spiritu oderunt Dominum, membra illius impie persequuntur, quantum ad constantiæ vestræ agnitionem benedixit Deum, fidem militum suorum inter adversa servantem. Sed rursum Ecclesiarum concussionem, & servorum Dei molestias, laboresque considerans, Propheta gemitus meos adjuvante clamavi: Exurge Domine, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die*; libenter ea quoque quæ sequuntur adjungens: *Ne obliviscaris vocem quærentium te: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper &c.*; ac longa oratione, adductis etiam sacræ Scripturæ locis, & Machabæorum exemplo, ad patientiam spe Regni cælestis, & ad perseverantiam hortatur, quæ ibidem videri possunt; nam singulas Pontificum Romanorum epistolas annalibus inserere infiniti operis esset; data autem dicitur quarto Idus Febr. post Coss. Agapiti, idest anno sequenti.

tom. 5. p. 143.

Psal. 72.

Rebus ecclesiæ afflictis Deus subvenit.

Psalm. 77.

15. Cum orientalis Ecclesiæ res eo in statu essent, ut catholica fides a tribus Patriarchis, Alexandrino scilicet Joanne Niceota, Antiocheno Severo, & Timotheo CPolitano prodita, & ab Anastasio Imp. exagitata, extinguenda prorsus videretur, ac tanquam Petri navicula perfidiæ fluctibus submergenda; cum eo itaque res deductæ essent: *Stetit Dominus in medio eorum, & dixit, ego sum, nolite timere*; & excitatus est, tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus a vino. Nam Timotheum CP. Episcopum, & Joannem Niceotam Alexandrinum, hoc anno e viventium numero dejecit, anno vero sequenti Anastasium Imperatorem, quo sublato, in pristinam libertatem Ecclesia rediit, ut ibidem videbimus. De Timotheo Victor Tunonensis sub hujus anni Coss. habet: *Timotheus CP Episcopus, obtrectator synodi Chalcedonensis, quinta die mensis Aprilis occubuit*, & Joanni Cappadoci Presbytero Episcopatum reliquit. Eadem habet Theophanes anno secun-

Victor Tun. in chron.

Timotheus CP Episcopus moritur, Joannes Cappadox succedit.

secundum Alex. 510., qui Kal. Septemb. præsentis anni inchoatur, additque de ejus successore: *Hic ordinatus tertio Paschatis die Apostolicum induit amictum; Populus autem multa importunitate contendebat a Joanne, ut Severum Anathemate perstringeret.* Joannis ordinationem anno sequenti collocat Papius; atque is populi magis, quam Imperatoris voluntate electus est, utpote catholicæ Fidei cultor, quem etiam, si Tunonensi fides habenda: *Ante ordinationem suam, ut synodum Chalcedonensem prædamnaret coegit.*

16. Eodem hoc anno Joannes Alex. Episcopus obiit Niceota dictus, qui anno 505. ordinatus, undecimo Episcopatus anno vivere desiit. *Agapito consule Joannes Alexandrinus Episcopus moritur*, ait Tunonensis, *& pro eo Dioscorus ordinatur.* Erat Dioscorus Timothei Eluri nepos, & impietatis particeps, ob cujus ordinationem cœdes Alexandriæ patratæ sunt, ut narrat Anastasius: *Cum Dioscorus manus impositionem accepisset, defuncto Joanne Episcopo Alexandrino hæretico, recessere multitudines rusticorum, dicentes, quia nisi secundum quod sanctorum continent Apostolorum canones fiat, non recipietur Episcopus. Princeps enim inthronizaverat eum. Dioscorus autem venit ad sanctum Marcum, & venientes Clerici induerunt eum secundo, & iterum consecraverunt, & ita veniens ad sanctum Joannem perfecit collectam. Cum autem esset illic Theodosius filius Calliopi Augustalis, & Acacius magister militum quotquot capere potuit, interfecit. Hæc audiens Imperator iratus est adversus eos. Porro Dioscorus interveniens mitigavit eum*; cujus etiam auctoritate factum est, ut Eutychiani, & Acephali Alexandriæ in unum convenirent, nam ut ait Liberatus: *Is Unitivum suscepit edictum, sicut ipsa ostendunt gesta, quæ apud defensorem civitatis coram eo confecta sunt, in quibus testatus est in expulsione synodi se suscipere edictum. Unde cum satisfactum fuisset iis, qui propter Petrum Mongum extra illam ecclesiam communicabant, uniti sunt ei. Nam usque ad istum Dioscorum in divisione erat Alexandrina ecclesia.* Sicque aspides cum serpentibus in unum congregati cohabitare cœperunt.

Joannes Alexandrinus Episcopus moritur.
Niceph. in chron.
Theoph. in cronog.
Dioscorus Alex. Patriarcha eligitur.
Anast. biblioth. in chron.

17. Hormisdas interea Rom. Pontifex, cum hactenus pro orientalium Ecclesiarum pace frustra laborasset, a Joanne Tarraconensi Episcopo, qui in Italiam ingressus, Romam usque non pervenerat, litteras accepisset, quibus eum de ad-

Epist. Hormisdæ ad Joannem Episcop. Tarrac.

JESU CHR. AN. 517. ventu suo in Italiam admonuerat, eumque rogaverat, ut si quæ negligentius, aut irreligiosius in Hispania peragerentur, Pontificia auctoritate emendaret, ad eum paterno affectu rescribens, ejus erga Sedem Apostolicam obsequium impense laudavit his verbis: *Fecit dilectionem charitati & fidei congruentem, ut adventum tuum ad Italiam nobis directis litteris indicaret, & quia in te sit summa religiosæ voluntatis ostenderet. Atque utinam ad plenioris affectus satietatem, præsentiæ tuæ nobis gaudia contigissent, ut gratularemur nos & colloquio, & præsentia frui, quam sumus ante per scripta complexi. Verumtamen probasti, dilectissime Frater, quo christianam Fidem veneraris affectu, dum ea quæ ad regulas patrum pertinent, & ad mandata catholica, sine alia cupis transgressione servari; sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses Ecclesias constitutis, quæ aut negligentius aut irreligiosius fiant, ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus; quod amplexi sumus, captata istius desiderii facultate. Quid enim aut nobis dulcius, quam cum fidelibus loqui? aut Deo aptius, quam deviantes ab errore revocare? Salutantes igitur charitatem, qua jungimur, per Cassianum Diaconum tuum significamus, nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea, quæ juxta canones servari debeant, competenter ediximus, vel circa eos, qui ex Clero Græcorum veniunt, quam habere oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sed & causæ ipsius ordinem instructionemque abunde decretis ecclesiasticis vos docebunt, ut agnoscentes & impiorum transgressionem, & Apostolicæ Sedis curam pro patrum regulis excubantem, ostendatis vos damnatorum consortia, & amare fidelium*, & ut aliqualem pro tanta in se benevolentia, ac in Apostolicam Sedem reverentia, vicem redderet Hormisdas, Joanni vices suas in Hispanias delegavit, *unde & quia per insinuationem Dilectionis tuæ hujus est nobis via patefacta providentiæ, remuneramus sollicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea quæ ad Canones pertinent, sive ea quæ a nobis sunt nuper mandata, serventur, si ea, quæ de ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studii, ac sollicitudinis tuæ, ut talem te in his quæ injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris.* Hæc Hormisdas, *Data IV. nonas Aprilis, Agapito VC. Coss.*

Hormisd. Joanni Tarraconensi Episc. vices suas delegat.

18. Ejus-

18. Ejusdem anni, & diei est epistola altera ad universos Hispaniæ Episcopos data, qua postquam eos generaliter admonuit, qua vigilantia commissum sibi gregem regere deberent, nonnullos abusus, qui in iis Ecclesiis irrepserant, ut emendarent, admonuit; subdit enim: *Et licet hæc possint generaliter dicta sufficere, ut vel declinemus errata, vel custodiamus catholica constituta; tamen quia Joannis fratris & Coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reverentiam nonnulla præsumi, periculum, quod Doctoribus imminet de taciturnitate, declinans, & prophetica voce compunctus, qua dicitur, loquere, ne taceas, generalibus edicendum credidi constitutum*. Sequitur constitutum tribus capitibus distinctum, quorum primo prohibet laicos per saltum ad Sacerdotium pervenire, & pœnitentes ordinare: *Irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis; nec quidquid illi deesse personæ, penes quam est religionis summa, & substantia disciplinæ ... Hoc ita fiet, si non Sacerdotii gradus saltu quodam passim laicis transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fidelia. Discere prius quisque debet antequam doceat, & exemplum religiosæ conversationis de se potius aliis præstare, quam sumere*. Deinde post aliqua: *Nec tantum de laicis consecrari inibemus, sed nec de pœnitentibus quidem quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis illi postulanti sit venia. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis enim, quem paulo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem? Præferens miserandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotii dignitatem*. Secundo capite aliquid vel accipere pro sacerdotali benedictione vetat, etiam per interpositam personam, *eo quod Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, Apostoli fuerit detestatione percussus*. Capite tertio eosdem admonet, ut singulis saltem annis provinciale concilium celebrent; unde post plurima: *De conveniendo bis in anno, notum est canones sanctos constituisse, & præfinitum quidem, si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri. Sed si aut temporum necessitates aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem (quamvis non licuerit) sine ulla excusatione præcipimus*

JESU CHR. AN. 517. Hormisdæ epist. ad Episcopos Hispaniæ.

Tom. 4. pag. 1467. Laici ne cito, neque per saltum Sacerdotes fiant.

Concilia Provincialia singulis annis habenda.

JESU CHR. AN. 517.

mus convenire. Hæc Fratres Cariſſimi, & alia quæ Patrum regulis continentur, in labiis, & in cordibus noſtris indiviſa retractatione meditemur. Data IV. nonas Aprilis, Agapito VC. Coſſ.

Hormiſdæ ep. ad Saluſtium Hiſpal. Epiſcop. cui vices ſuas delegat.

19. Saluſtio autem Hiſpalenſi Epiſcopo reſcribens, in Bœticæ, ac Luſitaniæ provinciis ſuas vices commiſit, unde poſt plurima in ejus laudem, ſubdit: *Vices itaque noſtras per Bæticam, Luſitaniamque provincias, ſalvis privilegiis, quæ Metropolitanis Epiſcopis decrevit antiquitas, præſenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione miniſterii dignitatem, relevantes noſtras ejuſdem remedio diſpenſationis excubias*, ita tamen ſubdit; *ut quoties univerſalis poſcit religionis cauſa, ad concilium te cuncti fratres evocante conveniant; & ſi quos eorum ſpecialis negotii pulſat contentio, jurgia inter eos oborta compeſce diſcuſſa ſacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illis pro fide, & veteribus conſtitutis, vel provida diſpoſitione præcipies, vel perſonæ noſtræ auctoritate formabis, totum ad ſcientiam noſtram inſtructæ relationis atteſtatione perveniat, ut noſter animus officii caritate dati, & tuus ſecuritate perfruatur accepti. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime.* Hactenus Hormiſdas ad Saluſtium.

Gerundenſis ſynodus ejuſque canones.

20. Joannes vero Tarraconenſis Epiſcopus, relicta Italia, in Hiſpaniam reverſus, apud Gerundam Cataloniæ urbem concilium celebravit *Anno VII. Theodorici Regis VI. idus Junias Agapito VC. Coſſ.* Æra Hiſpanica 555., qui cum anno currenti reſpondet. Interfuere ſynodo Epiſcopi ſeptem, quibus Joannes præfuit, qua decem canones conditi ſunt, quorum primo jubetur, ut in celebratione Miſſarum, vel pſallendi ordine, idem, qui in Tarraconenſi eccleſia ritus ſervabatur, in tota provincia obſervaretur; 2. Ut expleta ſolemnitate Pentecoſtes, ſequenti ſeptimana, a quinta feria uſque in ſabbatum, per hoc triduum abſtinentia ſervaretur, dum Litaniæ, ſeu ut dicimus Rogationes celebrarentur; 3. Ut alteræ Litaniæ Kalendis Novembris fierent, ea tamen conditione ſervata, ut ſi iiſdem diebus Dominica interceſſerit, in alia hebdomada, ſecundum prioris abſtinentiæ obſervantiam, a quinta feria incipiantur, & in ſabbato veſpere miſſa facta finiantur. Quibus tamen diebus a carnibus & vino abſtinendum erat. 4. De Catechumenis baptizandis id ſtatutum eſt, ut in Paſchæ ſo-

Miſſæ,& pſallendi ordo, idem fit in tota Tarraconenſi provincia.

Diebus jejunii a carnibus & vino abſtinendum.

solemnitate, vel Pentecostes, quanto majoris celebritatis major festivitas est, tanto magis ad baptizandum veniant: ceteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumque tempore convenit baptismum non negari. Canone quinto: Parvuli, qui nuper materno utero editi sunt, placuit, ut si infirmi fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur. 6. De conversione vitæ id statuere placuit a Pontifice usque ad Subdiaconum, post suscepti honoris officium, si qui ex conjugatis fuerint ordinati, ut sine conjuge habitent; quod si habitare voluerint, alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere. 7. De his vero, qui sine conjugibus ordinantur, & familias domi habent, matrem tantum, aut sorores secum habitare permittant. 8. Si quis vero ex Laicis post uxorem, aliam cujuscumque conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittendos jubet. 9. Is vero qui ægritudinis languore depressus pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & postmodum reconvalescens caput pœnitentiæ in Ecclesia publice non subdiderit, si vitiis non detinetur obnoxius, ad Clerum admitti potest. Tandem cautum est Canone decimo, ut omnibus diebus, post matutinas, & vespertinas, oratio Dominica a Sacerdote proferatur.

JESU CHR. AN. 517.

Baptismus in Paschate, vel Pentecoste administretur infirmis quolibet tempore

21. Gerundensi concilio Epaonense addimus majori Episcoporum frequentia hoc eodem anno in Galliis celebratum, quod Episcopi 25., quorum subscriptiones leguntur, convenerunt. Synodo Avitus præfuit Viennensis Episcopus, ac primus subscriptus legitur: *Avitus Episcopus constitutiones nostras, idest Sacerdotum provinciæ Viennensis, relegi, & subscripsi, die XVII. mensis octavi, Agapito viro Clarissimo Consule Epaone*. Cum vero hoc & sequenti sæculo Galli, æque ac Burgundiones annum inciperent a mense Martio, die 17. Kal. mensis octavi, qua Avitus subscripsit, dies erat 15. mensis Septembris. De loco hujus concilii, ubi nam gentium fuerit Epaonense oppidum in Viennensi provincia, variæ sunt eruditorum conjecturæ, de quibus agunt Sirmondus in notis ad hunc synodum, & Pagius nota 7. anni 509., & Claudius Castellanus Canonicus ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis in notis ad Martyrologium Romanum die 5. Feb.. Quæ autem esset ea Sanctorum Patrum Corona, qui Gallicanam ecclesiam hoc

Concilium Epaonense.

Jesu Chr. an. 517.

hoc sæculo illustrarunt, dignosci inde potest, quod eorum quamplurimi sacris tabulis inscripti sunt; ut Avitus Viennensis, ejusque germanus Apollinaris Episcopus Valentiuus, quorum nomina tertio nonas Octobris Martyrologio Romano inscripta sunt. His adde Claudium Vesontiensem octavo idus Junii, S. Gregorium Lengoniensem pridie nonas Januarii, & octavo Kal. Novemb. Pragmatium Augustodonensem, cujus gesta Gregorius Turonensis refert, ad quem etiam extat Sidonii Apollinaris epistola, qua eidem commendat sanctam Eutropiam viduam, cujus natalis dies recolitur decimo septimo Kal. Octob. Viventioli quoque Lugdunensis Episcopi quarto idus Julias, & Constantini Episcopi Vapincensis, ad diem 12. Aprilis Martyrologio Romano nomina inscripta sunt. Extant adhuc tractoriæ epistolæ ad Episcopos datæ ab Avito Viennensi, & Viventiolo Lugdunensi Episcopis. Avitus autem Episcopos congregatos sic alloquitur:

Sidon. lib. 6. epist. 1.

Aviti epistola ad Episcopos suæ provinciæ

22. *Diu est, quod rem valde necessariam, & non sine divina inspiratione a Patribus institutam, aut oblivione, aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint a præceptore conventus. Ergo quos bis per annum a Sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam vel singula post biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ Urbis, nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnunquam scripta perlata sunt.* Deinde post aliqua: *Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium in parochia Epaonensi adesse dignemini. Qui locus omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est; sicut & tempus, in quantum potest, ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum; quamquam Ecclesiæ potior causa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo, & quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem a dispositione tam sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem a tali charitatis vinculo nexu temporaneæ necessitatis impediat. Sed si forte, quod Deus avertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spirituale desiderium carnali vincatur incommodo, duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret; sed tales dignetur eligere, quos episcoporum concilio, non minus scientia, quam reverentia jure sa-*

facit interesse: cum quibus delectet summos Pontifices conferre sermonem, quos ad definitiones pro episcopo suo sanciendas, subscribendasque, cum fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi; sed istud non extorqueat nisi necessitas &c. Hæc, & alia Avitus, cujus argumenti extat alia epistola Viventoli Lugdunensis Episcopi, nunc primum in novissima Conciliorum collectione inserta, ex Tolosana bibliotheca, qua Episcopos Lugdunensis provinciæ ad Epaonensem synodum convocat, facta etiam laicis potestate ut adessent, iis præsertim, qui aliquam adversus clericos accusationem haberent. *Studebit tamen probare, quod detulerit accusator, nec putet quisquis forsitan recte viventes tuto inanibus mendaciis infamandos. Nemo nisi quod docere possit objiciat, verecundiam, quam virtus timere debebit, convictor excipiet, utrique status parti, & audiendi patientia, & judicandi æquitate præmissa. Dominus vos custodire dignetur, in Christo suscipiendi fratres, & filii. Proposita sunt die IV. Idus mensis quarti, Agapito Consule.*

Viventoli tractoria epistola.

23. Quadraginta canones in ea conditi sunt, quorum summa hæc est. Primo Episcopos ad concilium, aut ordinationem a Metropolitano vocatos, adesse jubetur. Secundo, & tertio bigamos & renuptarum maritos, ac pœnitentes, a sacris arceantur ordinibus, & ab omni Clericali ministerio removentur. Quartus, canes ad venandum, vel accipitres, Episcopis, Presbyteris & Diaconis habere vetat, statuitque, ut Episcopus hujus canonis transgressor tribus mensibus a communione se suspendat; duobus Presbyter abstineatur; uno Diaconus ab omni officio, & communione cesset. Quintus Presbyterum, absque sui licentia Episcopi, in alieni territorii Ecclesiis, aut Oratoriis, Sacra facere prohibet. Sextus, Clericis, sine Episcopi sui Epistolis peregrinis, Communionem impendi vetat. Septimus alienationes rerum Ecclesiasticarum a Presbyteris factas, irritas declarat. Octavus ut Presbyter, dum Diœcesim tenet, id est Curatus, dum Parochiam regit, de his quæ emit, scribi curet instrumenta, sive contractus Ecclesiæ nomine; venditiones ab Abbatibus factas, inconsultis Episcopis, rescindit; mancipia Monachis donata, ab Abbate manumitti prohibet, quia injustum est, ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur. Ex quo patet Monachos labore manuum, & operibus agriculturæ vacasse. Nonus prohibet Ab-

Canones concilii Epaonensis.

Venatio Episcopis, presbyteris, & diaconis prohibita.

Monachi unde opus exercebant.

ba-

Jesu Chr. an. 517.

bates duobus Monasteriis præsidere. Decimus cellas novas, aut congregatiunculas Monachorum, vetat institui absque notitia Episcopi. Canon undecimus Clericos sæcularia judicia, absque licentia Episcopi, adire vetat, pulsatos respondere jubet. Duodecimo cautum est, ne Episcopus res Ecclesiæ suæ, inscio Metropolitano, vendere possit, commutare tamen utiliter poterat. Decimotertio, Clericus falsi testimonii convictus, capitalis criminis reus censetur. 14. Clericus ad summum Sacerdotium alterius Ecclesiæ provectus, restituere debet Ecclesiæ, cui ministravit, quidquid ab ipsa dono acceperat. 15. Hæreticorum conviviis Clericos, Judæorum mensæ Laicos etiam Fideles assidere vetat. Canon decimus sextus Presbyteris permittit, ut hæreticos, quorum desperata valetudo est, si subito convertantur ad fidem, Chrismate conlinient. Decimus septimus testamenta Episcoporum, qui de bonis Ecclesiæ aliquid legaverint, irrita fieri jubet. Decimus octavus, Clericis res Ecclesiæ, sibi vindicare prohibet, nisi eas possederint ex remuneratione Ecclesiæ, cum auctoritate Principis.

Diaconissarum ordinatio abrogatur.

24. Decimus nonus Abbatem, qui ab Episcopo suo noluerit accipere successorem, ad Metropolitani tribunal deduci jubet. Vigesimus fœminarum visitationes, sine testibus, horis præsertim meridianis, & vespertinis, Clericis omnibus prohibet. Vigesimus primus Diaconissarum consecrationem abrogat, quibus solam Pœnitentiæ benedictionem decernit imponendam. Antea in Occidentali Ecclesia, sicut in Orientali ordinabantur; sed mos ille in Galliis abrogari cœpit concilii Epaonensis decreto. Hæc autem pœnitentiæ benedictio, non est intelligenda manuum impositio, quæ fiebat publicis Pœnitentibus, sed propositum continentiæ, quod ratum habebat, & precibus suis Deo commendabat Ecclesia. Quæ interpretatio colligitur ex Canone vigesimo Concilii II. Turonensis, qui hunc canonem laudavit. Vigesimus secundus Presbyterum, aut Diaconum capitalis criminis reum degradatione plectendum ad agendam toto vitæ decursu pœnitentiam delegat. Vigesimus tertius pœnitentiæ desertores excommunicat, nisi ad illam redeant. Vigesimus quartus permittit laicis, ut cujuscumque gradus Clericos accusent, modo vera suggerant. Vigesimus quintus Sanctorum Reliquias in Villarum oratoriis deponi vetat, nisi Clerici vicinæ Parochiæ psallendi frequentia ibidem

Sacrarum reliquiarum cultus.

fa-

a mulentur. 26. Altaria, nisi lapidea, Chrismatis unctione delibuta prohibet consecrari. 27. Eumdem ordinem & ritum in divinorum officiorum celebratione statuit observari in omnibus Provinciæ Ecclesiis, ac in Metropoli. 28. licere declarat Episcopos damnatos a suo decessore absolvere, si pœnitentes sint. Qua in re nimium scrupulosa erat quorumdam Antistitum religio, ne sui decessoris acta rescindere viderentur. 29. Lapsos, qui ab Ecclesia catholica ad hæresim defecerunt, post biennii pœnitentiam, admittit ad Eucharistiam, veterum canonum severitate temperata.

Matrimonii impedimenta declarentur.

25. Canon trigesimus, incestis conjunctionibus nihil veniæ reservandum statuit, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Si quis relictam fratris carnali conjunctione violaverit; si quis frater germanam uxoris suæ accipiat; si quis novercam duxerit; si relictam avunculi, vel patrui; si privignam, sive filiastram; sive consobrinam, vel sobrinam, inter impedimenta dirimentia numerantur; unde qui sic conjuncti sunt, habent ineundi melioris conjugii libertatem. Consobrinorum tamen matrimonia jam contracta non dirimunt Epaonenses Patres, sed ne in futurum fierent, prohibent. Hæc autem matrimonii impedimenta, propria, non precaria, aut a Principibus emendicata potestate invexit Epaonensis synodus, ait Natalis Alexander, Launoii sententiam confutans, qui hanc Principibus potestatem tribuit in libro de jure Principum in Christianorum matrimonia. 31. Canones Ancyranos circa Pœnitentiam homicidarum, qui sæculi leges evaserunt, observari decernit. 32. Relictam Presbyteri, vel Diaconi, ad secundas nuptias convolantem, pellit a communione, donec a conjunctione illicita separetur. 33. Ecclesias Catholicorum ab hæreticis occupatas ad sanctos usus revocari posse statuit; quæ vero solis hæreticorum conventibus inservierunt, dejiciendas esse, addunt Epaonenses Patres. 34. Biennii excommunicatione plectit eum, qui servum proprium occiderit sine sententia judicis. 35. Cives honoratos in Paschate, ac Natali Domini, ad civitatem, in qua residet Episcopus, accedere jubet, ut benedictionem accipiant. 36. Pœnitentibus in mortis discrimine positis constituta pœnitentiæ tempora relaxat; si convalescant, statutum per Canones tempus eos observare jubet. 37. Laicos, nisi præmissa conversione, & diu probatos, vetat Cle-

Jesu Chr. an. 517.

Clericos ordinari. 38. Clericos, qui monasteria Virginum ad rem Sacram faciendam ingrediuntur, statim egredi præcipit, exacto Ministerio; Clericum, & Monachum juvenem ad puellarum congregationem accedere prohibet. 39. Servum atrocioris criminis reum, si ad Ecclesiam confugerit, a corporalibus tantum suppliciis statuit absolvendum. Quadragesimus, Episcopos qui his canonibus subscripserunt, & eorum successores, reos Divinitatis pariter, & Fraternitatis judicio futuros declarat, si ipsos violaverint.

Lugdunense concilium ejusque canones.

26. Hoc etiam tempore alterum Lugduno celebratum est concilium, cui præfuit Viventiolus Lugdunensis Episcopus cum decem Episcopis, qui Epaonensi subscripti leguntur. Caussam huic synodo dederunt incestæ nuptiæ Stephani cum Palladia, quæ ibidem damnantur canone primo, ita ut quicumque talia perpetrare præsumpserit, *reum se consilio fraternitatis futurum esse cognoscat*, ut canone 6. & ultimo Patres declarant. Canone secundo hæc habentur: Si quis Antistitum ea de causa in aliquam molestiam incurrat, ceteri eodem animo compatiantur, *& consolatio fraternæ anxietatis revelet tribulatos*. Tertio, si Rex se ab Ecclesia, & Sacerdotum communione ultra, (vel ultro) suspenderet; Antistes se in monasterio absque dilatione recipiat, donec pacem integram Rex pro sua pietate restituat; nec ullus de monasterio discedat, donec cunctis pax fuerit promissa, vel reddita. Canon quintus Episcopos, qui alienas diœceses, aut ordinationum jura usurpant, a communione sacerdotali removet. Nullus viventis Episcopi locum subeat; secus tam ordinatus, quam Antistites, qui ejus ordinationi interfuere, perpetuæ excommunicationis sententia feriuntur. Hactenus hujus concilii canones.

Qui esset Stephanus ob incestas nuptias damnatus. *Martene vet. monument. t. 6. col. 779.*

27. Quis autem fuerit hic Stephanus, cujus causa hoc celebratum est concilium, unde Episcopi indignationem Regis subierunt, patet ex vita S. Apollinaris Valentiæ ad Rhodanum Episcopi ab auctore coævo scripta, in qua hæc leguntur: *Accidit, ut quidam ex officio Regis Sigismundi, nomine Stephanus, qui super omnem dominationem fisci Principatum gerebat, defuncta ejus conjuge, sorore uxoris suæ*, (quæ Palladia appellabatur ex canone sexto) *sibi illicite jam conjugio cumularet*, (lege copularet); *qua de re sancti ac beatissimi Apostolici viri Avitus, & Apollinaris secundum carnem germani*

mani synodalem institutionem servantes, cum reliquis Pontificibus in unum congregati, ipsum Stephanum sacra communione privari sanxerunt.... Tunc Rex diræ insaniæ permotus furore, beatissimos Pontifices eis insidias prætendendo, injuriare non desinebat. Sed Apostolici, atque mirabiles viri, terrenas res minime formidantes.. in oppido civitatis Lugdunensium, quod nuncupatur Sardinia, pariter tamquam exilio deputati, auxiliante Deo, comitantur: hæc ibi. JESU CHR. AN. 517.

28. Antequam ad hujus anni exitum perveniamus, cum impofterum Aviti nulla amplius memoria occurrat, quem uno aut altero ab hinc anno obiisse constat, tanto viro postrema persolvenda sunt; cujus elogium paucis his verbis Martyrologium Romanum complectitur: Viennæ Beati Aviti Episcopi, & Confessoris, cujus fide & industria, atque mirabili doctrina ab infestatione Arianæ hæresis Galliæ defensæ sunt. De quo cum plura superius dicta sint, hoc unum addere juvabit, eum scilicet pietatis, & eruditionis monumenta reliquisse, cujusmodi sunt epistolæ variis de argumentis num. 88. quarum sex ad Regem Gundebadum in quibus quæstiones ab eo propositas solvit; in prima duo Evangelii loca, illud scilicet, vos autem dicitis: *Si dixerit homo patri suo aut matri Corban*, & illud de nomine Racha, in qua etiam observat Missæ nomen a dimittendo dici, ideoque ait, *in ecclesiis, palatiisque sive Prætoriis missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur*; deinde contra Sacerdotes Gondebadi probat Spiritum Sanctum, non creatum esse, sed cum Patre & Filio coæternum Deum. In secunda, & tertia de Verbi incarnatione agit, quarum cum laude Gregorius Turonensis meminit; sed in historia Nestorii, & Eutychetis satis jejunum se prodit, cum sæpe quæ primo conveniunt, secundo adscribit, & sic viceversa. Epistola tertia silentium additamenti ad Trisagium, qui *Crucifixus es pro nobis*, hæreticis adscribit, cum viceversa Petrus Fullo, seu & Gnapheus illud trisagio addiderit. Quarta examinat duas sententias Fausti Rhegiensis, ex epistola ad Paulinum prima de pœnitentia momentanea, quam morituri agunt, contenditque falsum esse, quod a nonnullis putabatur, nihil eam iis prodesse; *Quocirca*, ait, *fateor in necessitate positis, non sine metu dari debere pœnitentiam*. Deinde probat fidem etiam sine operibus non fore omnino inutilem, cum par-

S. Aviti Vienn. Episcop. opera.

Martyrolog. Rom. die 5. Feb.

epist. 1. 2. 3. 4. 19. 28. 39.

De Missæ nomine.

Jasu Chr. na. 517. parvuli ſalutem ſine operibus conſequantur ; & in adultis ſit bonorum operum fundamentum . Ad eumdem Regem epiſtola 28. de Chriſti Divinitate agit , Arianorum , æque , ac Photinianorum hæreſim oppugnans ; Liber de Chriſti Divinitate a Floro Diacono vocata ; aliæ ad eumdem , de ſingularibus negotiis ſunt, idcoque ab iis recenſendis abſtinemus , ut quæ notatu digniora ſunt in aliis videamus.

Ceteræ Aviti epiſtolæ. 29. Epiſtola ſexta ad Victorium Gratianopolitanum Epiſcopum, contendit hæreticorum eccleſias, & quæ ad ipſas pertinent , ornamenta ſcilicet , vaſa , aliaque, a catholicis neque expetenda , neque occupanda , idque , ne fieret, canone edito in concilio Epaonenſi , cui præſuit, prohibuit; contraria tamen opinio ubique fere prævaluit, ut infra videbimus. Decima quinta, Victorio cuidam reſpondet , qui eum interrogaverat , quid agendum cum Vicomalo , qui matrimonium cum ſorore uxoris ſuæ defunctæ contraxerat , quæve iis pro tanto ſcelere injungenda pœnitentia eſſet, cui Avitus omnino ſeparandos eſſe conjuges dixit,& de pœnitentia ab iis agenda hæc addit : *Moneatur interim agere , accipere non cogatur. Si jubetis ad ultimum ſuggero.Excuſſus ab ſcelere,ſuſcipiatur ad veniam:patiatur pœnitentiam,cum perdit peccandi occaſionem &c.*:hæc notanda præcipue erant ex ejus epiſtolis, de aliis ad Sigiſmundum , ad Symmachum , & Hormiſdam Pontifices ſuo loco egimus; ex aliis ad Apollinarem fratrem , & viciſſim , agit de inſomnio habito poſt mortem ſororis nomine Fuſcinæ , & Virginis Deo dicatæ , eo quod in die anniverſario tranſitus ejus ſolitas preces Avitus omiſerat ; eidem ſorori dicavit Poema, ſeu potius librum verſibus ſcriptum de laude Virginitatis ; verſibus etiam ſcripſit libros quinque 1. de initio Mundi . 2. de originali peccato . 3. de ſcientia Dei . 4. de diluvio Mundi. 5. de tranſitu maris Rubri, quos libros invitus fere , ſuadente Apollinari fratre ſuo , in publicum edidit , in quibus tamen ſelicior , quam in proſa fuit. Homilias etiam quamplurimas dixiſſe Avitum ſcimus , quarum vix fragmenta ſuperſunt , ea excepta , quæ de Rogationibus habuit, quæ integra habetur; in ea narrat , quomodo , & qua de cauſa Mamertus, patris ſui in Viennenſi ſede deceſſor, eas inſtituerit , cujus meminit Gregorius Turonenſis. Viennenſis eccleſiæ exemplum, *ſequtæ ſunt ſucceſſu temporis quædam eccleſiæ Galliarum* ; *tamen , cum dilectione Rogationum etiam Sacerdotum creſcente* con-

(a) ep. 11. 12.

Greg. Tur lib. 2. hiſt. cad. 34.

concordia, ad unum tempus, idest ad præsentes dies, universalis observantiæ cura processit. De Rogationum origine, ac progressu ex hac homilia, cum de Mamerto Episcopo supra egimus. Nonnulla adnotavimus, unde de Avito satis hæc sint, cujus opera & fragmenta Sirmondus edidit.

JESU CHR. AN. 518. *Sirmond. to. 2.*

30. Sub hujus anni Coss. Marcellinus refert Gothorum equitatum orientis provincias incursantem, magnis affecisse cladibus: *Duæ Macedoniæ, Thessaliaque vastata est, & usque Thermopylas, veteremque Epirum, Getæ equites deprædati sunt. Mille tunc librarum auri denario per Paulum Anastasius Imperator pro redimendis Romanorum captivis Joanni Præfecto Illyrici misit. Deficiente pretio, vel inclusi suis cum domunculis captivi Romani tenti sunt, vel pro muris clausarum urbium trucidati*. His aliisque flagellis orientale Imperium his annis affligtabatur, atque ad pœnitentiam Deus vocabat.

Gothi orientem devastant

JESU CHRISTI AN. 518. HORMISDÆ PAP. 5.
ANASTASII IMP. 28.
THEODORICI REGIS 26.

1. In sequenti anno supra quingentesimum duodevigesimo Magnus sine collega consul fuit, ut fasti testantur, excepto Marcellino, & quidem ex Onufrii editione, nam meliores codices nactus Sirmondus correctiorem Marcellini editionem edidit, in qua hoc anno solus Magnus legitur. Ita Hesychius, patria Milesius, qui teste Photio historiam scripsit usque ad excessum Anastasii Imp., de eodem loquens ait: *Cujus obitus in undecimam incidit indictionem, Magno consule sine collega*: unde mirari subit, cur Basnagius, qui Pagium continuo præ oculis habuit, Florentium collegam Magno addiderit, indeque epistolam Hormisdæ ad Cæsarium Florentio Coss. signatam hoc anno collocaverit, quam datam diximus anno 515. Coss. Anthemio, & Florentio.

De Magno Coss. sine collega. *Geth in biblio: b.lod. 49. Basnag. ann. 518.*

2. His de consule hujus anni prænotatis, ad gesta eodem Coss. oratio transeat; atque inprimis Dardaniæ calamitas se offert, quæ, Marcellino teste, *assiduo Terræmotu adeo, concussa est, ut 24. Castella uno momento collapsa sint. Quorum cum habitatoribus demersa quatuor*

Marcell. in chron. Dardania terræmotu concutitur.

JESU CHR. AN. 518. *tuor dimidia ædificiorum suorum hominumque amissa parte destructa, undecim tertia domorum totidemque populi clade dejecta, septem quarta tectorum suorum tantaque plebis parte depressa, vicina vero metu ruinarum despecta sunt. Scupus namque metropolis, licet sine civium suorum hostem fugientium clade, funditus tamen corruit. Uno in castello regionis Canisæ, quod Sarnunto dicitur, ruptis tunc terra venis, & ad instar torridæ fornacis exæstuans, diutinum altrinsecus ferventesque imbrem evomuit. Plurimi totius provinciæ montes hoc terræmotu scissi sunt, saxaque suis evulsa compagibus, devolutaque arborum crepido per 30. passuum millia patens, & in 12. pedum latitudinem dehiscens, profundam aliquantis voraginem civibus, castellorum saxorumque ruinas, vel adhuc hostium incursiones fugientibus, jussa paravit.*

Anastasii Imp. obitus.

3. Anastasius inter hæc Imperator, renovata adversus catholicos persecutione sæviit, rebellionis prætextu eousque in eos, ut Regiam ipsam sanguine cruentaret, cumque Justinum & Justinianum quoque morti destinasset, quominus meditata perficeret, terribili visione, si vera narrat Zonaras, prohibitus est. *Anastasius vero paulo ante obitum, nuntiatis sibi insidiis, multos comprehenderat, atque inter alios Justinum, & Justinianum, qui post rerum potiti sunt atque animo habebat eos occidere: sed deterritus est somno. Cum ei vir terribilis adstitisse visus esset, ac dicere: Justino, ac Justiniano, ne quid mali feceris: nam uterque suo tempore Deo serviet.* At cum non multum delectemur somniis, ea consulto libenterque præterimus. Hoc certum est Anastasium Imp. hoc anno obiisse; unde Marcellinus in chronico: *Anastasius Imperator subita morte prævent us, major octogenario periit.* Evagrius vero: *Post hæc Anastasius . . . ad alteram vitam migravit, cum per annos 27., ac menses tres, diesque totidem Imperium Romanum administrasset.* Et initio libri quarti: *Anastasio igitur ex hac luce ad meliorem sortem translato, Justinus &c.* Theophanes: *Hoc anno indictione undecima, mensis Aprilis nono, Anastasius Impius Imperator occubuit: exegit in Imperio annos septem & viginti, mensesque septem, 34. supra ducentissimum anno a Diocletiani Imperio*; quem fulmine percussum interiisse narrat Victor Tunonensis: *Agapito Magno Coss. Anastasius Imperator, intra Palatium suum tonitruorum terrore fugatus, & coruscationis jaculo percussus, in cubiculo, quo absconsus fue-*

Zonaras annal. pag.

Evag. Marcel. Cyrillus in vita Sabæ. Marcel. Evag. lib. 3. cap. ult. in fine, & lib. 4. in primo. Theoph. in chronog.

fuerat, moritur, & cum ignominia atque consuetis exequiis ad tumulum ducitur. Tunonensi consentit Cyrillus in vita S. Sabæ: *At Beatus Sabas notato die, reversus Hierosolymam agnovit, nocte decimæ diei Julii mensis, qua Patriarchæ Eliæ visum objectum est, tonitruis, & fulguribus circa Palatium volutatis Imperatorem Anastasium omnino solum fere absumptum, eumque animo concidentem, ac de loco in locum fugientem, in uno e parvis cubiculis ab ira divina comprehensum fuisse, prostratum, occisumque, ita ut repente mortuus inventus sit*: sicque infelici suo exitu docuit, quam abominandæ sint Deo elatæ mentes, ejusque, qui Romano Pontifici scripserat, *non patiar mihi juberi, detracta est ad inferos superbia, concidit cadaver tuum*.

Vita Sabæ ex Cotel. p. 326.

Isai. 14.

4. Eodem tempore, quo hæc Constantinopoli contigerunt, Deo revelante, Eliæ Hierosolymorum Episcopo, qui in Ailem exulabat, & S. Sabæ qui ad eum venerat, cognita fuerunt; unde Cyrillus, in vita S. Sabæ: *Sanctus Pater noster Saba octogesimo ætatis anno, circa æstivum solstitium indictionis undecimæ, ex Dei dispensatione, ad Archiepiscopum Eliam, in Ailem profectus est, secum ducens Stephanum monasterio magni Euthimii præfectum, & Euthalium Monasteriorum ejusdem Eliæ Patriarchæ Jerichuntinorum præpositum: quos cum lætitia susceptos Patriarcha Elias apud se aliquot diebus tenuit; per quos dies a dimissione quidem lucernarii usque ad horam nonam ipsis non se reddebat conspicuum; circa horam autem nonam egrediebatur, & cum illis communicabat, atque vescebatur, post lucernarium recedebat. Dum ergo ita ageret, contigit ut nona mensis Julii die, pro solito non exiret. Illis autem expectantibus, & neque communicantibus, neque quidquam gustantibus, egressus circa horam sextam noctis, dixit; Vos cibum sumite; non est enim mihi otium. Cumque sanctus Sabas teneret eum, & quodam modo cogeret ad dicendum quid haberet; collacrymans respondit: Hac hora migravit e vita Anastasius Imperator; oportet me prorsus post decimum diem excedere, & cum eo disceptare ac judicari. Tum de Monasteriis suis mandavit, ut post obitum Euthalii & Zacharias suo quisque tempore gubernationem exciperent, statuitque, ne auderet quispiam a se invicem Monasteria ipsius dirimere. His constitutis, octo diebus post visum superstes, sola communione & misto liquore contentus, ægrotavit parumper. Cum*

Eliæ Hierosolym. Episc. & Sabæ mors Anastasii revelatur.

Vita Sab. cap. 60. pag. 324. apud Cotel. monum. Eccl. Græc.

Jesu Chr. an. 518. *Cum autem Sabas, & qui cum eo erant non discessissent ab ipso per tres dies, vigesimo mensis Julii, post communionem, & preces, dictoque Amen, in pace in idipsum dormiit, ac requievit, totius vitæ annis octoginta octo decursis. At beatus Sabas notato die, reversus Hierosolymam, agnovit, nocte decimæ diei Julii mensis, qua Patriarchæ Eliæ visum objectum est, tonitruis & fulguribus circa palatium volutatis, Imperatorem Anastasium obiisse*. Eliæ addendus Flavianus Antiochenus Episcopus, qui sicuti in passionibus socius (Petræ enim tunc exulabat) ita, & gratiarum Dei particeps fuit, qui etiam licet absens, Imperatoris mortem cognovit, eodemque die, quo Elias Hierosolymorum Episcopus obiit, & ipse defunctus est; quorum nomina die quarta Julii Martyrologio Romano Baronius inscripsit.

Prat. Spirit. cap. 33.

5. Mortuo Anastasio (die 9. Julii ut diximus), qui superbos disperdit, deponitque potentes de sede, & exaltat humiles, *suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui*; Justinum ex stabulo, si primordia respicias, ad Imperii fastigia evexit, qui ex pastore gregarius miles, deinde ad primos ordines evectus, Præfecturam Prætorii obtinuerat: *Mortuo Anastasio, Justinus Imperium suscepit, Anastasii propinquis omnibus, quamvis & magnus eorum esset numerus, & summus splendor, a successione submotis*. Quod sane præter omnium expectationem contigisse adnotat Evagrius. Ex oppido Badriana, quæ Illyriæ, & Thraciæ agris limitanea erat, Justinus fuit, hinc aliqui Illyricianum, Thracem alii eum fuisse dicunt, quia cum Badriana utrisque provinciis limitanea esset, utrisque facile attribuebatur, & quod mirum est litterarum adeo rudis, ut ne nomen suum excribere didicerit. De Justini origine, &moribus Procopius audiatur. *Bizantii Leo summam habebat Imperii, cum tres in Illyria nati exercendisque agris assueti adolescentes, Zimarchus, Ditybistus, & Justinus (cujus Bederiana patria fuit) summæ, qua domi premebantur, egestatis vitandæ causa militiam sequuntur, pedibusque Byzantium veniunt, rejectis post terga sagis, in quibus præter secundarios panes, nihil eis, quod reconderent, ex re domestica fuit. Numeris militaribus inscripti ab Imperatore, utpote egregia corporis forma conspicui, ad Regiæ custodiam seliguntur*. Paulo post: *Tempore deinde pro-*

Justinus Imperat de ejus stirpe, & patria *psal. 112.*

Procop. de bello pers. lib. 1. cap. 11.

Evag. lib. 4. cap. 1. Theod. lector. Theoph. victor. Tunen. Zacharias apud Evag. chron. Alex. Procop. hist. Arcana cap.

procedente magnam is (sc. Justinus) *consequitur potentiam Praetorianis militibus praefectus ab Anastasio Principe, quia ubi fato concessit, ea fretus Justinus Praefectura capessivit Imperium, senex jam licet capularis, & quod Romanis antea non evenit adeo litterarum expers, & quod dicitur, analphabetus, ut cum sui soleat nominis apices libellis indere princeps, cum quid imperat faciendum; ipse neque imperare, neque compos esse posset rerum gerendarum; sed Proclus, qui officio Quaestoris fungebatur, eique assidebat, omnia faceret pro arbitrio*. Haec de Justino Procopius, qui de conjuge ejus haec addit: *Conjux vero ejus, cui nomen Lupicina fuit Serva, eaque barbara, sui pellex emptoris Justini, & ad usque vitae exitum Imperii socia. Neque malo subjectis, neque bono esse Justinus quidem potuit, insignis homo stoliditatis, summa cum infantia, summaque cum rusticitate conjunctae*. Monitum tamen hic lectorem volumus, non omnibus, quae Procopius in sua historia arcana narrat, fidem habendam, quippe quam constat infenso animo, ac venenato calamo scripsisse; nil ergo mirum si de Justino, ejusque uxore haec scripserit, quorum nepos ex Justini sorore, erat Justinianus, quem in ea historia probris, ac maledictis vexat: ea itaque sumenda, quae historiae lumen afferunt; caetera prout ex aliis testibus comprobantur. Oscitanti porro, vel potius dormienti Pagio excidit, de eo Prudentium loqui libro contra Symmachum, integro enim saeculo Prudentius Justinum praecessit, ideoque nec Anicium, nec alio nomine, (ni fortasse Prophetico S. Spiritu) vocare potuit.

Amantius aliique Justini jussu ad supplicium ducti. *Evagr. lib. 4. cap. 2.*

6. Divino magis, quam humano consilio factum credimus, ut Justinus caeteris praeponeretur, qui & invitus fere ad Imperialem thronum ascendit, ut ex epistola mox recitanda ad Hormisdam: at Amantii artibus, & poecunia, Justino Imperium cessisse narrat Evagrius. Verum sive invitus, aut Amantii opera Imperium adeptus fuerit Justinus, id certum est, quod etsi in eo aut generis nobilitas, aut bonarum artium studium desiderabatur, pietas tamen, ac catholicae Fidei zelus (quae potiora sunt) non deerant, quas virtutes ad Imperium evectas, una secum regnare fecit. Imperio autem potitus, *Amantium, & Theocritum, cum aliis nonnullis, e medio sustulit*, addit Evagrius. Diem coedis Amantii, ejusque causam prodit Procopius historia

Jesu Chr. An. 518.

arcana cap. 6.: *Vix decimus dies abierat, ex quo cum potestate fuit, & Amantium Eunuchorum aulæ Principem cum nonnullis aliis interfecit, in crimen illum tantum ducens, quod nescio quam vocem petulantius in Joannem jactavit, urbis Antistitem.* Meritas tamen pœnas dedit Amantius eunuchus de perfidia, qua per plures annos hæresi Eutychianæ patrocinatus fuerat. De Amantii supplicio, aliorumque sub consulibus anni sequentis hæc adnotat Marcellinus: *Amantius Palatii præpositus, Andreas, Masael, & Ardabur cubicularis, Manichæorum fautores, & Justini deprehensi sunt proditores. Quorum duo, Amantius, & Andreas, ferro trucidati sunt. Misael & Ardabur Sardicam in exilium missi. Theocritus Amantii satelles, quem idem Amantius Præpositus ad regnandum clam præparaverat, comprehensus, & in carcere saxis contusus ingentibus periit, salsoque in gurgite jacuit, sepultura quoque cum Imperio, cui inhiarat, caruit.* Hæc anno sequenti; quæ tamen paucos post dies contigisse ex Procopio constat, eodemque tempore, quo Constantinopolitana plebs Justinum salutavit, Amantii sanguinem repetitis clamoribus petiit, in hunc modum: *Novum Tsumam ejice foras, novus Tsumas Amantius est, Nugatorem ejice de palatio.* Imperium vero vix adeptus Justinus, *uxorem Lupicinam, mutato ejus nomine in Euphemiam, diademate ornavit, & Augustam appellavit.*

Marcell. in chron.

Zonar. annal. lib. 14. cap. 5.

Acclamationes Episcopo & Imperatori in ecclesia factæ.

7. Ob tantam rerum mutationem repente factam, quanta fuerit catholicæ plebis lætitia & exultatio, repetitæ populi acclamationes in ecclesia coram Joanne Episcopo, & Imperatore die XV. Julii, quæ Dominica erat, & sequenti XVI. testantur, quæ in synodo sub Menna anno 536. sunt recitatæ, cum tabulis sacra nomina S. Leonis Papæ, nec non Euphemii, & Macedonii Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ Episcoporum, exposcente populo in dyptica iterum inscripta fuere: *Introitu facto secundum consuetudinem in sanctissima magna ecclesia nostra, die Dominica, 15. præsentis mensis Julii, indictione XI. a Domino sanctissimo Archiepiscopo, & Æcumenico Patriarcha Joanne (sicut non ignorat vestra erga Deum dilectio) dum ipse una cum venerabili Clero esset circa ambonem, voces factæ sunt a populo dicentes: Multi anni Patriarchæ, multi anni Imperatori, multi anni Augustæ, multi sint anni Patriarchæ: Quid manemus incommunicati? Per*

Per tot annos quare non communicavimus? ex tuis manibus communicare volumus. Heus ascende ad ambonem. Heus persuade populo: per multos annos communicare volumus. Orthodoxus es, quem times? digne Trinitate. Multi sint anni Imperatoris, multi anni Augustæ, Severum Manichæum foras ejice: qui non loquitur, Manichæus est: effodiantur ossa Manichæorum. Sanctam Synodum modo prædica. Multi sint anni Imperatoris. Multi sint anni Patriarchæ, digne Trinitate. Hæc aliaque hujusmodi, sæpe repetita, ut ibidem videre potes. Nescit enim frena gaudium, & lætitia exuberans. Sed acta prosequimur. *Hæc cum exclamassent, data est eis responsio a Sanctissimo, & Beatissimo Archiepiscopo & Patriarcha Æcumenico Joanne: Hæc patienter sustinete, fratres, ut prius adoremus sanctum altare, & post hoc do vobis responsionem. Et cum intrassent in sanctum altare, manserunt clamuntes: Multi anni Imperatoris, multi anni Augustæ. Heus obtestor, non exibis, nisi anathematizes Severum. Anathema Severo aperte dic: Heus refera. Heus obtestor: Multi anni Imperatoris. Et demum ascendens super ambonem sanctissimus ac beatissimus Archiepiscopus & Patriarca noster Æcumenicus Joannes, acclamavit hæc: Scitis labores meos, dilectissimi, quos & in antiquitate existens subivi, & nunc sustinui pro fide, & sustineo usque ad mortem &c.* Cumque repetitis vocibus instaret populus, ut Joannes Patriarcha Chalcedonensem synodum laudaret, & in Severum anathema diceret, iis tandem satisfacere coactus est; sicque collecta illius diei finem habuit.

Joannis CP. Episcopi responsio ad populum.

8. Die sequenti cum iterum convenissent in ecclesia clerus, populusque, ut Joannes amboni accessit, pristinæ acclamationes renovatæ sunt: *Multi anni Patriarchæ: Multi anni Imperatori: Multi anni Augustæ: Novo Constantino, multi anni: Novæ Helenæ multi sint anni. Reliquias Macedonii Ecclesiæ restitue. Justine Auguste, tu vincis: Eos, qui sunt in exilio propter fidem, restitue. Exhumentur ossa Nestorianorum: Exhumentur ossa Eutychianorum. Quis est Nestorianus, ego nescio: Anathema sit ipse a Trinitate. Quis est Nestorianus, ego nescio: Anathema sit ipse cum Eutychete. Exhumentur ossa Nestorianorum: Exhumentur ossa Eutychianorum. Manichæos ejice foras. Justine Auguste, tu vincis. Severum Judam ejice foras. Manichæos de Ecclesia ejice: Duos Stephanos ejice foras.*

Aliæ populi CP. acclamationes & petitiones.

JESU CHR. AN. 518. *foras. Novus Ezumas Amantius est. Maledictum ejice de Palatio. Euphemium, & Macedonium Ecclesiæ*, scilicet restitue. *Synodica Romana modo valeant &c.* cumque renovatis sæpe acclamationibus petiissent, ut dypticis nomina Euphemii, Macedonii, & S. Leonis Papæ inscriberentur, cum quatuor synodis; Joannes CP. Episcopus laudata eorum fide, eamdem se quoque sequi testatus est. At populus, ut iis tunc satisfaceret, instantius rogabat his aliisque verbis: *Diptycha modo porta. Orthodoxi Imperatoris multi sint anni: Novæ Helenæ multi anni. Si habes Dominum, modo porta diptycha. Si habes Augustum, Diptycha modo porta. Canones non rejecerunt istos. Heus ordina: Heus ordina.* Cumque in iis perseverarent, clamantes: *Nullus modo egrediatur: Obtestor te, portas claude. Fratres Orthodoxi una anima: Fratres per fidem una anima.* Ita plane mutua caritate juncti erant: quod quidem specimen unitatis Catholicæ egregium iidem ante ediderant sub Anastasio, cum (ut diximus) sæpe sæpius ejusmodi acclamationibus & conclamationibus, & Imperii statum, & vitam ipsius in discrimen adduxerant. His vero Joannes subdidit: *Quod omne studium posuerimus complacere vobis, & scandalizatos vos conservare, clare cognoscitis. Sed quoniam omnia canonice, & bono ordine fieri oportet, permittite nos congregare Deo amantissimos Episcopos, ut secundum divinos canones omnia proveniant, consilioque & jussu piissimi Imperatoris nostri: omnes enim acclamationes vestras suæ serenitati aperiemus. Et cum ipsi clausissent portas, in iisdem acclamationibus permanentibus, accipiens diptycha sanctissimus, & beatissimus Archiepiscopus, & Patriarcha Æcumenicus Joannes, jussit ordinari sanctas quatuor Synodos, sanctorum Patrum videlicet in Nicæa congregatorum, & in Constantinopoli similiter convenientium sub Nectario sanctæ memoriæ, & in Epheso congregatorum super depositione Nestorii, nec non illorum de Chalcedone super dejectione Eutychetis, & ejusdem impii Nestorii. Ordinarique jussit nomina in sancta memoria defunctorum Archiepiscoporum hujus regiæ Urbis Euphemii, & Macedonii, ac etiam Leonis Romani Pontificis. Tunc voce magna omnes de Populo tamquam uno ore clamarunt: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem populo suo &c.*

Quatuor concilia Dypticis restituuntur.

Luc. 1.

SynodusCPolitana Episcopos & quatuor concilia

9. Ut autem ea, quæ juxta populi vota tumultuario in ecclesia gesta fuerant, firmiora essent, post quatuor dies (die

(die scilicet 20. ejusdem mensis Julii) Joannes CP. Episcopus, congregatis in urbe regia 40. Episcopis, qui in ea erant, vel ex vicinioribus locis convenerant, ea iterum rata esse voluit, ac per Synodi definitionem confirmari, in qua iterum Chalcedonensis synodus dypticis est restituta, sicuti & nomina S. Leonis Papæ, Euphemii, & Macedonii CP. Episcoporum, ac repetito anathemate Severus, aliique ejusdem concilii adversarii notati sunt. Synodo oblatus est a Monachis Orthodoxis libellus, quinque continens capita, quorum primo petebant, ut synodi auctoritate Euphemii, & Macedonii olim CP. Episcoporum nomina dypticis restituerentur. Quare post diligentem gestorum examinationem, quod jam factum fuerat synodus confirmavit. Secundo capite petebant, ut qui propter causam prædictorum Patrum (Euphemii, & Macedonii) in exilium ejecti fuerant, propriis gradibus restituerentur, atque hoc etiam synodus comprobavit, ut prædicti adjuventur, & adducantur ad piissimum & serenissimum Imperatorem nostrum. Tertio capite postulabant, ut pro majori Scripturarum auctoritate, sancta & magna Synodus trecentorum decem & octo Patrum congregatorum in Nicæa, qui sanctum fidei Symbolum definierant, & quæ Constantinopoli sub Nectario sanctæ memoriæ congregata est, & prædictum sanctum Symbolum trecentorum decem & octo Patrum confirmavit, ponatur in sacris diptychis. Desideratur comprobatio duorum reliquorum Conciliorum Ephesini, & Chalcedonensis, quæ pariter ab ipsis probata constat. Quarta Monachorum petitio continebat, ut nomen sanctæ memoriæ Præsulis Romanorum Leonis in sacris libris similiter prædicaretur, quod etiam confirmatum a synodo fuit. Quinto demum capite continebatur, ut gesta contra sanctam Chalcedonensem Synodum, & blasphema verba contra ipsam a Severo Antiocheno Episcopo prolata condemnarentur; quare dictis, scriptisque Severi examinatis, hanc in eum synodus sententiam tulit: Quapropter non solum tamquam blasphemum, sed & tamquam calumniatorem, & omnibus sanctis Synodis per istam Synodum injuriantem, prædictum Severum omni honore destitutum esse statuentes, anathemati subjicimus. Hæc a nobis examinata & firmata, ad sanctum nuncium tuæ Beatitudinis festinanter exaravimus, & propria manu subscripsimus, & afferri subordinavimus exhibitos nobis libellos ad agni-

JESU CHR. AN. 518. Dypticis restituit.

Synodi sententia contra Severum.

Jesu Chr.
an. 518.

agnitionem veritatis, ut & hæc per vestram Beatitudinem veniant ad potentissimum & serenissimum Imperatorem nostrum, & ad piissimam ac Deo amantissimam Augustam, & ad gloriosum ipsorum ac magnum Senatum. Hactenus Synodalis relatio, cui post subscriptionem quadraginta Episcoporum adjectus legitur monachorum libellus.

Joannis CP. Episc. epist. ad Orientales

10. De his, quæ in synodo CP. gesta sunt, Joannes Episcopus Orientales Episcopos certiores reddidit, datis ad eos epistolis, quarum nonnullæ adhuc supersunt, scilicet ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum, & ad Epiphanium Tyriensem, quæ in synodo CP. sub Menna sunt recitatæ, ad Epiphanium post aliqua ajebat: *Igitur cum sancta Synodus in Christo amata civitate ex diversis provinciis congregata, manifesta fecerit ea, quæ gesta sunt contra inimicos veritatis, omnino necessarium judicavi & tuæ mittere caritati, ut cum ea, quæ ab ipsis, & per ipsos firmata sunt, legeris & intellexeris, sanctissime, & consentaneus, & ejusdem animi sis, & tandem si aliquando inimici te circumdederunt, libereris. Universa igitur gesta contra inimicos veritatis manifesta facere religiosissimis & ejusdem Fidei comministris, & monachis, ac Christo amantissimis populis, sicut certe teneris, stude, Deo amantissime.* Hæc ad Epiphanium. Ejusdem argumenti est altera ad Joannem Hierosolymorum, cujus initium est: *Christus Deus noster*.

Tom. 5. pag. 186.
Joannis CP. epistola ad Epiphanium TyriEpiscop.

Catholica Fides libere prædicatur.

11. Cum igitur per litteras Joannis orbi Orientali innotuit, atque ex missis Actorum exemplaribus pariter certum exploratumque fuit, Justinum Augustum esse Catholicum, atque fidei Orthodoxæ patrocinari; mox erectus est animus Orthodoxorum Episcoporum, illorumque potissimum, qui timore persecutionis sub Anastasio Imperatore, vel latebras captaverant, vel communicatione hæreticorum se turpiter polluerant. Illo itaque mortuo, ut cessavit exactor (sicut est sermo propheticus) quievit tributum, ad impertitam ex insperato pacem Ecclesiæ respirare cœperunt, & sub Orthodoxi Imperatoris patrocinio sumpsere ingentes spiritus Episcopi omnes, quibus vel exiguus saltem vitalis calor Catholicæ Fidei reliquus adhuc erat. Excitati vero hujusmodi Constantinopolitani Antistitis litteris, veluti milites classico excitati in ultionem impietatis armantur, coeunt simul jungentes spirituales copias, in diversis enim provinciis delectum

Isai. 14.

ctum habentes, Orthodoxos convocant ad Synodos celebrandas Episcopos; in quibus adversus impietatem, & impios ardentioribus animis concertantes, perfidiam cum ejus sectatoribus sternunt: sicque stratam, atque protritam Fidem Catholicam erigunt, & in pristino majestatis suæ throno honorifice collocant; simulque Synodales reddunt ad Synodum Constantinopolitanam epistolas, quibus se confirmare cuncta, quæ essent acta CP., significant. Quot autem ea de causa habitæ sint Orthodoxorum Episcoporum in Oriente synodi, in obscuro est, sed in singulis fere provinciis celebratas fuisse dubitari vix potest. Hierosolymitanæ, ac Tyriæ acta supersunt, reliquarum nec memoria remansit. Hierosolymitanæ interfuerunt Episcopi 33., cujus synodalis epistola ad Joannem CP. hæc habet: *Domino meo Amantissimo, & sanctissimo Comministro Joanni, & sanctæ Synodo in Constantinopoli congregatæ, Joannes Dei miseratione Episcopus Hierosolymorum, & sancta Synodus trium Palæstinarum existens sub sanctis locis Christi Dei omnium in Domino salutem. Quoniam duplex est lacrymarum motus, alter quidem qui in dolorem fert, alter vero qui in lætitiam &c.* Post plurima se confirmare, rataque habere ait cuncta, quæ pro confirmatione Concilii Chalcedonensis, & pro restituendis nominibus Orthodoxorum, deque damnatione hæreticorum ab ipsa Synodo Constantinopolitana acta essent. Ad finem vero ejusdem Synodalis epistolæ, symbola communicationis adjungens, hæc ait: *Congratulantes itaque in his vestræ Sanctitati, & consentientibus his, quæ a vobis facta & scripta sunt, & vobis communicativi existentes, propheticum illud eloquium dicimus: Celebra Juda festivitates tuas, redde Domino vota tua: ideo non apposuisti, ut ires in vetustatem. Nobiscum ergo eadem orate, Sanctissimi: communia enim sacerdotum sunt. Et sanctam & glorificatam Virginem Dei genitricem Mariam una nobiscum supplicate intercedere pro pace sanctarum Ecclesiarum, & victoria, & perpetuitate piissimi, & serenissimi Imperatoris.* Hucusque Synodalis epistola Hierosolymitani concilii.

12. Tyri autem coactam synodum, ex Synodali itidem epistola scimus; habita ea est, in mense secundum Tyrios Loo vigesima octava, sive Septembris 16. indict. 12. Peculiari epocha utebantur Tyrii, de qua legendus Norisius. In epistola synodali ad Joannem CP. & synodum hæc habet

Jesu Chr. an. 518.

Synodalis epistola concil. Hierosol.

De synodo Tyri coacta.

Norisius de epochis Syro Macedonum dissert. 4. c. 2.

Jesu Chr. an. 518.
Tom. 5. pap. 194.

bet Epiphanius suo, & synodi nomine. *Benedictus Deus pacis Dominus &c.*, quibus quæ Constantinopoli sunt gesta collaudant, & confirmant. De nefario, ac impio Severo Antiochenæ ecclesiæ invasore hæc addunt: *Vestræ ergo justæ condemnationi dignus visus est impius Severus, qui ad blasphemiam simul & calumniam, linguam quam, habet, acuit adversus Sanctam magnam Chalcedonensem synodum, & se ipsum justificat ex impio sensu, & maligna intentione. At Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi potentia ipsum de prato ecclesiæ justa sententia extraxit . . . . per quam & nos assentientes efficimur, eosdem nexus in illum inferentes, quos honorabilis littera Sanctitatis vestræ canonice infert.* De gestis autem a scelerato viro hæc subjiciunt: *Quisnam sermo sufficiat ad enumerationem eorum, in quibus ille peccavit contra divinos canones, & ecclesiasticum ordinem? Erexit supercilium in arrogantiam, & fastuosus in anathematizationibus videtur, & in impiis conscriptionibus adversus Sanctos Patres; & quod verius est, adversus spiritualem doctrinam divinorum Apostolorum, ipse se ipsum in redargutionem disponit in universis vanis sermonibus, quos scripsit.* Deinde narrant, quomodo Diaconos, & Presbyteros alienæ Diœcesis in suam pertraxerit hæresim, aliosque sibi resistentes injuste presbyteratus honore privaverit: insuper de ordinationibus Episcoporum per ipsum, aut Stephanum suum ministrum, in alienis Diœcesibus factis, quarum exempla plurima refert, sed alia etiam ab eo patrata crimina, addit. His subdit Epiphanius, Joannem clericum Pammonarium Severi amicum in Tyriensi ecclesia, quod *inter alia, & venerabilis Crux lapidata est ab his, qui cum ipso nidificant in prædicto oratorio Dei Genitricis, & quidem de multitudine christianorum, & venerabilium Clericorum flagellati fuerunt. Contigit autem & me Tyrorum Episcopum usque ad mortem periclitari, propterea quod ipse cum iis, qui sibi assentiuntur, insidias parabant.* Vidisti qualia esse soleant opera hæreticorum Crucis Christi inimicorum. Habent plane, quibus manus exosculentur recentiores hæretici, dum Crucis signum gravioribus afficiunt ignominiis. His addit Epiphanius se percepisse, quod ab eis decretum fuerat, nempe ut nomina Euphemii, & Macedonii exulum pro fide Episcoporum defunctorum in sacras tabulas restituerentur: insuper rogat, ut S. Flavianus Orthodoxus Antiochenus

Quare Severus contra canones egerit.

Sacrilega facta hæreticorum in Crucem.
Tom. 5. pag. 198.

tiochenus Episcopus in exilio mortuus, sacris diptycis restitueretur.

13. Episcopi etiam secundæ Syriæ probantes ea, quæ Constantinopoli adversus hæreticos gesta fuerant, reddiderunt pariter litteras Constantinopolim ad Joannem ejus civitatis Episcopum, quarum exordium est: *Cum ad multitudinem malorum &c.* iisque scelera Severi, & Petri Apameæ invasoris Ecclesiæ summatim narrant; scelera, homicidia scilicet, ebrietates, obsidiones monasteriorum, impudicarum mulierum introductiones in sacro Templo, perjuria, blasphemias, ordinationes cum datione pœcuniarum, & his horridiora & majora, quæ exponere longum esset, atque his addiderunt libellos synodo CPolitanæ a Clero Apameæ, & a Monachis Syriæ oblatos.

De litteris Episcoporum Secundæ Syriæ. *Tom. 5. pag. 211.*

14. De Petro, cujus mentio occurrit, Apameæ pseudo Episcopo, Severo in hæresi, ac moribus omnino simillimo, nefaria scelera narrantur in libello a Clero ejusdem ecclesiæ, una cum epistolis Episcoporum secundæ Syriæ Constantinopolim misso. Quæ vero, quantave fuerint, longum esset exponere, cujus impietas, & luxuria eo processit, ut ne quidem sacra loca illæsa reliquerit. Inter cœtera conqueruntur, quod sanctissimorum virorum nomina e Dypticis ejecerit, quorum loco inscripsit Joannis, Dioscori, & Timothei, hisque similium; deinde cum lectores *starent cum decenti cogitatione, & appeterent majorem gradum: Surrexit* (Petrus) *cum audacia magna, & sine ulla ratione hanc vocem emisit: Nisi tacebitis*, inquit, *in Subdiaconos vos ordinabo, & ipse qui Crucifixus est, descendens non liberabit vos a manibus meis*, alia blasphema verba ab eo dicta in Apostolum Paulum, ibidem leguntur. Deinde in ecclesias, & altaria imprecans dixit: *Omnes ecclesias, & altaria comburet Deus, & faciat acervum unum.* Quantum vero impuris esset moribus, totumque respersum cœno libidinum, iidem narrant: nempe ipsum cum infamibus mulieribus sermones miscuisse in ecclesia impudicos, & quod in baptisterio ecclesiæ sanctæ Mariæ, posita illic quadam fœmina Maria ad baptismum nudata, ipse nefarius intrans in baptisterium solus, ejectis omnibus, cum illa permanserit; habuisseque etiam in deliciis subintroductam feminam Stephanam cognomento Pterovoram, celebrans insuper incruentum sacrificium, oculos ad mulieres conversos haberet, excrea-

Petri Apameæ immania scelera.

Ejus blasphemiæ.

Petri Apameæ Episcopi libidines.

Jesu Chr. AN. 518. tionibusque eas ad reciprocum excitaret intuitum, sputis interea libidinis nunciis inquinans sacrum altaris tegumentum, armatis insuper sceleratorum turmis impetum in monasterium S. Dorothei fecisse, ubi pulsis, & flagellatis monachis, meretrices, illic saltantes, & obscæna quæque nefanda patrantes introduxisse. His addiderunt ab eodem venundatas fuisse ministrorum ordinationes. Nec illud prætereundum inter alia ipsi Petro crimini datum, quod candida indutus veste publice incederet præter sacerdotum morem. Subscripserunt epistolæ Clerici omnes ejusdem Ecclesiæ Apameæ professi fidem Catholicam. Addiderunt autem his litteris post subscriptionem iidem Clerici ad eosdem Orthodoxos Episcopos Syriæ in Synodo congregatos contestationem, qua petierunt a se scriptam epistolam mitti Constantinopolim, atque ut operam darent, ut eadem ab ipsis scripta nota fierent Imperatori, ac magistratibus, quod diligenter præstitum est: insuper & acclamationes ab iisdem Apameæ Ecclesiæ Clericis factas itidem subjici voluerunt, quibus & declamata fuere ejusdem Petri scelera, eademque omnia postea in Synodo contra Anthimum habita recitata fuere.

Quanta Monachi passi sint ab hæreticis.

15. Monachi etiam ejusdem Apameensis ecclesiæ libellum Syriæ Episcopis dederunt, cujus initium est: *Docuerunt nos divinæ Scripturæ*, & de his, quæ passi essent ab hæreticis monachi fidei Orthodoxæ cultores, historiam recitant memoria plane dignam, his fere verbis. Alios quidem (inquiunt) corripuerunt, alios vero in captivitatem traxerunt, nonnullos vero vestibus nudarunt, & alios detritis corruptisque vestibus, tamquam in triumphum per ludibrium circumquaque duxerunt &c. Verum cum tam magnas offensiones parvas putaverint, ad eremum exercitum rusticorum mittentes, & noctis tempore ingressi, quosdam interfecerunt, plurimos vero verberarunt, substantias monasterii subripientes. Easdem, aut atrociora in Monasterio Oragorum commisit. Nam venerabiles ac orthodoxos monachos, qui ibidem in honorem futuræ celebritatis congregati fuerant, interfecit, sicque cruentis manibus adstabat altari. Hæc & alia de sceleribus Petri Archimandritarum litteræ, quibus numero decem & octo subscripti habentur, atque inter eos primo loco Alexander Archimandrita monasterii S. Maronis, cujus monasterii Monachi Maronitæ dicebantur, sicut & Studitæ a monasterio Studii.

16. Sed

16. Sed quæ Clerici Ecclesiæ Antiochenæ de Severo ejus Sedis invasore scripserint hoc eodem tempore ad Joannem Constantinopolitanum Antistitem, & Synodum ibi coactam, videamus: Intueberis sane madidas lacrymis litteras commiseratione dignissimas, non sine lacrymis scriptas, neque sine suspiriis lectas, nec sine immenso dolore postea in Synodo adversus Anthimum recitatas, quæ quidem sic a lætis incipiunt, ut majorem excitent dolorem legentibus: *Nunc est, si quando fuit tempus, beatissimi Patres, omnes Orbis sanctas Dei Ecclesias, tamquam ex uno ore, propheticum illud clamare: Lætentur Cœli, & exultet terra, & omnia quæ in eis sunt, quoniam misertus est Deus populi sui*. Deinde homicidia sanctorum Monachorum patrata ab eo addunt, ita ut sanctissimi viri, qui religiosis certaminibus usque ad caniciem certaverant, nudi & insepulti jactati ultra trecentos canibus & avibus lacerandi jacerent. Similia sunt, quæ in xenodochiis, & hospitalibus ab ipso facta sunt. Insuper altaribus ipsis non pepercit, neque sacris vasis, quorum alia conflans, similibus sui erogaverat, ac *Columbas aureas, & argenteas, in formam Spiritus Sancti super divina lavacra, & altaria appensas, una cum aliis sibi appropriavit, dicens, non oportere in specie Columbæ Spiritum Sanctum nominare. Pecunias etiam, & domos, & quæcumque in optimis fundis erant, exportavit, & expendit, & gravissimis usuris Ecclesiam obruit*. Quare rogant, ut Antiochenam ecclesiam ab eo tiranno liberarent, exacta ab eo pœna eorum, quæ contra canones & politicas leges egerat. His addunt, ut Episcopi, Clerici, Monachi, aut laici, qui in exilium ejecti fuerant, propriis civitatibus, & ordinibus restituerentur &c. Tantus Porro fuit numerus Catholicorum Sacerdotum, qui Chalcedonense concilium tunc palam, & publice profitebantur, ut Rusticus Romanæ ecclesiæ Diaconus, in sua adversus Acephalos disputatione, hæc scripto vulgaverit: Licet sufficeret tibi unica auctoritas synodi universalis, quæ numero superat universas, quæ toties cunctarum ecclesiarum consona sententia confirmata est, tam per encyclicas, regnante Leone, quam per libellos Sacerdotum forsan duorum millium, & quingentorum, imperante Justino, post schisma Petri Alexandrini, & Acacii Constantinopolitani.

17. Cum itaque catholica fides undique ab Episcopis per

[Margin: JESU CHR. AN. 518. — Quid de Severo scripserint Antioch. ecclesiæ clerici. — Tom. 5. pag. 158. — Psal. 95. — Bibliotb. SS. PP. tom. 10. pag. 381. — Imperatoris edicta, quibus exules revocantur, & concilium Chalced. confirmatur.]

JESU CHR. AN. 518. per Orientis ecclesias restitueretur, ac postliminio revocaretur; eam quoque edictis suis novus Imperator Justinus confirmare, ac tueri fategit, iisque jussit exules pro fide suis sedibus restitui; hæreticos vero exturbari: insuper ut synodus Chalcedonensis sacris tabulis seu dypticis inscriberetur, præcepit. Quare S. Sabas ex eremo egressus, legis a Justino latæ promulgator, & præco factus est, ut in ejus vita narrat Cyrillus his verbis: *Defuncto Anastasio, statim Justinus Imperium assumpsit, leges tulit, quibus jubebatur, ut omnes ab Anastasio in exilium pulsi revocarentur, item Synodus Chalcedonensis sacris Diptycis insereretur. Quæ Justini jussa postquam Hierosolymam delata fuissent, infinita multitudo Monachorum, & Laicorum congregata est; cucurrit quoque Sanctus Sabas, & Episcoporum concilium; celebratoque festo, sexta Augusti mensis, promulgatæ sunt divinæ jussiones, & quatuor Synodi in sacris Diptycis repositæ sunt. Atque impleta est etiam in Imperatore Anastasio divini senis prophetia.* Tunc Archiepiscopus Hierosolymorum Joannes Sabæ persuasit, ut transiret usque Cæsaream, & Scythopolim, una cum aliis quibusdam eremi incolis, ad perferendas Imperatoris litteras, & quatuor Concilia per urbes sacris diptycis inserenda. Cum autem Cæsaream pervenissent, occurrit iis sanctus Joannes Chuzibita, qui illius urbis Pontificatum eo tempore obtinebat; expletisque illic, quæ mandata fuerant, etiam Scythopolim advenerunt. Atque in occursum eorum cuncti cives una cum sanctissimo Metropolita Theodosio prodiere ad sancti Thomæ Apostolium seu Templum; regressique cum Psalmis, Synaxim in vetere sancta ecclesia celebrarunt, ac Imperatoris litteræ, nec non quatuor Synodi in sacra Dyptica referuntur. Sed quid contigerit, cum esset ibi idem sanctus Sabas, paucis audi: *Erat porro quidam Scythopoli Scholasticus Joannes Expellectæ filius, vir bonus & animo illuminatus, qui accedens ad Sanctum Sabam in Episcopalem domum, sermonem multum de quodam Silvano Samarita habuit, qui eo tempore imperatoriis dignitatibus supramodum potens erat, & Christianis tendebat insidias, exposuitque illius mala cum Deo pugnantia facinora. Quibus auditis, sanctus Pater noster Sabas, Spiritu Sancto repletus, dixit tum Episcopo, tum iis, qui aderant: Ecce veniunt dies, ait Dominus, & complementum in Silvano accipiet Psalmus Davidis quinquagesimus primus, ut*

Coteler. to. 3. monum. eccles. Græcæ p. 326.

S. Sabæ prædictio ibidem pag. 327.

ut ipse in media civitate igne comburatur. Atque hæc quidem de Silvano prædixit. Ita plane periit ex S. Sabæ prædictione igne combustus vir impius, ut decebat, cum Justinianus imperans cœpit exagitare eosdem impios Samaritanos, ut suo loco dicetur.

Cyrillus S. Sabæ discipulus evadit. *pag.* 349.

18. Cum autem S. Sabas Scythopoli moraretur, Cyrillus, qui ejusdem vitam scripsit, in S. Sabæ disciplinam se tradidit, ut idem Cyrillus narrat his verbis: *Divinis ergo*, seu imperialibus jussis, *quemadmodum relatum est, apud Hierosolymam promulgatis, oratus ab Archiepiscopo, & cæteris Episcopis Pater Sabas, ad Cæsaream, atque Scythopolim abiit, ut eadem jussa illic quoque publicaret. Cumque Scythopolim venisset, sicut scitis, obviam ei processit Metropolita Theodosius cum omni plebe; in quibus erat etiam pater meus, tunc temporis Episcopi curator, & Metropolitani assessor; atque post jussa evulgata, introductus magnus senex in Episcopale palatium, illic in ædibus Sancti Martyris Procopii mansit, patrem vero meum indivulsum habebat; me autem, qui puer eram, & patrem comitabar, atque ad divini senis pedes cecideram, benedixit, erexit, complexus est sanctus Senex, dixitque patri meo: Hic puer a præsenti tempore discipulus meus est, patrum solitudinis filius. Ad Metropolitam vero ait, Domine magne, hunc ego tibi puerum commendo, attende ipsi, quia illo egeo. Nunciata porro hæc fuere matri meæ, ex narratione patris; & expetiit sanctum senem adorare seu salutare. Cumque is in loca sancto Thomæ finitima progressurus esset ad Abbatem Procopium solitarium, re per indicium patris comperta, mater mea assumpto me egressa est ad idem Apostolium,* hoc est Apostolicum templum; *tum senem illic consistentem seorsum capiens pater, matrem ad adorationem duxit, & qui cognosceret senex eam esse ancillam Dei, benedictione eamdem donavit, atque intuitus me, ait: Ecce discipulus meus Cyrillus. Ego me in modum pœnitentis inclinavi, ipse postquam benedixit me & erexit, dixit ad patrem: Doce eum Psalterium, quia ejus indigeo; etenim ab hoc tempore discipulus meus est. Quibus dictis, illam benedictam sic dimisit: meque cum patre retinuit. Ingressi autem ad Abbatem Procopium, cibum sumpsimus, & venimus in Episcopium. Ac die sequenti iter ad Hierosolymam suscepturus senex, in domum cum patre accessit, precem fecit, patrem, matrem, & me benedixit, exiitque e Scy-*

Jesu Chr. Ann. 518. *Scythopoli, cum sanctis Patribus, qui erant comites ejus*. Hæc Cyrillus de se ipso.

Severus Antiochia pellitur. 19. Cum eo res essent, ut ubique catholica Fides prædicaretur, ac synodo Chalcedonensi omnes fere subscriberent, Severus nihilominus in sua perfidia, tot synodis damnatus, ac tot anathematibus percussus, perseverabat. Quare cum ex Antiocheno throno abjiciendum, ac lingua, qua in Deum hactenus, & in sanctam Chalcedonensem synodum blasphemaverat, mulctandum Justinus Imp. jussit. Unde Evagrius: *Primo autem Imperii sui anno*, (Justinus) *Severum, qui Antiochiæ Episcopus, sicut supra dictum est, fuerat ordinatus, propterea quod Chalcedonensem Synodum sub anathemate damnare quotidie non cessabat, præcipue in epistolis, & in responsionibus ad easdem epistolas, quas ad singulos Patriarchas mittebat; quæ quidem ejus epistolæ susceptæ sunt dumtaxat Alexandriæ a Joanne, qui priori Joanni successerat, & a Dioscoro, ac Timotheo, & ad nostram usque ætatem servatæ sunt; & quia hanc ob causam multæ contentiones ortæ fuerant in Ecclesia, & Fidelium populus varias in partes scissus erat; comprehendi jussit Justinus, & linguæ abscissione plecti, sicut a quibusdam proditum est. Hujus rei executio mandata est Irenæo, qui tunc Comes Orientis Antiochiæ residebat. Certe Irenæo in mandatis datum fuisse ut Severum comprehenderet, Severus ipse in litteris, quas ad quosdam cives Antiochenos scripsit, fugæ suæ modum exponens, testatur. Quibus in litteris Irenæum multis probris incessit, utpote qui vias omnes diligenti custodia intersepsisset, ne ipse ex urbe Antiochia posset effugere. Sunt qui dicant Vitalianum, dum gratia & auctoritate plurimum valere videretur apud Justinum, linguam Severi ab eo poposcisse, propterea quod Severus in suis concionibus ipsum conviciis appetere consuevisset*. His similia narrat Liberatus. *Justino facto Imperatore, Severus a Vitaliano magistro militum, viro religioso, & orthodoxo accusatur, quod despiceret Imperatoris jussionem, & synodum non susciperet: Justinus Imperator misit Magistrianum, ut Severus Constantinopolim adduceretur, & redderet causam tractatuum suorum, quos fecerat contra synodum*. In eadem sententia comprehenditur & Julianus Alicarnassi Episcopus: *Jam enim*, addit, *ab ipso Imperatore Julianus Alicarnasseus Episcopus pro eadem Sancta Synodo, eo quod eam non reciperet, pulsus fuerat sede*.

Evagr. lib. 4. cap. 4.

Irenæus Comes Orientis.

Liberatus in brev. cap. 10. apud Garnerium.

Julianus Alicarnasseus Episcop. e sede ejicitur.

20. Pe-

20. Periculo cognito, quidque sibi immineret agnoscens *ex Antiochena sede fugit Severus*, addit Evagrius, *mense Gorpieo, quem Romani Septembrem vocant, anno urbis Antiochiæ* 567. Theophanes vero: *Eo nuncio accepto, fugit Severus, ac pariter Julianus Alicarnassi Episcopus, & Dioscoro Alexandrinum adhuc Episcopatum administrante, in Ægyptum profecti, de corruptibili & incorrupto motis quæstionibus magnos in ea tumultus excitarunt*, sed de his quæstionibus infra. Liberatus: *Clam nocte descendit Seleuciam, & navim conscendens fugit Alexandriam, ad quam civitatem & Julianus fugerat*. Fugæ comitem petulantiam habuit suam Severus, qua, ut ex Evagrio audisti, in epistolis ad Antiochenos cives, fugæ modum exponens, Irenæum, cui ab Imperatore mandatum erat, ut eum comprehenderet, probris lacessebat. Severi exauctorationem, & fugam anno sequenti aliqui collocant. At cum primo Justini anno hæc facta narret Evagrius, ac Julio mense Imperium iniisse Justinum constet, hinc labenti hæc de Severi fuga narravimus. Pulso Severo ex Antiochena sede: *Paulus ad Episcopalem sedem promotus, Chalcedonensem synodum palam prædicare jussus est*; anno tamen sequenti ordinatus est.

JESU CHR. AN. 518.
Severus fugit Alexandriam una cum Juliano.
Evag. ut sup.
Theoph. in chronog. pag. 141.

21. His in Oriente gestis, cum jam debitum Chalcedonensi synodo honorem Orientales tribuerent, ut tandem Occidentalium communionem promereri possent, ad Hormisdam Papam has Imperator Justinus dedit epistolas: *Justinus Augustus, Hormisdæ Papæ. Dei beneficia licet multis, maxime tamen summis Pontificibus convenit indicari. Proinde Sanctitati vestræ per has sacras declaramus epistolas, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis favore, deinde amplissimorum Procerum sacri nostri palatii, & sanctissimi Senatus, nec non electione firmissimi exercitus ad Imperium nos, licet nolentes, ac recusantes, electos fuisse, atque firmatos. Precamur proinde, ut sanctis orationibus vestris divinæ Potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur imperii. Hoc enim, & nos sperare, & vos decet implere. Data Kalend. Augusti, Constantinopoli, Magno viro clarissimo Consule*. Hæc Justinus ad Hormisdam, prout Catholicum decebat Imperatorem primitias Imperii Petro Apostolo dicantem. Ad eum vero Hormisdas his verbis respondit: *Hormisda Episcopus, Justino Augusto. Venerabilis regni vestri primitiis, Fili gloriosissime, loco muneris, gratulatio-*

Justini Imp. epist. ad Hormisdam Papam.

Hormisdæ epist. ad Justinum Imp.

Jesu Chr. an.518. *tionem suam catholica transmittit ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem requiem pacis invenire confidit. Nec est dubium ideo ad rerum summam cœlesti vos providentia pervenisse, ut vestris temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur injuria. Debitas Beato Petro Apostolo imperii vestri primitias reddidistis, quas hac ratione devoti suscepimus, quia Ecclesiarum per vos proxime futuram credimus sine dubitatione concordiam. Deus, qui pietatis vestræ sensibus alloquendi nos vota concessit, ipse circa sincerum religionis suæ cultum præstabit, sicut optamus, effectum. Significastis nolentibus & recusantibus vobis imperii pondus impositum, qua ratione electos vos cœlesti constat esse judicio, secundum Apostolum dicentem: Non est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt.* Superest, ut a Deo electi, sicut & credimus, Ecclesiæ, quam laborare cernitis, manus vestræ solatia porrigatis. Cessent qui paci ejus obsistunt, obmutescant qui in forma pastorum conantur gregem Christi disperdere. Istorum correctio vires vestri firmat imperii, quia ubi Deus recte colitur, adversitas non habet effectum. Hanc gratulationis paginam per Alexandrum virum clarissimum non omisimus destinare, sperantes cum Dei nostri adjutorio per virum clarissimum filium nostrum de singulis, quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinent, nos Clementiæ vestræ præbituros esse responsum. Hactenus Hormisdæ epistola ad Justinum, quam Alexandro VC. ferendam tradidit.

Justini Imp. epist. ad Hormisdam de ineunda pace.

22. Cum in procuranda Orientalibus ecclesiis pace sollicitus esset Imperator, ad id operis perficiendum stimulum addidere, tum Joannes CP Episcopus, cum alii Episcopi, qui in urbe regia tunc erant, suisque exhortationibus effecerunt, ut Legatos Romam ad ineundam concordiam delegaret; unde has alteras ad Hormisdam litteras Justinus misit. Joannes vir beatissimus hujus regiæ sedis Antistes, & ceteri viri religiosi Episcopi de diversis locis, & civitatibus hic reperti, nostram Serenitatem docuerunt pro concordia veram, & orthodoxam Fidem colentium, proque unitate venerabilium ejus Ecclesiarum litteras tuæ Sanctitati offerendas confecisse, ac magnopere postularunt, nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare cum litteris suis. Gratum, virum clarissimum sacri concistorii comitem, & magistrum scrinij se misisse ait, ac ut ad ineundam

dam concordiam religiosos viros ad Comitatum mittere dignetur, postulat: Data VII. Idus Septembris, Constantinopoli, Magno, viro clarissimo Consule. His jungimus litteras a Joanne Constantinopolitano Episcopo missas, quibus Fidei catholicæ professionem intexuit, quarum hæc est inscriptio: *Domino meo, & per omnia Dei amatori sanctissimo fratri & comministro Hormisdæ, Joannes Episcopus in Domino salutem*: Saluto vestram Sanctitatem, charissime in Christo Frater, & salutans prædico, quoniam recta fides salva est, & charitas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens, per studium Christianorum, & piissimorum Imperatorum fieri voluit. Scribere igitur apostolice, & rescripta suscipere fraterno Dei amore dignemini. Deinde post fidei professionem in Nicæno, CPolitano, Ephesino, & Chalcedonensi conciliis confirmatam, subdit: *Tantum ad satisfaciendum scripsimus, ut & venerabile nomen sanctæ recordationis Leonis, quondam urbis Romæ Archiepiscopi, in sacris diptycis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur, & vestrum benedictum nomen similiter in diptycis prædicetur. Ut de omnibus autem satisfiat vestræ Sanctitati (quoniam pacem vestram amplectimur, & de unitate sanctarum Dei Ecclesiarum curamus) rogamus vos pacificos viros destinare, & vestræ dignos apostolicæ sedis, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram suscipere, ut & in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc Mundo servavit: Accepta* 13. *Kalendas Januarii, post consulatum Agapiti V. C.* Hactenus litteræ Joannis.

23. Eadem de causa Justinianus tunc Comes Domesticorum, & Justini Imp. nepos, & post eum Imperator, suas etiam litteras addidit, per eumdem Gratum VC. perferendas, quibus S. Pontificem rogat, ut cito CPolim transire velit, vel saltem legatos suos ad concordiam ineundam destinare. Hormisdas vero his acceptis, tum Imperatori, cum Joanni Episcopo rescribens, & gratias agit, ac se orientalibus Ecclesiis pacem reddere paratum esse testatur, dummodo oblatas olim conditiones orientales Episcopi susciperent. Hinc post plurima: *Quid igitur facere debeant, & litteris nostris, & libelli, quem direximus, serie continetur. Hæc si Deo nostro, & clementia vestra adjuvante suscipiunt, & sequuntur, poterit ad eam, quam maximo desideramus ardore,*

Justiniani ep. ad Hormisdam.

Hormisdæ epist. ad Justinum, & ad Joannem CP. Episc.

Jesu Chr. an. 518. *perveniri concordiam*. Hæc & alia ad Justinum Hormisdas; inconcusse observata volens, quæ a prædecessoribus suis juste Orientalibus præscripta fuerant de Acacii nomine abolendo, deque pace ea conditione inter Ecclesias sancienda. Quamobrem & ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, quæ agenda sint pro eadem concordia ineunda, idem Hormisdas Papa hæc post aliqua habet: *Dilectionis tuæ confessionem gratanter accepimus, per quam sanctæ synodi comprobantur, inter quas instauratione constitutorum omnium Chalcedonense concilium prædicastis, & catholicorum numero adjungi desiderans sancti Papæ Leonis in diptycis nomen asseveras scriptum*. At licet sic ejus fidem catholicam commendet Hormisdas, minime tamen adhuc catholicam communionem eidem impertiendam esse putavit, nisi hæreticorum communione pollutum nomen Acacii e catalogo orthodoxorum Antistitum omnino deleret; quare mox subdit: Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus, quia recipere Chalcedonense Concilium, & sequi sancti Leonis epistolas, & adhuc nomen Acacii defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum, & Eutychetem condemnans, innocentem ostendere possit Acacium? Quis Timotheum, & Petrum Alexandrinum, & alium Petrum Antiochenum, & sequaces eorum declinans, sicut diximus, non abominetur Acacium, qui eorum communionem secutus est? De Caritate siquidem tua meliora Dei omnipotentis expectamus auxilio, habentes optimæ promissionis spem, sicut ad nos quæ direxisti tua scripta ostendunt, tecum in veritate sentiens, & ipsa defendens, sperans in illo judicio per ipsa te posse salvari. Ita plane Hormisdas, quid agendum ei esset docens, ut catholicam Romanæ Sedis communionem promereri possit, atque ad id præstandum erigit & hortatur; quæ si perficiat, mox sit consecuturus quod erat in optatis, ut communionem Romanæ Ecclesiæ consequeretur. De quibus iterum anno sequenti.

De Acacii nomine abolendo.

JE-

JESU CHRISTI AN. 519. HORMISDÆ PAPÆ 6.
JUSTINI IMP. 2.
THEODORICI REGIS 27.

1. Felix fauſtuſque adeſt annus clariſſimis notatus Conſulibus, Juſtino ſcilicet Auguſto, & Eutharico, cognomento Cilice, Theodorici Italiæ Regis genero. Hunc honorem a Juſtino accepiſſe Eutharicum teſtatur Athalaricus ejus filius in epiſtola ad Juſtinum: *Vos genitorem meum in Italia palmata claritate decoraſtis*. Sui conſulatus auſpicia regali magnificentia illuſtravit: *Eutharicus eo anno multa vidit Romæ miracula, editionibus ſingulis, ſtupente etiam Symmacho Orientis legato, divitias Gothis, Romanis donatas dignitates. Diverſi generis feras, quas præſens ætas pro novitate miratur, exhibuit*. Deinde poſt pauca: *Cunctis itaque eximia laude completis, tanto amore civibus Romanis inſedebat, ut ejus præſentiam deſiderantibus, Ravennam ad glorioſi Patris remearet, aſpectus ubi iteratis editionibus, tanta Gothis Romaniſque dona largitus eſt, ut ſolus potuerit ſperare, quem Romæ celebraverit conſulatum*. Hæc Caſſiodorus, quibus chronico ſuo finem impoſuit, & quidem prudentiſſime, ne hiſtoriam ſequentium annorum texens, cum hactenus egregia Theodorici Regis geſta expoſuerit, ſcelera poſtmodum adnotare cogeretur. De Eutharico hujus anni Coſſ., Anonymus Valeſii narrat, eum infenſi animi in catholicos fuiſſe; at brevis vitæ curſus nocendi poteſtatem ademit.

Romæ, & Ravennæ ludi celebrantur.

Anonimus Valeſ. pag. 721.

2. Interea ut exoptata Orientales inter & Occidentales eccleſias pax firmaretur, Legatos ſuos Hormiſdas Papa CPolim miſit Germanum Capuanum Epiſcopum, qui alias eo munere ſub Anaſtaſio functus fuerat, & Joannem Epiſcopum Ariminenſem, quibus adjunxit Blandum Presbyterum, & Felicem, atque Dioſcorum Diaconos, iiſque commonitorium dedit, ne per tranſverſum unguem recederent, cujus hæc erant pacta conventa: Cum, Deo propitio, partes orientales fueritis ingreſſi, *ſi qui Epiſcopi vobis occurrerint, & libellum, cujus continentiam percepiſtis, a ſe ſubſcriptum offerre voluerint; ſuſcipite, eiſque præbete ſanctæ communionis conſortium. Si vero occurrentes ipſi, eo quo ſuperius diximus ordine profiteri noluerint; a vobis equidem ſub ſacerdotali affectione tra-*

Hormiſdæ Papæ Commonitorium legatis traditum.

Tom. 4. pag. 476.

 ſten-

JESU CHR. AN. 519.

ctentur, sed neque vobis sit cum his mensa communis, neque ab his vel victualia præsumatis accipere, nisi tantum subvectionem, si causa poposcerit, & hospitalitatem, ne credant se omnino fastidiose despectos. Habes, Lector, ad quos usque terminos se extendat prohibita cum hæreticis conversatio. Cum vero pervenissent Constantinopolim, hæc servanda præcepit: *Cum Constantinopolim Deo adjuvante veneritis, in eam secedite, quam Imperator præbuerit mansionem; & nullum ad salutationem vestram prius permittatis accedere, exceptis his, quos ipse miserit Imperator, aut quos nostræ communionis esse cognoscitis, donec ipsum Principem videatis; cui præsentati, salutantes, litteras nostras offerte, suggerentes magnum nos de ejus imperio gaudium percepisse, & nimium gratulari, quod eum Deus omnipotens ad hoc evexit, juxta ejus sacras Litteras, ut secundum ea, quæ sunt ab Apostolicæ Sedis constituta præsulibus, Deo auctore, & regno ejus adnitente, Ecclesiarum & pax, & unitas his temporibus desiderata proveniat. Qui si vos hortatus fuerit, ut Constantinopolitanum videatis Episcopum, intimate vos præfinita habere, quæ etiam ab eis sæpe sunt cognita, quæ ab universis Episcopis catholicam communionem amplectentibus professio debeat celebrari. Hæc si episcopus Constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus: si vero Sedis apostolicæ hortationem sequi contemnit, quod necesse est ut ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis, aut certaminis causa in mandatis*. Nolebat, & quidem merito S. Pontifex, quæ jam definita erant, rursus in disputationem adduci.

Quomodo se gerere CPoli legati deberent.

Quid circa nomen Acacii, & Successorum agere deberent.

3. Deinde si Imperator sibi *aperiri voluerit, quid sit, quod ab Episcopo fieri postuletis; formam libelli, quam portatis ostendite. Quod si de anathemate Acacii consentiens, successores ejus dixerit recitandos, ob hoc quod propter defensionem Chalcedonensis Synodi aliqui eorum fuerint exilio deportati, insinuabitis nihil vos de libelli posse forma decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac non potueritis intentione deflectere; saltem hoc acquiescite, ut anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de diptycorum inscriptione vocabulis. Quo facto Episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite; libellum vero, vel Episcopi Constantinopolitani, vel alio-*

aliorum, quos vos suscipere Deo volente contigerit, primo agite, ut præsente populo recitetur. Quod si hoc fieri non potuerit, saltem in Secretario præsentibus Clericis, & archimandritis relegatur. Hæc omnia si Deo fuerint volente completa, Imperatorem rogate, ut destinatis sacris per Metropolitanos Episcopos, adjunctis ipsius Episcopi Constantinopolitani litteris innotescat, Episcopum Constantinopolitanum, suo quoque consensu celebrata professione, quam Sedes Apostolica destinavit, in unitatem communionis fuisse susceptum; quibus litteris etiam ipsos hortetur similia profiteri. Quod si in hac parte Imperator aliquid difficultatis attulerit, Episcopus Constantinopolitanus, directis præceptionibus Episcopis suis parœcialibus, vel cæteris Metropolitanis, eis præsentibus, qui a vobis pariter directi fuerint, quid ipse fecerit, innotescat: quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere, ut facti hujus testimonio peragi ante, etiam universos, vel qui longe sunt positi, latere non possit. JESU CHR. AN. 519.

4. Hactenus Hormisdæ commonitorium legatis suis datum. Epistolas nunc, quas ad Imperatorem, & ad alios per eosdem legatos dedit, videamus, ac primo Imperatorem multis extollit laudibus, & post plurima: *Ad hanc vos gloriam, incomprehensibils supernæ Majestatis dispositione procurante, obsequium naturæ mundo protulit, sub custodia fidei transactæ vitæ probitas instituit, atque ad imperia clementia divina provexit; ob hoc scilicet, ut tandem aliquando divisoribus Dominici corporis fidei vestræ executione compressis, Ecclesiarum concordia diabolica impedimenta succideret, & universitas de adunatione gauderet. Hoc religioni, hoc fidei, hoc serenitati vestræ specialiter cælitus mandatur officium, quibus & posse omnia, & perficere videmus indultum. Itaque sicut instituistis facere, navate suscepti operis munus, quod superna vobis providentia videtis injunctum*; & post aliqua de Acacii nomine tollendo, quod velut petra scandali erat, addit: *Tenent adhuc in complexibus nomen Acacii, quem vident judicio Sedis Apostolicæ merito pœnam subiisse damnati. Quis non intelligat simulate dici: Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta? Quæ a sancta Synodo Chalcedonensi constituta sunt, & quæ beati Leonis epistola continet, fovemus, veneramur, amplectimur, sed Acacio, qui damnatorum communionem secutus est, impendimus vota. Sed quid opus est de judicatis rebus verba facere, cum nos hortari tantummodo deceat,* Hormisdæ epist. ad Justinum.

JESU CHR. NA. 519. *ceat, ut expressa superius simulatione submota, sub omni puritate pacem debeant a quibus hæc dicuntur optare &c.* Deinde: Nos enim qua decuit affectione per Gratum virum clarissimum, cui pro moderatione sui congrue sensimus officium legationis injunctum, litteris vestri principatus acceptis, causæ magnitudini convenientes, destinavimus viros Germanum, & Joannem Episcopos, & Blandum Presbyterum, nec non & Felicem Diaconum, per quos, si, quemadmodum præsumimus, serenitatis vestræ favor arriserit, secundum quæ mandata sunt, Ecclesiarum adunatione generalitatis possint vota firmari. Hactenus ad Justinum Hormisdas; Euphemiam vero Imperatricem, postquam eam iisdem fere laudibus, quibus maritum celebraverat, ornavit, ut ea quoque stabiliendæ paci cooperaretur, stymulosque adderet Imperatori, hortatur.

Hormisdæ epist. ad Joannem CP. Episcop.

5. Ad Joannem CP. Episcopum, penes quem totam negotii summam pendere, & felicem exitum sciebat, his verbis Hormisdas scripsit: *Reddidimus quidem, frater, congruum litteris tuis sub ecclesiastica libertate responsum: & quid in his congratulati fuerimus insertum, quid taciturnitate præteritum, evidenter expressimus. At licet cuncta sensibus tuis nunc crebra legatio, nunc usu in Ecclesia diuturnæ conversationis tuæ vetustas infuderit; juvat tamen adhuc latius aperire nostrum repetita ratione consilium: quia tunc bene de fidei firmitate differitur, quando simplicibus verbis conciliandæ pacis cupiditas explicatur. Desideria quippe tua, quibus te ad ecclesiasticam testaris festinare concordiam, ut haberent partes illæ, semper optavimus: nec sola votorum ambitione contenti, usi etiam precibus sumus. Vestro sunt hæc, & mundi testimonio roborata quæ loquimur: quia ut catholicæ unitatis reparatio fiat, auctoritatem nostram intemeratæ fidei integritate submittimus. Inclinet orationibus nostris aurem suam divina miseratio, ut quod creditis postulandum sequamini, & ametis oblatum. Nobis una causæ solicitudo, una custodia est, ita pacem cupere, ut sic religionis, sic venerabilium Patrum constituta serventur: quoniam quæ inter se consona credulitate non discrepant, æquum est, ut simili observatione subsistant. Sed cur diutius immoramur? Scis ipse, unitatis causa quid exigat: scis ipse, qua via ad beati Petri Apostoli debeas venire consortium. Habes itineris tui ducem, quem te jam sequi asseris,*

ris, Chalcedone habitum pro religione conventum. Jam te quoque, quod idem amplecti testatus es, beati Leonis redeuntem dogma comitabitur. Hæc si placent, Acacii defensio damnati non placeat: hoc est quod boni studii a perfectione vota suspendit. Si sunt enim illa adversum Dei, & legis ejus inimicos venerabilium patrum congregatione disposita, ut quisquis eos in communione sequeretur, jam tunc latam subiret in sua damnatione sententiam; non sunt igitur nova, quæ constanter exequimur, sed temporibus illis facta judicia justa patrum constitutione servamus. Hortamur itaque, frater, & mentem tuam Dei nostri misericordia adjuvante pulsamus, ut ab omni te hæreticorum contagione, Acacium cum sequacibus suis condemnando, disjungens, una nobiscum Dominici corporis participatione pascaris. Si nobiscum universa prædicas, cur nobiscum non universa condemnas? Tunc enim nobiscum quæ veneramur amplecteris, si nobiscum quæ detestamur horrueris. Pax integra nescit aliquam habere distantiam, & unius Dei vera esse non potest, nisi in confessionis unitate cultura. Quapropter salutantes te fraternæ charitatis affectu, petitionem tuam missis, sicut sperasti, religiosissimis viris Germano, ac Joanne Episcopis, Felice Diacono, Dioscoro Diacono, atque Blando presbytero, significamus esse completam. Hi vero quibus fuerint mandatis instructi, ante allegationes eorum, si cogites, evidenter agnosces. Hi pacem tuam sub ea, qua sæpe scripsimus professione suscipient. Imple ergo, frater carissime, gaudium nostrum, & tuum ad nos per eos rectæ fidei tuæ remitte præconium, ut per te Universis detur exemplum. Hæc per legatos ad Joannem Hormisdas; quia vero iis dimissis, alias a Joanne epistolas acceperat, ad has paucis rescribens, se legatos CPolim misisse admonet, iisque, qua ratione in communionem Rom. ecclesiæ recipiendi essent Orientales, commonitorium dedisse narrat.

JESU CHR. AN. 519.

6. Ne quid intentatum relinqueret, quod votis suis favere posset, alias dedit S. Pontifex epistolas ad Theodosium CP. ecclesiæ Archidiaconum, & ad universos catholicos. Quia vero pacis cupidissimus se ostenderat Justinianus Imperatoris nepos, ac post Justinum Imperator, idque duabus datis Hormisdæ epistolis, testatus fuerat, totidem litteras reddidit, quarum prima sic exorditur: *Litterarum vestrarum serie religionis &c.* secunda *Magnitudinis vestræ litteras sanctæ Fidei*

Aliæ Hormisdæ epistolæ.

Tom. 4. pag. 1476.

JESU CHR. AN. 519. *dei plenas, & amore suscepimus &c.* in quibus multa in ejus laudem adnotat, hortaturque, ut ad ineundam ecclesiarum concordiam opem ferret. *Munus vestrum*, inquit, *veneranda sacraria susceperunt; quod amplius beato Petro Apostolo facietis acceptius, si per vos optatam ecclesiæ receperint unitatem.* Sic Hormisdas in secunda epistola ad Justinianum. Ejusdem argumenti sunt aliæ ad clarissimos viros, & illustres fœminas scriptæ, ad Clerum, ad Patricium, ad Præfectum Thessalonicensem, cæterosque illustres viros, deinde ad Anastasiam, & Palmatiam Senatorii ordinis fœminas, quæ Anastasii tempore pro Fide catholica inconcussæ steterunt. Sciebat enim S. Pontifex, (idque experientia duce) ex Magnatum, & Aulicorum consiliis Principum animos, ut plurimum, pendere; quapropter eos demereri sibi satagens, epistolis suis eosdem rogavit, ut in re maxima, de qua agebatur, (pro pace scilicet Ecclesiæ) legatis opem, & auxilium ferrent. Integras epistolas legere quisque potest, vel apud Baronium, vel Labbeum, dum nos ad legationis exitum properamns.

Inter Hormisdæ epistolas epist. 36. 38. 39. 40.

De legatorum gestis in itinere.

7. Profecti itaque ab Urbe legati, cum in Aulitanam civitatem pervenissent, ab ejus loci Episcopo honorifice excepti sunt, qui etiam cum Metropolitano suo libellum fidei ipsorum testem se daturum promisit; de quibus statim Hormisdam certiorem fecerunt, sed ea relatio desideratur. Magno tamen Dei beneficio factum est, ut aliæ quamplurimæ legatorum relationes, sicut & alia tunc gesta, integræ ad nos usque pervenerint, quibus ecclesiastici annales locupletentur. Sed legatorum iter prosequimur, qui iterum ad Hormisdam hæc retulerunt. Quod in Scampina civitate factum est, vestris orationibus, tacere non permisimus. Antequam nos ingrederemur in civitatem ipsam, venerabilis Trojus Episcopus cum suo clero, vel plebe in occursum nobis egressus est. Et quomodo Deus in ipsa die benedictus est, & quæ festivitas per ipsius pietatem est subsecuta, ad notitiam Apostolatus vestri referimus. Nobis præsentibus, vel suo Clero, & nobilibus viris ipsius civitatis, libellum subscripsit, porrexit: suscepimus, & præsente omni clero, vel plebe, in gradu suo a servo vestro Petro notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ est relectus. Erat conventus in Basilica sancti Petri. Confitemur Beatitudini vestræ, tantam devotionem, tantas Deo laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus. Pro-

Tom. 4. pag. 1484.

Occursus Scampini Episcopi legatis.

Prope omnes cum cereis viri cum mulieribus, milites cum Crucibus in civitatem nos susceperunt. Exprimitur hic aliqua ex parte religiosa procedentium Christianorum forma, nimirum cereos, atque Cruces ferre solitos esse, & in fine processionis missas agere; unde mox subdunt: *Celebratæ sunt Missæ, nullius nomen obnoxium religionis est recitatum, nisi tantum Beatitudinis vestræ. Noster Episcopus venerabilis Germanus Missam celebravit; & promiserunt nec postea recitari, nisi quos Sedes Apostolica suscepit. Quanta a nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conservet. Istam epistolam ante triginta miliaria a Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eamdem civitatem cum Dei adjutorio pervenire. Et quomodo ad nos pervenit Scampinus Episcopus, speramus & ipsius civitatis Lignidi Episcopum similia facere. Quod si factum fuerit, data occasione rescribemus. Scampis nobis positis, post Missas, hora cænatoria, Stephanus & Leontius viri clarissimi ab Imperatore missi in occursum nobis venerunt, adhuc nescientes nos in partibus Græciarum positos, quia talia mandata fuerunt comiti Stephano data, ut ad partes Italiæ transirent in occursum nostrum.* Vides, lector, qualia esse consueverint obsequia orthodoxorum Imperatorum erga Romanum Pontificem, ut missæ ab eo legationi per viros clarissimos occurri voluerint, ante quam legati ex Italia egrederentur, licet interjacens transmittendum esset Hadriæ fretum, eo potissimum tempore ad navigationem minime opportuno. His alia de Stephano, aliisque addunt, ad rem de qua agimus non necessaria, ac tandem se a Theodorito Lignidensi Episcopo, eadem qua Scampini excepti fuerant, veneratione receptos fuisse narrant; cujus etiam extant litteræ ad Hormisdam scriptæ, ex quarum inscriptione, quo cultu orthodoxi Antistites Romanum Pontificem prosequerentur, dignosci potest. Est autem ejusdem epistolæ titulus: *Domino sancto, beato, prædicabili, & adorando Apostolico Patri Hormisdæ Papæ urbis Romæ, humilis famulus tuus Theodoritus*, iisque pro acceptis beneficiis, idest pro pace oblata, & accepta, innumeras gratias agit; ut ibidem, aut apud Baronium videre est.

Relatio de rebus Thessalonicæ gestis.

8. Thessalonicam vero cum pervenissent Legati, omnia prospera cessisse in sua ipsorum relatione narrant; unde post aliqua exultantis animi indicia addunt: *Quid in Aulone sit actum, quid Scampis, quid Lignidi fuerit subsecutum, anteriore*

JESU CHR. AN. 519.

riore significatione suggessi. Ad Thessalonicam pervenimus: quas contentiones habuerimus cum Episcopo Thessalonicensi, & quæ dicta fuerint, vel etiam constituta, harum portitoris viva insinuatione discetis. Quod tamen non oportet præterire silentio, insinuare non differo. Post multa certamina præfatus Episcopus, (erat iste Dorotheus schismaticus) *ratione convictus, libellum subscribere voluit; sed quia episcopi, qui sub ejus sunt ordinatione constituti omnes non aderant, in præsenti hoc convenit, hoc promisit, ut post dies sanctos, uno ex nobis a sede Constantinopolitanæ Urbis directo, Episcopis congregatis, qui in ejus sunt diœcesi constituti, libellum subscriberent: quod cum Dei adjutorio credimus esse complendum. Hæc sunt Thessalonicæ constituta*. Subjicit autem his idem Dioscorus Legatus, ea quæ postea cum Constantinopolim pervenissent, gesta sunt, his verbis: *Ad Constantinopolitanam pervenimus civitatem feria secunda hebdomadis authenticæ. Decimo ab urbe prædicta milliario, sublimes, & magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos sunt magister militum Vitalianus, Pompejus, & Justinianus, & alii Senatores, cunctique catholicæ Fidei ardore, ac desiderio redintegrandæ pacis ardebant. Quid plura? cum summis pene omnium gaudiis ingredimur civitatem. Alia die quæ est tertia feria, piissimi Principis præsentamur aspectibus; cunctus illic aderat Senatus, in quo conventu erant & Episcopi quatuor, quos Episcopus Constantinopolitanus pro sua persona direxerat. Obtulimus Beatitudinis vestræ litteras, quas clementissimus Princeps cum grandi reverentia suscepit. Dicta sunt, quæ ante examinationem causæ oportuit intimare; mox causa cœpta est. Hortabatur nos clementissimus Imperator, hoc dicens: Videte civitatis hujas Episcopum, & invicem vobis pacifico ordine reddite rationem. Nos e contra respondimus: Quid imus ad Episcopum certamina facere? Dominus noster beatissimus Papa Hormisdas, qui nos direxit, non nobis præcepit certare; sed præ manibus habemus libellum, quem omnes episcopi volentes Sedi Apostolicæ reconciliari fecerunt; si præcipit pietas vestra, legatur; & si est in ipso quod ignoretur, aut verum esse non credatur, dicant, & tunc ostendemus, nihil extra judicium ecclesiasticum in eodem libello esse conscriptum; aut si illi possunt docere, quia non convenit Religioni catholicæ, tunc nobis incumbit probare. Relectus est libellus sub conspectu Principis, & Sena-*

Relatio de rebus gestis Constantinop

Quæ coram Imperatore sunt gesta.

Senatus. Nos statim subjunximus: Dicant præsentes quatuor Episcopi qui adsunt pro persona Constantinopolitani Episcopi, si hæc, quæ in libello leguntur gestis ecclesiasticis minime continentur? Responderunt omnia vera esse. Post quæ nos subjunximus: Domine Imperator, & nobis grandem laborem Episcopi abstulerunt, & sibi convenientem rem fecerunt dicere veritatem. Mox clementissimus Imperator his, qui aderant dixit Episcopis: Et si vera sunt, quare non facitis? Similiter, & aliquanti de ordine senatorio dixerunt: Nos laici sumus; dicitis hæc vera esse; facite, & nos sequemur. Hactenus res gestæ ejus diei, relatione Dioscori significatæ, qui de reliquis mox subdit: *Intermissa quarta feria Episcopus Constantinopolitanus in palatio suscepit a nobis libellum, & in primis quasi tentavit epistolam potius facere, quam libellum*: (quod quidem majoris id sibi videretur esse dignitatis, nam libelli ut plurimum offeruntur a lapsis). *Sed non post multa certamina hoc convenit, proemium modicum facere, & subjungere mox libellum, quemadmodum vestra Beatitudo dictavit.* Libellus autem oblatus hæc habet:

Joannis CP. Episcopi epistola ad Hormisdam.

9. *Domino meo per omnia sanctissimo, & beatissimo fratri, & comministro Hormisdæ, Joannes Episcopus in Domino salutem. Redditis mihi litteris vestræ Sanctitatis, in Christo frater carissime, per Gratum clarissimum comitem, & nunc per Germanum, & Joannem reverendissimos Episcopos, Felicem, & Dioscorum sanctissimos Diaconos, & Blandum presbyterum, lætatus sum de spirituali caritate vestræ Sanctitatis, quod unitatem sanctissimarum Dei ecclesiarum secundum veterem Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi animo repulsare festinas. Certus igitur scito per omnia sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, una tecum cum veritate sentiens, omnes a te repudiatos hæreticos renuo & ego, pacem diligens, sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & novellæ istius Romæ unam esse accipio, illam Sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ civitatis unam esse definio. Omnibus actis a sanctis illis quatuor synodis, id est, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei, & statu Ecclesiæ assentior, & nihil titubare de bene judicatis patior; sed & conantes, aut enixos usque ad unum apicem placitorum perturbare, lapsos esse a sancta Dei generali & apostolica ecclesia scio, &*

 tuis

Jesu Chr. An. 519.

tuis verbis recte dictis evidenter utens, per præsentia scripta hæc dico. Hactenus Joannis epistola ad Hormisdam, Libellus autem professionis a Legatis oblatus, cui Joannes subscripsit, his verbis conceptus erat.

Joannis CP. Episcopi professio fidei. Matth. 16.

10. *Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.; ac se in hæreticos omnes anathema dicere testatus est, præcipue in Nestorium hæreticum, qui quondam CP. Urbis Episcopum, & in Eutychetem, & Dioscorum Alexandrinæ civitatis Episcopum; his addidit Timotheum parricidam, Ælurum cognominatum, ejusque discipulum & sequacem Petrum Alexandrinum, ac tandem: Anathematizamus similiter Acacium quondam Constantinopolitanæ urbis Episcopum complicem eorum, & sequacem factum, nec non & perseverantes eorum communioni & participationi; quorum enim quis communionem complectitur, eorum & similem adjudicationem in condemnatione consequitur. Simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum sequacibus suis. Unde probamus & amplectimur epistolas omnes B. Leonis Papæ urbis Romæ, quas conscripsit de recta Fide, ac iis se subscripsisse addit. *Data mense Martio die vigesima septima, indictione duodecima, consensu Domini Justini Imperatoris Augusti, Eutharico viro clarissimo Consule*. Hactenus subscriptus a Joanne libellus, ad Hormisdam missus tanquam forma præfixa non ipsi tantum, sed omnibus qui conjungi vellent catholicæ Ecclesiæ per Apostolicam Sedem. Nomina deinde Acacii de diptycis deleta sunt, sicuti Flavitæ, Euphemii, Macedonii, & Timothei, non solum in CP. ecclesia, sed in aliis quoque per Orientem, unaque cum ipsis nomina quoque Zenonis, & Anastasii Augustorum.

Euphemii, & Macedonii fama vindicatur.

11. Interea adnotare juvabit, quod etsi fuerint e dypticis deleta Acacii, Flavitæ, Timothei, Euphemii, & Macedonii nomina, non eamdem omnium fuisse causam, vel crimen. Nam Acacii quidem, Flavitæ, & Timothei memoria, utpote virorum, qui Eutychiana labe infecti fuerant, vel Eutychianorum communione polluti, sub anathematis pœna damnati fuerant; Euphemii autem, & Macedonii memoria non multo post revixit, ac in ecclesiæ Græcæ mæneis inscripta, glo-

gloriosa perseveravit, cum enim ii Fidem catholicam ad vitæ exitum retinuissent, ac pro Chalcedonensis synodi auctoritate certantes, in exilio positi, ultimum diem clausissent, ut in eos mitius ageretur Hormisdas Papa consenserat, cujus hæc sunt verba: *Quod si de anathemate Acacii consentiens, successores ejus dixerit recitandos, ob hoc, quod propter definitionem Chalcedonensis synodi, aliqui eorum exilio fuerint deportati, insinuabitis nihil vos de libelli forma posse decerpere, in qua sequaces pariter damnatorum continentur. Sed si eos ab hac non poteritis intentione deflectere, saltem hoc aquiescite, ut anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acacio, de prædecessorum ejus nominibus taceatur, abrasis eorum de dypticorum inscriptione vocabulis. Quo facto Episcopum CP. in vestram communionem accipite.* Hæc repetit Hormisdas epistola altera ad Joannem Necapoleos Episcopum, & ad Episcopos Epyri veteris, in qua nomina eorum recitat, in quos anathema dicere jubebantur, Eutychetem, scilicet Dioscorum, Timotheum Elurum, Petrum Moggum, Petrum Fullonem, quibus Acacium addit. At Euphemium & Macedonium præterit. Cum itaque nullibi, neque dum viverent, neque post mortem Euphemius, & Macedonius anathemati subditi fuerint, non a Gelasio, non a Symmacho, neque ab Hormisda, a catholica communione, vel in vita, vel in morte, eos excidisse, absque eorum injuria dici non potest. Verum quidem est nomina eorum hoc anno, Hormisda jubente, e dypticis deleta fuisse; inde tamen eos in schismate defunctos non sequitur, usque dum delata in eos excommunicationis sententia constet. Præterea, ut anno sequenti narrabimus, idem Hormisdas quamplurimas Orientis ecclesias, Ponti, Asiæ, Palæstinæ in suam recepit communionem, quamvis Euphemii, & Macedonii nomina in Dypticis retinerent, & anno 536. in concilio CP., cui præfuit Mennas, eorum memoria, una cum cœteris catholicis Episcopis celebrata est, nemine resistente, vel contradicente, cui synodo non solum Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, sed etiam Romanæ Sedis legati adfuerunt. Cetera, quæ in hanc causam dici possent omittimus, addentes Macedonio præsertim sacrum cultum a Græcis exhibitum fuisse, ut fidem faciunt mænea tam MSS. quam edita; cujus famam eruditorum plurimi vindicarunt.

12. Sed

Jesu Chr. an. 519. Schismatici ad communicationem recepti.

12. Sed ad inceptam Dioscori relationem revertimur: *Episcopi*, itaque, *diversarum provinciarum inventi sunt Constantinopoli, libellum similiter obtulerunt, & cum grandi cautela suggerimus custoditum, ne quis nobiscum communicaret Episcopus, qui libellum primitus non dedisset. Pari modo, & omnes Archimandritæ fecerunt, apud quos Archimandritas & certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis: Sufficit quia Archiepiscopus noster fecit; nos factum ejus sequimur. Quid amplius? Post multa certamina, ipsi quoque ratione convicti, libellos modis omnibus obtulerunt. Post hæc omnia, Deo juvante, in ecclesiam processimus; & qualia gaudia facta sint unitatis, & quemadmodum Deus benedictus sit, quæ laudes quoque beato Petro Apostolo, & vobis relatæ sunt, ipsius actionis consideratione perspicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil est subsecutum secundum vota inimicorum, non seditio, non effusio sanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicebant. Ipsi quoque Ecclesiastici Constantinopolitani admirantes, & Deo gratias referentes, dicunt numquam se meminisse ullis temporibus tantam populi multitudinem communicasse. His adimpletis etiam clementissimus Imperator ad Beatitudinem vestram sua scripta subjunxit, ordinem rei gestæ significans, similiter & vir reverendissimus Joannes Constantinopolitanæ Civitatis Antistes. Noveris etiam & sacra generalia esse edita, atque credimus Deo propitio, & vestris sanctis orationibus per universas provincias quantocius destinari*. Hæc de gestis hactenus CPoli Dioscorus in relatione ad Hormisdam per Pollionem Subdiaconum missa, in qua subdit nondum Antiochenæ ecclesiæ secutam fuisse unionem, cum nullus adhuc in locum Severi hæretici catholicus Episcopus ordinatus esset, ac tandem: *Rescribite Episcopo Constantinopolitano. Si videtur Beatitudini vestræ facite mentionem damnationum Severi, & illorum quos nominastis in epistola illa, quam scripsistis ad secundam Syriam per Joannem, & Sergium monachos, hoc ipsum det ad Imperatorem rescribentes. Si feceritis, videtur mihi necessarium esse*.

Justini epist. ad Hormisdam.

13. His gestis alteras ad Hormisdam Pontificem litteras dedit Justinus Imp., quibus pro reddita orientalibus Ecclesiis pace gratias agit, ac cuncta prout jusserat, composita fuisse adnotat; unde post plurima: *Negatum est inter divina Mysteria memoriam in posterum fieri (pro tenore libelli quem dixi-*

diximus) Acacii prævaricatoris quondam hujus Urbis Episcopi, nec non aliorum Sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt Apostolica, vel successores erroris facti sunt, nulla usque ad ultimum diem suum pœnitentia correcti. Et quoniam omnes nostræ regiones admonendæ sunt, ut exemplum imitentur civitatis Regiæ, destinanda ubique principalia præcepta duximus, tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicæ Fidei pro remuneranda cælitus pace nostræ Reipublicæ, pro reconciliando subjectis mei superno præsidio Quid autem gratius reperiri potest? Quid justius? Quid illustrius? quam quos idem regnum continet, ejusdemque fidei cultus irradiat, eos non diversa contendere, sed collectis in eodem sensibus, instituta venerari non humana mente lata, sed divini prudentia Spiritus? Oret igitur vestræ religionis Sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia ecclesiarum catholicæ Fidei procuratur, divini muneris opitulatio jugi perpetuitate servari annuat. Hæc Justinus Augustus ad Hormisdam Papam, ejusdemque argumenti extat epistola Joannis CP. Episcopi, in qua exultantis animi indicia exhibet, ac tandem concludit: Gavisi igitur de præsentia reverendissimorum Episcoporum, nec non & clericorum vestrorum, gratias agimus, quoniam secundum petitionem nostram tales pacificos viros, & vestræ dignos Sedis Apostolicæ destinatis, regulam Patrum sine confusione servantes, fidemque indivisam custodientes; quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad satisfactionem vestræ egimus Sanctitatis. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque, & mei plurimum salutamus. Hactenus Episcopus Constantinopolitanus Joannes ad Hormisdam Pontificem. Eamdem ob causam, quod Orientalibus ecclesiis pacem restituerit gratulatus est cum Hormisda Andreas Prævalitanus in Epiro Episcopus: *Nam dum litteras ordinaremus*, ait, *supervenit Magistratus de urbe CP., qui nunciavit, quia Deo propitio precibus sanctis vestris, & Constantinopolitani miserunt anathema Acacio, & cum pace Pascha celebrarunt. Jam quod sequatur, vestra intercessio apud Deum laboret, ut ad perfectum servi Sedis Apostolicæ inveniamur &c.* Illustres etiam viri gratulabundi Hormisdæ scripserunt, in primis Justinianus, qui super omnes auctoritate pollebat, suæ epistolæ hunc præfixit titulum: *Domino meo sanctissimo Hormisdæ*,

De promulgandis unionis factæ decretis.

Aliæ epistolæ ad Hormisdam.

JESU CHR. AN. 519.

misdæ, primo Archipontifici, & Papæ Urbis Romæ, Justinianus; ex quo Romani Pontificis primatum mirifice prædicat, ficuti universalem Episcopum Pompejus in suæ epistolæ titulo in hunc modum: *Domino meo beatissimo, & Apostolico Patri Hormisdæ Archiepiscopo universalis ecclesiæ, Pompejus*, quarum epistolarum, ficuti, & ab Anicia, & Anastasia clarissimis fœminis scriptarum summa hæc est, laudibus Hormisdam prosequi, eo quod ejus opera, studio, sollicitudine, orientalis Ecclesia pace perfrueretur; ejus orationibus primo Imperatorem, deinde se, vel suos commendant.

Paulinus mittitur Constantinop.

14. Cum autem tardius, quam par erat, tam fausta Romam delata essent, de rei exitu sollicitus Hormisdas, Paulinum ecclesiæ defensorem Constantinopolim misit, cui hanc ad legatos suos epistolam dedit: *Animus noster diuturna redditur expectatione sollicitus. Præcipue ad tantum Principem destinati, sub celeritate nos certiores debuissetis efficere. Nam ante diem Ascensionis Dominicæ litteras vestras credebamus non posse suscipere. Idcirco tam vestræ sospitatis indicia, quam profectum causæ, quam peragendam cum Dei nostri juvamine suscepistis, desideramus agnoscere. Paulinum Ecclesiæ Romanæ defensorem cum scriptis præsentibus destinare curavimus, tam Principi litteras, quam singulis, quibus oportuit, dirigentes. Quapropter Deum nostrum congruis precibus oramus, ut ipse salutem vestram sua propitiatione custodiat, & causæ qualem desideramus concedere dignetur effectum. Qui nihil majus inter titulos optimi Imperatoris adscribitur, quam si eum Ecclesia Græca præsens, & futura prædicare mereatur pacis auctorem. Data III. Kal. Majas, Eutharico viro Clarissimo Consule*. Ad eosdem item legatos Kal. ejusdem mensis alias eodem argumento litteras dederat, quarum est exordium: *Opinionum diversitas &c.* Alias postea addidit per Magistrianum dicta die III. Kal. Majas. Extant ipsæ quidem; verum illæ datæ per Paulinum ab Hormisda ad Justinum Augustum, & aliæ ad illos scriptæ desiderantur. Quod enim inter hæc, litteræ, tum a Legatis, cum ab Imperatore, & aliis Romam ad Hormisdam perlatæ sunt, eas, quarum nullus esset usus, minime redditas fuisse putamus, ac proinde nec inter alias asservatas, neque in archivio cum reliquis custoditas. Cum igitur his diebus tandem diutius expectatæ Pontifici redditæ essent Orientales litteræ pacis nunciæ, ingenti cum Hormisda Urbs tota

tota gaudio perfusa est; recitatisque iisdem ex more publice in ecclesia, ipsa nimirum sacra imperatoris, Joannisque litteris fidei professionem continentibus, atque relatione legatorum, crebræ acclamatæ sunt Deo laudes, simulque Hormisdæ, atque catholico Imperatori præconia faustis sunt vocibus repetita. JESU CHR. AN.519.

15. His gestis ad Justinum Imperatorem paulo post Hormisdas in hæc verba rescripsit: *Lectis Clementiæ vestræ paginis, quæ restitutam fidei concordiam nunciabant, in divinæ laudis canticum mens totius Ecclesiæ prorupit, quo canitur Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hujus igitur fiducia hymni, dignam fidelibus meritis gloriam felicitatemque præsumite*; etenim cum tibi sit christianam pacem servare præpositum, quis te dubitet a Christo esse dilectum? Hæc prima sunt vestri fundamenta principatus, Deum placasse justitia, & asciviffe vobis excellentissimæ Majestatis auxilia, dum adversarios ejus velut proprios comprimitis inimicos. Hæc nimirum maxima reipublicæ fundamenta sunt, hoc solidum invictumque robur. Neque enim humanis ictibus potest esse pervium, quod est divinæ gratiæ firmitate vallatum. Hæc & alia plurima in eamdem rem, ac tandem: *Quocirca continuam tanti operis apparatus Clementiæ vestræ intentionem requirit. Facite ut nullum prorsus receptaculum, ex quo rursus immanissimus hostis emergat, inveniat; cunctis eum nudate præsidiis, & si quid usquam vestigiorum ejus reliquum est, id omne clementi remedio purgate, omne nequitiæ germen funditus eruatur; adversa Deo stirps ad vivum usque resecetur, ne minus compressa (quod absit) iniquitatis radix venenata latius iterum virgulta diffundat. Quorsum hæc? Quia superest adhuc vobis Alexandrinæ, atque Antiochenæ, & aliarum Ecclesiarum nullo modo negligenda correctio, in qua si suam curam Clementia vestra immiserit, spes est, quo auctore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore compleri. Commendamus præterea Legatos ab Apostolica Sede directos, & apud vestram fidem religionemque deponimus; quos ita perfectis omnibus Pietas vestra dimittat, ut divinis vestrisque beneficiis ad Apostolicam Sedem plenam referant de Ecclesiarum omnium pace lætitiam. Quæ scripta per Paulinum Romanæ Ecclesiæ defensorem famulum vestræ Pietatis ingerenda transmisimus. Data VII. Idus Julii, Eutharico viro Clarissimo*

Hormisdæ epist. ad Justinum.

Hæreses, & schismata penitus extirpanda.

JESU CHR. AN. 519. *mo Consule*. Hæc ad Justinum Augustum Hormisdas, qui his similes scripsit litteras ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, quarum est exordium: *Consideranti mihi tuæ scri-*

Pag. 1497. *pta Charitatis &c.* Alias itidem reddidit ad Justinianum, itemque alias ad Pompejum, nec non alias ad singulas clarissimas fœminas Julianam, & Anastasiam, datas eadem die, nempe septimo Idus Julias. Præter has omnes redditas post pacem nunciatam ad Orientales litteras, adjecit alias ad Legatos, quæ incipiunt: *De his, quæ Charitatis vestræ relatio comprehendit*. Monens eos laborare de pace Ecclesiarum Alexandrinæ, & Antiochenæ.

Hormisdæ epistola ad Episcopos Hispaniæ.

16. Scripsit quoque Hormisdas ad universos Hispaniæ Episcopos, ut consultationi Joannis Tarraconensis Episcopi, Romanæ Sedis in iis provinciis Vicarii, responderet; qua scilicet ratione Græcorum clerici ad communionem Ecclesiæ admittendi essent, ii præsertim, qui propter causam Acacii a Romanæ Ecclesiæ communione exclusi fuerant, ac laudato Tarraconensis Episcopi zelo, professionem fidei, cujus initium est: *Prima salus &c.*, quam in Orientem per Legatos suos transmiserant, eidem misit, cui subscribere debebant, quotquot Apostolicæ Sedis communione participes fieri postulabant. Ejusdem argumenti sunt aliæ Hormisdæ epistolæ ad Episcopos Beticæ provinciæ, & ad Joannem Melicitanum, in quibus de inita cum Orientalibus pace eosdem certiores reddidit.

Hormisdæ sollicitudo pro Episcopis persecutionem sustinentibus. Epist. 55. pag. 1504.

17. Cum vero relatione accepisset, Episcoporum aliquos, idest Thomam, Æliam, & Nicostratum in Regiam Urbem vocatos, injustam sustinere persecutionem, eorum calamitati condolens, ut bono animo essent, datis litteris admonuit, quorum causam cordi sibi futuram, ad eosdem scribens, pollicitus est: *Animum nostrum pro negotio vestro otiosum, aut desidem non putetis; nam non aliter de vestra fatigatione, quam de propria cogitamus. Mena siquidem ecclesiæ nostræ Notario insinuante, cognovimus caritatem vestram adhuc observationum molestias sustinere: & ideo in istis adversitatibus Deus omnipotens dignetur præstare remedium, tam ad Joannem fratrem & Coepiscopum nostrum scripta direximus, quam dilectissimo filio nostro Dioscoro Diacono per litteras nostras injunximus, ut Domino, & filio nostro Justino Principi necessitatem, & causam nostræ dilectionis insinuet, & instanter agat, quatenus*

nus desideriis vestris Dominus noster congruum dignetur praestare effectum: cum quo Dioscoro Diacono debet loqui vestra fraternitas, quia necesse est, ut intentioni vestrae, vel intuitu catholicae communionis, vel consideratione nostrae adhortationis, studeat. Data &c. Haec Hormisdas ad Thomam, & Nicostratum. Nec promissis defuit, nam adhuc epistolae tres ad legatos suos, Dioscorum, & Joannem datae extant, quibus eosdem admonet, ut eorum defensionem susciperent, ita ut suis sedibus restituerentur; ad Imperatorem vero eadem de causa scribens, cum praeclara hactenus ab eo pro Ecclesiarum tranquillitate gesta commemorasset, haec subdit. Quare clementiam vestram, mixto etiam precibus fletu, deposcimus, ne gaudia nostra, quae de haereticorum quotidie conversione praestatis, praefatorum abjectio intoleranda conturbet, quia non sola personarum nos causa sollicitat, quibus, & boni facti simul sufficere gloria posset, & meriti; sed quod venerabilium constituta canonum contemnuntur, & quod non parvam eorum abjectio Apostolicae Sedis tangit injuriam, nec Christianitatis vestrae sinceritas, qua & magnum patrocinium veteribus constitutis impenditis, & Sedis Apostolicae principatum acta noviter veneratione sancitis, in uno inexpugnabilem relinquat posteris negatio quaestionem. Hactenus ad Imperatorem Hormisdas, nec his contentus, eosdem Episcopos commendatos voluit Euphemiae Imperatrici, Justiniano nepoti, & Germano VC., pro ut ad singulos datae epistolae testantur.

Eadem fere habet in altera ad eosdem data epistola. *Epist. 53. 54. 56.*

Epist. 55.

18. Quem autem exitum haec habuerint, scimus ex epistola Justiniani ad Hormisdam, anno sequenti data, qua testatur, Eliam suae ecclesiae (Caesareae Cappadociae scilicet) vivente eo, qui ei suffectus fuerat, non posse restitui, Thomam, & Nicostratum, restituta omnibus ecclesiis pace, sedibus suis se restituturum. *Cum in animo nobis sit*, ait, *Pater religiosissime, ut in omni re nostra inter se concurrant consilia, tum & in Elia viro Reverendissimo Episcopo id constituendum credimus, legatis admonentibus vestris, quod inter varias utrasque rationes expeditius esse perspectum est. Nam & in praesenti Pontificem Caesariensium urbis favor tutatur omnium, quem ob instituta pulcherrima, non solum incolae validissime retinendum arbitrantur, sed prope cunctus Oriens sine dubio veneratur; & qui prior in eodem fuit sacerdotio, injuria*

Epistola Justiniani ad Hormisdam.

Tom. 4. pag. 1516.

JESU CHR. AN. 519.

ria esse remotum queritur. Visum est itaque convenire, ut nec faciamus impetum contra infinitarum vota multitudinum, aut homo integritate nobilis sede dejiciatur, qua se dignum exhibet, nec anteriori spem prorsus adimi patiamur repetendi locum denuo, quo se spoliatum sine causa confirmat; sed in re dubia temperantius versemur, ita ut interim quidem hic idem Elias vir reverendissimus episcopus in quiete permaneat; verum postquam successor ejus vitam deposuerit, tum demum ad sedem revertatur, quia destitit adhibendis prius omnibus, quæ ad impetrandam reditionis licentiam, sacratissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam consensu, tam tuæ sedis Apostolicæ, quam florentissimæ hujus urbis, nec non aliarum, quarum hoc interest. De Thoma etiam, & Nicostrato viris religiosissimis episcopis omnia mancipabantur effectui. Postquam cætera etiam vobis copulata fuerint; sed & ad unitatem venerabiles ecclesiæ, quæ præcedente superno præsidio statuenda duxerimus pro sacratissimarum regularum itidem ordine. Quoniam itaque vestræ quoque sanctitudini deliberationem nostram oportuerat declarare, ut ex hac etiam patefiat desiderium, in quo omnem operam intendimus ad compescendas atque temperandas controversias, & optatam inter omnes concordiam prorogandam, præsentes quoque litteras duximus destinandas, monentes præcipue, ut pro incolumi statu reipublicæ numen supernum vestris exoretur precibus. Data VII. Idus Junias, Constantinopoli, Vitaliano, & Rustico Consulibus. Hactenus Justiniani epistola, anno sequenti scripta, qua aliquatenus piis Hormisdæ curis pro Episcopis injuste vexatis satisfactum est, quam hic descripsimus, ut totam negotii seriem sub oculos subjiceremus.

Eutychianorum tumultus, & cædes Thessalonicæ factæ.

19. Dum conjunctis cum Justino Imp. viribus pacem, & tranquillitatem Orientalibus ecclesiis conciliare satageret Hormisdas, Eutychianorum factione, Thessalonicensis ecclesia eousque turbata est, ut sanguine etiam pollueretur: quæ ut fama vulgante Hormisdas didicit, antequam legatorum relationem acciperet, ad eos litteras dedit, ut de his certior fieret, & ut qua ratione poterat his malis mederetur. Quæ autem patrata ibidem fuerint, & quo auctore, legatorum relatio ad Hormisdam missa indicabit, qua hæc narrant: *Magna misericordia Dei est, & inæstimabilia ejus judicia, qui nihil occultum dimittit, ut probetur uniuscujusque conscientia.*

Relatio Legatorum de his quæ Thessalonicæ facta sunt.

tia. Dorotheus Thessalonicensis episcopus non novus apparuit, nec ad præsens factus, sed se demostravit, quem olim vera prædicabat opinio. Iste semper in malis desideriis suis involutus, data occasione exercuit, quod contra fidem catholicam semper parturiebat scelus. In aliis litteris significavimus beatitudini vestræ, quo ordine transeuntes Thessalonica, libellos non potuimus suscipere, Erat tamen constitutum, post ordinationem sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, unum ex nobis ad ipsum dirigere, quia hoc sperabat prædictus, ut unus ex nobis post susceptos libellos, cum ipso missas celebraret, quasi testimonio habens in generalitate, se ad unitatem Sedis Apostolicæ esse conjunctum. Etsi tarde, factum est tamen: & venerabilem Joannem Episcopum ad ipsum dirigentes, directus est cum ipso ex communi electione Epiphanius presbyter. Germanus venerabilis, & illustris Episcopus erat cum eis, & Licinius comes scholæ ex ordinatione clementissimi Imperatoris. Qui Licinius tamen, cum prius pro alia causa esset Thessalonicam directus, congregata synodo de parœcia ecclesiæ Thessalonicensis, ibi est inventus, expectans secundum promissionem unum ex nobis. Voluerunt ipso præsente libellos facere, & subscribere: quod factum est: signavit ipsos libellos prædictus vir, & veniens Constantinopolim, factum nunciavit. Dicebatur nobis ab Apocrisario Dorothei: Jubete dirigere, qui libellos suscipiat. Deliberatum est, sicut prædiximus, venerabilem Joannem Episcopum ambulare, ut haberet testimonium subscriptionis illorum. Rogavimus piissimum Imperatorem, ut Comes Licinius ambularet cum eo: quod & factum est. Et quia pervenerunt in civitatem, nunciatum est Dorotheo per comitem Licinium præsentiam adesse nostrorum. Qui direxit Aristidem presbyterum cum aliis duobus Episcopis, quos solos sciebat adversarios esse negotii, ut nostros videret: cum quibus voluerunt facere primum certamen de libellis, dicentes: Sunt capitula, quæ debent emendari. Dixerunt nostri, non esse in potestate ipsorum hoc facere: si vultis facere, Deo gratias: si non vultis facere, venimus, salutavimus vos, perambulabimus. Discesserunt post ista verba. Ad aliam diem convenerunt iterum ista loquentes: & antequam propositionem verborum fecissent, ibi non est intentio generata, non injuria secuta est: subito populus insanus irruit super ipsum, & duos pueros occiderunt Episcopi, caput etiam fregerunt episcopo in duabus partibus, & renes

JESU CHR. AN. 519. Tom. 4. pag. 150.

Jurgia excitantur.

JESU CHR. AN. 519. *nes ejus dissipaverunt, & nisi misericordia Dei, & defensio sancti Marci basilicæ eruisset eos de manibus eorum, ibi perierant: liberati sunt tamen, quomodo dicitur, quia manus publica supervenit, quæ eos eruere potuit. Ista est istorum concinnamenta; Dorothei malitia fabricavit, qui ante biduum quam pervenirent nostri Thessalonicam super duo millia baptizavit: sacramenta tanta erogavit in populo, quæ possint ipsis ad tempora sufficere, significans plebi, quia fides recta mutatur*. Sic illos præmuniens, ne communionem acciperent ab externis, ac baptizarentur in alia fide. Unde hæc addunt.

De populo a Dorotheo concitato. Ista quomodo non habuerant excitare populum? Ista quem non invitabant ad seditionem. Post hoc ipsum libellum, quem fecerat cum Episcopis, ante populum scidit, dicens: Ego istud usque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus consentio. Occiderunt, & hominem venerabilem catholicum, qui nos venientes susceperat in domo sua, qui semper separatus fuit a communione Dotothei propter Synodum Chalcedonensem: in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi, qui sanctum Proterium occiderunt. Ista ad clementissimum Imperatorem pervenerunt, & prope in tota civitate catholicus luctus est propter talia, quæ contigerunt scelera. Promittit sancta clementia vindicare, & citare Dorotheum, quia nos contestati sumus pietatem ejus, dicentes: Nulla ratione Dorotheum inter Episcopos, aut in communione Sedis Apostolicæ potest beatissimus Papa recipere: & contra, qui voluerint eum in sua communione recipere, scire se esse reos auctoritate ecclesiastica. Ista ad notitiam beatitudinis vestræ festinavimus referre, ut nihil vos lateat, quod in istis partibus agitur. *Accepta IV. Kal. Decembsis, Eutharico Consule*.

De Episcopo Thessalonicæ ordinando Hormisdæ epist. 20. Post has autem, aliæ ab iisdem legatis redditæ sunt de rebus Thessalonicensibus ad Hormisdam litteræ, quibus significabatur, jussu Imperatoris Dorotheum ejus civitatis Episcopum, malorum omnium instigatorem, & auctorem, ductum Constantinopolim fuisse. Quibus acceptis Hormisdas, ut alius Thessalonicensis Ecclesiæ Episcopus ordinaretur, 3. nonas Decemb. rescribens, jussit. Graviter nos Joannis catholici afflixit interitus, quem hæretici Dorothei vesania perhibetis extinctum. Nam eumdem Dorotheum Constantinopolim jussu Principis didicimus evocatum. Adversus quem Domino & filio nostro clementissimo principi debetis insiste-

Tom. 4. pag. 1510. ep. 63.

re,

re, ne in eamdem civitatem denuo revertatur: sed Episcopatus, quem nunquam bene gessit, honore deposito, ab eodem loco, ac Ecclesia longius relegetur, vel certe huc ad urbem sub persecutione congrua dirigatur. Ad hanc etiam partem evigilare debetis, ne in locum ejus Aristides totius mali incentor, & conscius, quibuslibet subreptionibus ordinetur; nam nulli prodest mutari personam, si ejusdem forma nequitiæ perseveret: sed talem virum debetis eligere, ut judicio vestro cuncta catholicorum congregatio gratuletur.

Relatio Epiphanii vel Joannis de scelere Thessalonic.

21. At quomodo tantum nefas, in legatum Apostolicæ Sedis, eumdemque Episcopum perpetratum, corrumpendo Judices auro, Episcopi Constantinopolim vocati excusare conati sint; audi ex Indiculo scripto a Joanne Apostolicæ Sedis Legato, vel (ut præfert titulus) ab Epiphanio presbytero, qui cum eodem Joanne Episcopo Thessalonicam missus fuerat. Si pro peccatis nostris isti, qui hinc adducti sunt Episcopi, Constantinopolim fuerint ingressi, non dicamus, quod Imperatorem visuri sunt modis omnibus, sed quod & suis locis restituentur. Tantas enim pecunias secum detulerunt, ut non homines, sed possint Angelos excæcare. Si ergo (quod absit) ingressi fuerint; anta falsa per nostram absentiam dicturi sunt, quanta potest Diabolus invenire. Nam si hic in conspectu nostro plura tentaverunt, & Domino nobiscum stante confusi sunt; quanta facient per absentiam nostri? Ut ergo eorum possit dissipari malignitas, jubete nobis præsentibus, si ad audientiam pro peccatis ventum fuerit, ut constet apud homines nos immerito mortuos esse, & illos patrocinio pecuniæ laborare. Nos enim eos in omnibus in conspectu senatus convincere possumus, quod hæretici perfecti sunt: tunc demum eorum potest monstrari fallacia. Item dicendum: si hæretici non sunt, quomodo ante duas hebdomadas, quam nos venissemus, statuerunt omnes in unum Episcopi, ne quis missas foras civitatem teneret? Sed hinc omnes, ut & multitudo esset futuræ seditioni congregata, & doceri possit secundum errores. Qui postquam senserunt nos venisse, publicaverunt, festinandum esse cum parvulis, ne persecutione veniente, Pagani morerentur infantes: & tunc velut ad alterum pascha, tantos baptizaverunt, ut consuetam festivitatem superarent. Item dicendum: si hæretici non sunt, quomodo tanta Sacramenta confecerunt, ut canistra plena omnibus erogarent, ne

JESU CHR. AN.519. ne imminente (ſicut dicebant) perſecutione communicare non poſſent? Item ſi hæretici non ſunt, poſtea quare accuſati ſunt geſtis a Candido viro ſublimi vicario magiſtri militum prætorianorum in judicio præfectorum? Et ſi maturum periculum cognoſcerent adfuturum, quare denuo tanquam damnandi, velint ſubvenire iterum parvulis cupientes; tanta rurſum & confutati exercuerunt baptiſmata, ut vere cunctis ſe hæreticos oſtendiſſent: ad quam rem ſatis magnifica poteſtas præfectorum graviſſime indignata eſt. Item ſi hæretici non ſunt, quomodo in baptiſterio abſconditi eſſemus, conſilium inter ſe habitum per noctem, veluti de periculo liberare nos volentes, in navi mittere voluerunt, ut hac occaſione mari præcipites daremur? Cumque nos reſpondiſſemus per Demetrium, & Andream Diaconos: Omnes apud vos eſſe cognoſcunt; quomodo per noctem navigare poſſumus? Sed ſi vos vere pro noſtra ſalute conſuluiſtis, craſtina die ſecrete quinque, vel ſex Senatores, qui periculum ſubſtantiæ, vel ſalutis ſuæ metuunt, una cum magiſtris militum vicario Candido comite jubete advocare. Cognoſcant & ipſi ubi transferimur, & facimus, quod jubent: ſin autem ſoli ſecretim, hoc non facimus. Tunc illi non invenientes effectum, ad horam tacuerunt, & alia die iterum ſeditionem populi commoverunt: unde vix, Deo volente, evaſimus. Hactenus ibi. At quænam, exclamat ad hæc Baronius, potuitne ſub clementiſſimi, & veri amantiſſimi Principis Juſtini Imp., in re adeo nefaria, & ab omnibus deplorata Catholicis, locum invenire ſubreptio, & ad Judicum corruptelam viam facere ſibi aurum? Hic plane, hic illud opportune exclamandum: *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames*? Proh pudor? Proh ſcelus? inultum relinqui valuit horrendum facinus, in Epiſcopum, eumdemque Apoſtolicæ Sedis legatum, clamante præſertim Hormiſda ab Occidente, & collegis legatis proxime lacrymis interpellantibus Imperatorem? At quid actum? languens pedibus, manibuſque infirma, anro corrupta progreſſa vindicta, compoſito ad ſeveritatem vultu, Dorotheum Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui amandandus erat in Oaſim, in proximam civitatem relegat Heracleam, ubi paucis diebus detentum, abſque alia pœna, carnificem ad ſuam Eccleſiam redire conceſſit.

Paulus Antiochiæ Epiſc. ordinatur.

22. Nunc ad ea, quæ Antiochiæ geſta ſunt, oratio convertatur. Hormiſdas, cum ſibi eccleſiarum omnium ſollicitudi-

tudinem delegatam sciret, Imperatorem rogaverat, ut Antiochiæ, & Alexandriæ catholicum tandem Episcopum ordinari juberet, aut permitteret; quare cum Severus Antiochia Alexandriam aufugisset, Paulus CP. Ecclesiæ presbyter Antiochiæ Episcopus est ordinatus, ut in relatione altera ad Hormisdam narrant legati his verbis: Causa Antiochenæ Ecclesiæ ordinationis, non solum nobis laboris fuit, sed grandis tribulationis, quia homines festinantes impedimentum facere generali unitati, diversis modis, diversa impedimenta fecerunt. Nostra erat propositio de his, qui se suspenderant de anathemate in prædicta Ecclesia ordinare sacerdotem. Non proposuerunt ante oculos suos futurum judicium, palam dicentes: Omnes qui Sedi Apostolicæ communicabant, Nestoriani sunt; & magis illis non debere credi, qui modo videntur ad communionem Sedis Apostolicæ revocati. Erat hæc solita Eutychianorum calumnia, Catholicos tamquam Nestorianos calumniare, sed pergunt: *Post multas afflictiones, & pene in tres menses a Patribus protracta certamina, piissimus Imperator sua auctoritate Paulum nomine presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia & hoc testimonium de ipso, quia duobus annis in Antiochia positus, non mediocriter resistebat Severo hæretico; similia & omnes catholici consonabant. Et omnia ista de persona prædicti Imperator se promisit ad vestram Beatitudinem relaturum.* Hæc ex legatorum relatione, cujus initium est: *Cum Dei misericordia &c.* Data 11. Kal. Julias, in qua & de aliis rebus agunt. Electo ad eam occupandam sedem Paulo, de loco ubi ordinandus erat, an scilicet Constantinopoli, juxta Episcoporum CP. commorantium vota, vel Antiochiæ, juxta antiquam consuetudinem, contentio altera exorta est. At legati, ut Antiochiæ ordinaretur, obtinuerant, unde in altera relatione tertio Kal. Junii data subdunt: *Nunc etsi post labores, etsi post intentiones plures, Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine, presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum voluerunt, & tentaverunt hic ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor contradixi, dicens: Jussit Dominus noster beatissimus Papa, secundum antiquam consuetudinem, ibi eum Episcopum ordinari. Hoc obtinui quod præcepistis. Orate, ut Deus precibus Apo-*

JESU CHR. AN. 519.

stoli Petri, & ipsam civitatem cum pace faciat electum suscipere sacerdotem.

Dioscorus junior Episcopus Alex. moritur, cui succedit Timotheus.

Pag. not. 19. ann. 519.

23. Obductis ob Pauli ordinationem Antiochenæ Ecclesiæ vulneribus, unica fere sub hæreticorum jugo afflicta restabat Alexandrina Ecclesia, quæ incurabili laborans morbo, medelam non admisit; nam etsi hoc anno mortuus sit Dioscorus junior, in ejus locum Timotheus est ordinatus, Dioscoro etiam pestilentior, & in tuenda Eutychiana hæresi obstinatior; unde Liberatus: *Eo tempore Alexandriæ mortuo Dioscoro juniore, Timotheus Ecclesiæ ipsius susceperat Episcopatum, a quo gratissime suscepti Severus, & Julianus, sedebant ad laborem*, ad perdendam scilicet eam vineam, tamquam mali agricolæ, Timotheo adjutores; nec Justini Imp. auctoritas his malis facile mederi poterat. *Sub hoc Timotheo*, addit Liberatus, *de corruptibili, & incorruptibili apud ipsam Ecclesiam quæstio mota est*. Sed de hac quæstione paucis ab hinc annis, quando exorta est, agemus; ad aliam, quæ hoc anno & sequentibus, magna animorum contentione, ac opinionum discordia est agitata inter Catholicos ipsos, stylum convertimus.

Liberat. cap. 19.

Quæstio de uno ex Trinitate passo a Scythis monachis excitatur.

Card. Norisius hist. Pelag. lib. 2. cap. 20. & dissert. de uno ex Trinitate passo cap. 3. 4. 5. &c. Natalis Alex. dissert. 2. sæcul. 6. Pag. adnotat Bar. an. 519. Petavius Theolog. dogm. to. 4. lib. 5. de incarnat. cap. 2. num. 2.

24. Celebris hæc quæstio fuit de ea monachorum Scytiæ sententia, qua dicebant, *unum de Trinitate crucifixum, vel passum in carne*, quam obstinato studio defendentes, usque eo temeritatis progressi sunt, ut Hormisdæ silentium iis imperanti parere recusaverint. At dum eorum obstinationem cum Hormisda Pontifice improbamus, eorum tamen fidem integram fuisse cum doctissimis viris dicimus, ac ab Eutychiana hæresi alienos. Interim unde eruperint hi homines, & contentiosi videamus. Hos e Ponto egressos constat ex Legatorum relatione ad Hormisdam, ubi inquiunt: *Isti de sua provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ ecclesiæ Antistes*. Tomos Ponti urbs est, quam exilio suo, & carmine nobilem fecit Ovidius. Ille autem Paternus *Provinciæ Schytiæ Metropolitanus dicitur*, in epistola CP. synodi ad Hormisdam, de ordinatione Epiphanii, cujus subscriptio septimo loco legitur. Dum vero Paternus Tomitarum Episcopus CPoli esset, ibique quoque essent ejusdem provinciæ monachi; Victor quidam cum Scythis monachis controversiam *habuerat de uno de Trinitate crucifixo, & de Christo composito, & de aliis capitulis*, ut habet Dioscorus

in

in relatione ad Hormisdam. Monachi accusationis libellum contra Victorem legatis, & Joanni CP. Episcopo obtulerunt. Victor in judicium vocatus respondit recipere se synodum Chalcedonensem, ac synodicas sanctorum Leonis Papæ, ac Cyrilli Alexandrini epistolas. *Monachi econtra incohoaverunt dicere. Addatur & unus de Trinitate*. Legati interlocuti reposuerunt: *Quod non est in quatuor conciliis definitum, nec in epistolis beati Papæ Leonis, nec nos dicere possumus, nec addere*. Hæc Dioscorus refert in alia ad Hormisdam suggestione anno sequenti missa. Scythæ autem contendebant effatum illud *unus e Trinitate &c.* tamquam fidei dogma nemimem posse sine piaculo rejicere. Legati econtra eam propositionem, licet catholicam, horrebant, volventes animo, ea sententia, aliquantisper mutata, abusos fuisse Petrum Fullonem, & Anastasium Imperatorem, ad Eutychianam protegendam hæresim.

25. Cum ergo monachi intelligerent, ea de causa in invidiam vocari, ac si Eutychianis faverent, eo quod aliquid Chalcedonensi concilio addidissent, apologiam legatis obtulerunt, qua illatam sibi ab adversariis calumniam confutarunt. Hanc Joannes Maxentius, & Scythæ monachi quinque Hormisdæ legatis inscripserunt, cujus scripti summa hæc est. Nullum se augmentum Chalcedonensi Synodo adjicere, nullamque illius sententiam retractare, sed synodi sententiam, auctoritatemque adversus Nestorianorum versutias, desumptis ex sanctorum Patrum testimoniis, confirmare; atque id ea sententia probabant, quod unus ex Trinitate passus fuerat, ut ex Proclo in epistola ad Armenos didicerant, nam ut scribit Liberatus: *Posuit S. Proclus ad interimendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas, unum de Trinitate incarnatum*, quam Procli sententiam Dionisius exiguus sic exprimit: *Nec enim dicentes Filium passum, ratione Deitatis eum passum sentimus, sed confitentes Dei Verbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam iis, qui fideliter sciscitantur, cur incarnari dignatus sit*; eamdem sententiam in epistola ad Joannem Antiochenum S. Proclus inseruit, his verbis: *Quoniam quidem, & unum ex Trinitate secundum carnem crucifixum fatemur, & Divinitatem passibilem minime blasphemamus*; quod testimonium recitant Facundus Hermianensis, & Liberatus. His duabus the-

Schytæ monachi Apologiam Hormisdæ legatis tradunt.

Biblioth. PP. tom. 9. pag. 534.

Liberat. Diac. cap. 10.

Dionys. exig. præfat. ad epist. Procli ad Armenios.

Facund. initio lib. 1. de tribus capitul. Liberat. ut sup.

 sibus

Jesu Chr. an. 519.

sibus: *Unus de Trinitate est incarnatus*; & : *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, veluti telis usus est Proclus ad Nestorianos confodiendos, de quibus postea acerrime inter Catholicos disputatum est. Prior propositio designat pro subjecto ipsam personam Verbi Dei, qui suamet subsistentia personali humanam naturam, in unitatem suppositi, vere ac physice assumens, dicitur incarnatus, quod est ejusdem propositionis prædicatum. Altera vero propositio vera est tantum secundum communicationem idiomatum, secundum quam crucifixio, seu passio affirmari potest de Verbo uno ex Trinitate, cum non ipsum, sed caro tantum assumpta, vere ac physice passionem subierit, Verbo manente impassibili. Prior thesis reduplicative vera est, altera tantum specificative, ut inquiunt Scholastici, quia Christus, qui secundum naturam humanam passus est, unus est de Trinitate. Has S. Procli sententias (prout variæ sunt hominum opiniones) contendebant aliqui a Synodo Chalcedonensi probatas, eo quod in Prosphonetico ad Marcianum Augustum, cum dixisset Cyrillum in litteris ad Orientales fidei dogmata declarasse, addit: *& Magnum Proclum, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios pro Fidei congruentia destinavit*, ex quo synodi elogio tantum auctoritatis epistolæ S. Procli accessisse putabant, ut laudatum assertum *de uno ex Trinitate passo* confirmatum a synodo asserebant. Alii econtra contendebant eam thesim ab eadem synodo reprobatam. Nam in actione 4. Dorotheus Monachus Eutychetis sectator, cum dixisset se credere in Christum, addidit. *Hunc ex Trinitate esse fatemur*, deinde: *Credimus ergo illum passum ex Trinitate esse*. Dioscorus Hormisdæ legatus in relatione ad eumdem, ut ostenderet propositionem *de uno ex Trinitate passo* esse erroneam, ait: *Istud & Eutychetis discipuli in synodo Chalcedonensi proposuerunt*. Trifolius etiam hujus temporis scriptor in epistola ad Faustum Senatorem adnotavit, Dorotheum ac Carosum Eutychianæ sectæ Monachos in memorata synodo professos: *Unum de Trinitate esse passum*; additque: *Talia dicentes suprascripti Archimandritæ acceperunt damnationem cum Eutychete, & omnes hæretici*. Verum non ob eam propositionem iidem Archimandritæ damnati sunt in ea synodo, sed quia Eutychetis doctrinam sequebantur, ac de Hæresiarcha dixere: *Quia catholicus est is homo, & sit ei calumnia*; ut enim notat Ferran-

Card. Noris. hist. controvers. de uno ex Trinit. passo cap. 1.

De uno ex Trinitate passo sententia S. Procli Episcopi.

randus Diaconus in epistola ad Anatolium capite 16.: *Movere quampiam non debet, si vere hanc sententiam, sicut a quibusdam dicitur Eutychetis, protulit Apocrisarius in Chalcedonensi concilio; saepe etiam per ignorantes loquitur veritas*; non enim Apostolicum, vel Nicaenum abjiciendum est symbolum, quod haereticorum plurimi retinent; sic etiam qui eam thesim congruo exponebant sensu Catholici erant, qui vero eadem impie abutebantur haeretici, ut innumeris constat exemplis, sic Petrus Fullo Eutychianorum coripheus impie blasphemabat, dum trisagio *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, addebat, *qui passus est pro nobis*, eo quod passionem, Trinitati, cui trisagium canitur, adscribebat; cumque dicebat *unus de Trinitate passus*, omittens dicere carne, (cum unicam in Christo naturam profiteretur, ne passionem Trinitati quae impassibilis est, adscriberet) Divinam Christi naturam a comsubstantiali Deitate dividebat, ut notavit Felix III. Pontifex, qui eumdem Fullonem condemnavit, in epistola ad Zenonem Imp. — JESU CHR. AN. 519.

26. His de ea thesi praenotatis, ad monachorum Scytharum libellum, unde digressi sumus, nunc revertimur. Postquam ergo dixerunt, nec novam esse eam thesim, sed a Patribus desumptam, addunt injuria sibi objici eam nullis in synodis adhibitam fuisse, cum plurima in synodis non legantur, quae tamen, cum ratio cogit, proferre non dubitamus, quod etiam Augustini confirmarunt sententia: *Non est in rebus considerandum, quid vel sinat, vel non sinat dici usus sermonis nostri, sed quis rerum ipsarum intellectus eluceat*; & post multa in eam rem, circa finem libelli subdunt: *Nunc jam qualiter de Incarnatione Dominica, sive quid de Gratia Dei &c. sapiamus, necessario vobis credimus facere manifestum*. Sequuntur deinde capitula, quibus Nestoriana haeresis confoditur, & Pelagiana, appositis anathematismis ad singula capitula. Alia etiam ejusdem Maxentii fidei professio extat, in qua memorata capitula sanctorum Patrum testimoniis, & acutis ratiociniis egregie confirmabantur, cujus initium est: *Igitur sequentes in omnibus fidem sanctorum Patrum &c.* Denique Maxentius, ut omnem invidiam a se removeret, in eodem libello testatur se quatuor Oecumenicas synodos recipere ac venerari. De Chalcedonensi vero, de qua praecipue in suspicionem venerat, addit: *Nec non etiam, quam*

Monachorum Scythiae professio fidei, & Apologia.

S. August. lib. 5. de Trinit. cap. 7.

Tom. 9. Biblioth. PP. pag. 534.

Biblioth. PP. ut supra.

Jesu Chr. An. 519. *quam sequimur, & amplectimur venerandam synodum Chalcedonensem &c. Anathematizamus autem omnes, si quis dubitat, aut retractat, aut imperfectam judicat.* Damnata declarat Theodori scripta, ac Nestorii; his adjicit Eutychetem, Dioscorum, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, Petrum Fullonem, & Acacium, cum omnibus eorumdem sectatoribus, nec non complicibus. Qua quidem tam expressa, ac manifesta Eutychianorum damnatione, omnem abs se ejus hæresis suspicionem excussit.

De Maxentio monacho.

Possevin. in apparat sacro Centuria 6. cap. 10.

27. Maxentium autem Scytharum monachorum præcipuum Pictaviensem fuisse post Centuriatores scribit Possevinus; at eorum sententiam invictis argumentis Norisius confutat, sicuti & Vossii, aliorumque, qui Maxentium, ne quidem monachum fuisse scripserunt, quem Dioscorus in litteris ad Hormisdam monasterii Abbatem fuisse indicat. Usserius vero presbyterum Antiochenum fuisse scripsit, at virum doctum ea libelli verba deceperunt, quibus ait: *Flavianum hujus urbis Episcopum*; unde credidit de Flaviano Antiocheno Episcopo eum locutum fuisse, cum de Flaviano CP. Episcopo loqueretur, quod facile poterat Usserius intelligere ex his, quæ postea subdit, dum B. Proclum (CP. Episcopum) hujus urbis Episcopum dicit, sicque Flavianum, & Proclum hujus urbis Episcopos appellat, ambos Constantinopolitanos.

Usserius antiquit. Britt. cap. 14. pag. 480.

Monachorum Scythiæ sententia de divina Gratia.

28. Hactenus de *uno ex Trinitate passo*; ut vero facilius quæstionis series, & progressus intelligantur, pauca dicenda supersunt de alia, quam iidem Scythæ monachi tuebantur, quæstione de Gratia Christi contra libros Fausti Rejensis, quos Gelasius Romanus Pontifex in Rom. synodo condemnaverat, quos nihilominus, tum in Gallia, cum etiam in Oriente, nonnulli retinebant. Cumque CPoli eadem de divina Gratia quæstio magno animi ardore agitaretur, iidem Scythæ monachi in libello, seu fidei professione legatis Hormisdæ oblato, mentem suam circa divinam Gratiam sic explicarunt: *His ita se habentibus, Beatissime, nunc quid jam de Gratia Dei, non qua creamur, sed de ea, qua recreamur, & renovamur, sentiamus, breviter exponentes Sanctitati vestræ necessario credimus facere debere manifestum, eo quod etiam in hac parte inimici Gratiæ Dei, idest Pelagii, & Cælestii sectatores, nimium nobis infesti esse videntur*; & iterum circa finem, in dete-

deteſtationem ſententiæ, ſeu potius erroris Semipelagianorum addunt: *Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apoſtoli audent dicere, noſtrum eſt velle, Dei vero perficere, cum idemmet Doctor, & velle, & perficere donum teſtetur eſſe divinum*. Quem exitum hæc habuerint, ex dicendis infra conſtabit. Interea diſcordiæ ignis, non ſolum regiæ urbis monaſteria invaſerat, ſed ipſam etiam Imperatoris aulam. Non enim ſolum Acæmetæ monachi contra monachos Scythas certabant, ſed etiam Juſtinianus Imperatoris Nepos, & Comes Domeſticorum. At pro monachis Scythis ſtabat Vitalianus Magiſter militum, cui Leontius ex Scythis unus affinitate conjunctus erat. Cum ergo Scythæ apud Hormiſdæ legatos nil proficerent, integram cauſam ad Hormiſdam deferre ſtatuerunt, ac regia urbe clanculum diſcedentes, quatuor ex eis ſcilicet Achilles, Joannes, Leontius, atque Mauritius (quem Baronius in Maxentium mutavit,) ſociorum nomine legatione fungentes, Romam perrexerunt.

Dioſcori relatio ad Hormiſdam de Scythiæ monachis.

29. Dioſcorus interea Hormiſdæ Papæ legatus in relatione ad Pontificem miſſa ab Scythis Monachis Eccleſiarum ſtatum iterum perturbari narrat. *Gaudemus*, inquit, *de unitate Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quæ facta eſt cum Sede Apoſtolica; lætamur quotidie diverſorum Epiſcoporum libellos nobis ſatisfactionis offerri &c. At inſidiator antiquus ſuſcitavit monachos de Scythia, qui de domo magiſtri militum Vitaliani ſunt, omnium Chriſtianorum votis adverſarii, quorum inquietudo non parvas moras generavit unitati Eccleſiarum, & magnopere de prædictæ Eccleſiæ Antiochenæ ordinatione. Iſti monachi, inter quos eſt Leontius, qui ſe dicit eſſe parentem magiſtri militum, Romam feſtinant, ſperantes aliqua capitula a Beatitudine veſtra confirmari. Eſt in ipſis inter cætera ubi volunt dicere, unum de Trinitate crucifixum, quod eſt nec in ſanctis Synodis dictum, nec in epiſtolis ſancti Papæ Leonis, nec in conſuetudine eccleſiaſtica. Quod ſi permittitur fieri, mihi videtur diſſenſiones, & ſcandala non mediocra naſci inter eccleſias*, cum vel ipſa inuſitata loquendi formula ſcandalum parere, & erroribus occaſionem præbere poterat, quare ſubdit: *Sanum mihi videtur & utile, & ad pacem Eccleſiarum conveniens, nihil aliud reſponſum dari, niſi: Sufficit ſanctum Chalcedonenſe concilium, in quo & aliæ Synodi continentur; ſufficiunt epiſtolæ Papæ Leonis, quas Synodus confir-*

JESU CHR. AN. 519.

Altera Legatorum relatio ad Hormisdam.

firmavit; *novitatem in Ecclesia introducere nec volumus*, *nec debemus &c. Data III. Kalendas Junias*, *Constantinopoli*. In alia autem relatione post mensem data III. scilicet Kal. Julias, narratis, quæ egerant pro Ecclesia Antiochena, de Scythis addit: Harum tamen tribulationum provisores, & socii, & unitati Ecclesiarum impedimento monachi de Scythia fuerant, qui postea hic defecerunt, assignati ab omnibus nihil pacificum cogitare, ad Beatitudinem vestram cucurrerunt, sperantes surrepere, & per litteras vestræ Sedis suas intentiones confirmare. Isti de sua provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis Antistes. Petitiones obtulerunt, & coacti piissimi principis, & domini Vitaliani magistri militum jussione, frequenter ad audientiam causæ convenimus, non quasi volentes nos in his negotiis occupare, quia nobis sunt ante oculos Beatitudinis vestræ præcepta, quibus præcepistis, ut causæ tantum, cui veneramus, intenti, nullis aliis negotiis misceremur; sed sperantes posse intentiones eorum pacari, ad hoc descendimus. Et quia nobis diu laborantibus, & illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in eo quo tenebamus, clementissimus Imperator in conventu publico, ubi & nos interfuimus, Paternum prædictum Episcopum, & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam, accusatores quoque ejus suo præcepit Episcopo supplicare. Monachi vero cum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi, maluerunt de civitate discedere, quam ad concordiam pervenire. Prædicti monachi ad Italiam venientes, aliquanta capitula proponere habent, inter quæ, & unum de Trinitate crucifixum continetur, sperantes ita confirmari ex auctoritate Beatitudinis vestræ, sicut & in aliis litteris significavimus, & modo hoc dicimus, ut nulla novitas a Sede Apostolica scribatur, quia & nos ante Imperatorem, & ante Senatum hæc indicavimus, dicentes: Extra Synodos quatuor, extra epistolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus quidquid non continetur in prædictis synodis, aut quod non est scriptum a Papa Leone non suscipimus, quod si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud initium, quam illud quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet Ecclesiæ, quod per sexaginta annos ab Eutychete usque modo sustinuit. Nobis quod visum est scripsimus. In vestra potestate est deliberare, quod vobis

vobis Deus imperaverit. Hæc, & alia ad Hormisdam Pontificem Romanæ Sedis legati CP. commorantes, qui Monachorum importunitate, ac novitate doctrinæ turbati, suspectæ fidei eos fuisse dixerunt, ac ut ab eorum fraudibus caveret, eosque repelleret, admonuerunt. Epistola altera, quid Justinianus ab Hormisda peteret, his verbis exponunt.

De reliquiis Apostolorum CPolim mittendis Justiniani petitio. Tom. 4. pag. 1515.

30. *Filius vester magnificus vir Justinianus, res convenientes fidei suæ faciens, Basilicam sanctorum Apostolorum, in qua desiderat, & beati Laurentii martyris reliquias esse constituit, sperat per parvitatem nostram, ut prædictorum sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri secundum morem Græcorum, & nos contra consuetudinem Sedis Apostolicæ exposuimus. Accepit rationem. Et quia talis est fervor fidei ejus, qui meretur quidquid de Apostolica Sede depoposcerit, & talis est, qui sperat, unde & salus animæ, & fidei effectus accrescat; talibus desideriis postulata competit non negare. Unde si & beatitudini vestræ videretur, sanctuaria beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, secundum morem, ei largiri præcipite; & si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere, vestrum est deliberare*: Sanctuaria porro lintea erant, quæ ad sepulcra Apostolorum appendebantur, quæque pro reliquiis, etiam ad magnos Principes, ut pluribus exemplis constat, mittebantur; Cataracta vero cancellus ferreus in modum latri compactus, quo Petri sacellum muniebatur, gemini hi erant, ut legati ajunt, prior exterius, interius alter, monumentum ambiebat, & pro singulari gratia concedebatur, ut interius appenderentur ea linteola, ut quo propius ad Apostolorum corpora accederent, eo majorem virtutem extraherent, sicque pretiosiora fierent; sed pergunt legati: *Petit & de catenis Sanctorum Apostolorum, (si possibile est) & de craticula beati Laurentii martyris. Ista sunt desideria prædicti viri, in hoc fides ipsius est incitata. Propter hoc in urbem vestram virum spectabilem Eulogium Magistrianum direxit, hoc sibi satisfacere judicans, si de ipso fonte, de quo per omnem terram sanctuaria Apostolorum sunt data, inde & ipse reliquias suscipere mereatur*. Ex his intelligis lector, qualem hoc seculo reliquiis venerationem fideles profiterentur, dum pro magno munere etiam Principes habebant, non ex carne, aut ex ossibus sanctorum, sed velum, quod Apostolorum sepulcrum tetigerat.

Quid significent Sanctuaria.

Justinianus petit portionem de catenis Apostolorum.

Jesu Chr. An. 519. Hæc percurrens Basnagius, *in reliquiarum cultum ruebant animi*, ait, quasi tunc primum fideles reliquias sanctornm venerari cœperint, cum alioquin innumeris constet exemplis, hunc reliquiarum cultum ab Apostolica ætate manasse.

Basnag. annal an. 519. num. 16.

Justiniani epist. ad Hormisdam.

31. Quanti autem ea dona faceret Justinianus, ex ejusdem epistola ad Hormisdam constat, qua etiam de Monachorum dissidiis agit. *Domino Sancto meritis Beatissimo, & Apostolico Domno Patri Papæ Hormisdæ, Justinianus VC. Propitia Divinitate, quæ semper Ecclesiam catholicam per incrementa fidei instituit, unitas sanctarum Ecclesiarum per doctrinam, & auctoritatem Apostolatus vestri provenit. Sed quoniam comperimus quosdam nomine monachos, quibus magis discordia in studio est, quam caritas & pax Dei, cupientes quædam perturbare, ad Angelum vestrum hinc discedentes iter arripuisse, quos beatitudo vestra præsentibus scriptis causam livoris eorum cognoscens, ita ut merentur suscipere, & a se longe pellere dignetur: quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor synodi venerabiles, neque sancti Leonis Papæ epistolæ continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur. Quamobrem etiam & a viris reverendissimis Episcopis, & Diaconibus directis ab Apostolatu vestro ad nos Angelus vester destinare dignetur, & ipsos digna correctione perculsos, ut superius dictum est, pellere jubeat. Ergo hæc petimus, ut (sicut supradictum est) ipsas hujusmodi litteras per eumdem portitorem ad nos dirigere magnopere festinet. Sunt autem nomina eorum, Achilles, Joannes, Leontius, & Mauritius. Hæc nostra est maxima sollicitudinis causa, ne unitas, quam vester labor oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur, sperantes in Domino Deo, quia si quid est quod adhuc a totius orbis pace dissentiat, hoc quoque orationibus vestris Apostolicæ Sedis communioni societur.* Hactenus de Monachorum litigiis; sed reliqua prosequamur: *Præsumentes autem de beatitudinis vestræ benevolentia, paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquiis sanctorum Apostolorum tam nos, quam Basilicam eorum hic in domo nostra sub nomine prædictorum venerabilium constructam, illustrare, & illuminare large dignemini: cognoscentes, quod nullum nobis majus beneficium, nec munus præstare potestis, Domine beatissime Pater, quam si hanc nostram petitionem adimpleveritis. Subito autem iter arripiente prædicto*

agen-

agente in rebus, etiam duo pallia serica ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum direximus, quæ suscipientes, efficacissimis precibus vestris, nostri jubete jugiter facere memoriam. Hactenus Justinianus ad Hormisdam. Basilicæ ab eo extructæ meminit Procopius his verbis: *Principio divis Petro, & Paulo templum extruit, juxta regiam aulam, ab Hormisda olim agnominatam, ubi priusquam imperaret, domicilium fovebat*: Hanc Basilicam Hormisdæ titulo insignitam fuisse tradit Baronius, sed vero propius est, Regiam aulam Hormisdæ dictam fuisse, ac Basilicam Apostolorum titulo condecoratam, ut ex Procopii verbis facile conjicitur.

Procop. de ædificiis Justinian. lib. 1. pag. 674.

32. Duas alias hoc anno ad Hormisdam epistolas dedit Justinianus in Monachorum causa, quarum prima petit, ut expedito eo negotio, Joannem, & Leontium ad se remittat; altera rogat, an dicendum sit unum de Trinitate fuisse Crucifixum, in qua notatu digna sunt, quæ de Apostolicæ Sedis auctoritate in dogmatibus definiendis adnotat: *Post semel enim divina misericordia donatam ecclesiæ catholicæ unitatem, quidam asserunt, Christum Filium Dei Dominum nostrum pro salute nostra carne Crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari, quod si suscipiendum sit, paterna provisione, reverentia vestra, cautissimo suo rescripto, quod sequi, quidve super hoc vitare debeamus, nos certiorare dignetur, quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis Pater, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, quorum memoriam, & amplectimini, & consortio Pontificatus ornatis: & de hac intentione liberos nos properate reddere, & securos.* HOC ENIM CREDIMUS ESSE CATHOLICUM, QUOD VESTRO RELIGIOSO RESPONSO NOBIS FUERIT INTIMATUM ETC. Intelliigis quidem lector, Justiniano dignam, cum suæ esset mentis compos, atque præstaret pietate, sententiam; ex qua perspicue satis quisque percipere, manuque tangere potest, quanta esse soleret in Theologicis controversiis definiendis Apostolicæ Sedis auctoritas, ut quod ab illa esset definitum, illud apud omnes catholicum haberetur. Ex qua epistola id etiam notatu dignum est, quod Justinianus ex Monachorum accusatore, consilio mutato (opera, ut creditur Vitaliani) advocatus apud Hormisdam agere videtur.

Aliæ Justiniani epist. ad Hormisdam. Tom. 4. pag. 1517.

33. Hormisdas interea, bina legatorum relatione accepta,

Hormisdæ epistola ad Justinianum.

Jesu Chr. An. 519.

pta, acceptisque Justiniani litteris, cum Schytas monachos ea, qua Romanum Pontificem decet, charitate suscepisset, iique fidei suæ professionem obtulissent, dubius hærebat animo, quid consilii caperet, animadvertens præcipue monachorum causæ Vitalianum, & Justinianum, dignitate ac potentia clarissimos viros, patrocinari. Cumque eæ quæstiones in Occidente ignotæ essent, id tandem consilii cœpit, ut causam Joanni CP. Patriarchæ delegaret, ut ubi orta erant dissidia, ac diversis partium studiis agitabantur, ibidem accuratiori examine discussa, finem acciperent, ut ex Dioscori relatione anno sequenti data scimus. Sed cum Monachi interposito juramento contestarentur, sibi ipsis in itinere paratas esse insidias, eorum causam cognoscere decrevit; sed post legatorum ad urbem reditum, ne una tantum audita parte, præposterum proferret judicium. Hæc omnia idem Pontifex habet in duabus epistolis ad Justinianum hoc anno datis, in quarum prima quoad reliquias petitas, ejus votis satisfecisse testatur, eaque post præfationem, ac multa in ejus laudem dicta, subdit. Præterea Monachos, quos venisse Romam significastis, litteris vestris ad propria mox voluimus reverti. Sed quia sub testificatione potentiæ divinæ dicebant, per insidias in itinere paratum vitæ sustinere se posse discrimen, volentes redire Constantinopolim, passi non sumus violenter expelli. Quapropter necesse habuimus, venientibus legatis nostris inquirere, qua revera faciente causa, inter eos fuerit commota discordia. Beatissimorum vero Apostolorum Petri, & Pauli sanctuaria, sicut religiosissimo quæsiistis affectu, per harum portitorem sub omni veneratione transmisimus, optantes orationibus eorum, ut mentis vestræ oblatio, & desideria gratiæ sint divinitatis accepta. Petimus itaque, ut tam de his, quæ geruntur pro concordia, quam etiam de incolumitatis vestræ bono nuncietis sollicitudini nostræ gaudium, currente pagina litterarum. Data IV. Nonas Septembris, Eutharico viro Clarissimo Consule. Hæc Hormisdas ad Justinianum.

Hormisdæ epist. ad legatos.

34. Epistola autem altera narrat, Monachorum causam ante legatorum suorum reditum non esse cogniturum, eosque ea de causa Romæ retinuisse. Cumque iidem Monachi, vel longioris moræ impatientes, vel causæ diffidentes, clauculo fugere tentassent, sicque Apostolicum evadere judicium, eos Hormisda custodi-

ſtodiri voluit, uſque ad legatorum reditum, ut idem Pontifex ad legatos ſcribit III. nonas Decemb., cujus epiſtolæ exordium eſt: Graviter nos &c. in fine autem hæc addit. De perſonis Scytharum Monachorum Juſtinianus vir illuſtris nobis ſcripſit, quarum exemplaria litterarum fraternitati veſtræ direximus, qui cum nollent ſuſtinere veſtræ dilectionis adventum, & obſervationum moras ſe dicerent ferre non poſſe, tentaverunt clam de urbe diſcedere, quos tum nos faciemus ſolicitius cuſtodiri, ea quæ de vobis contraria dixerunt volentes agnoſcere, ut cum reverſi, Deo propitio, fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur. Hæc Hormiſdas. At quænam fuerint a monachis contra Legatos dicta, ex litteris Dioſcori Legati intelligimus. Scripſerat autem idem Pontifex, eodem nuncio ad Dioſcorum de iiſdem Scythiæ monachis, qui adverſus eum potiſſimum dederant conteſtationem, eoquod recepiſſet Victorem Diaconum, quem iidem Monachi apud Hormiſdam reum fecerant Neſtorianæ hæreſis. Cum itaque litteris Hormiſdæ Papæ, ex falſa relatione Scytharum Monachorum, Dioſcorus nonnihil ſe perſtringi ſenſiſſet; ad eum reſcribens, quomodo ſe habuerit cauſa Victoris, in primis enarrat; atque, ne vel levi aliqua ſuſpicione apud eumdem Pontificem laboraret, exactam orthodoxæ fidei confeſſionem iiſdem ſuis appoſuit litteris, quarum exordium eſt. *Per Eulogium virum ſublimem &c.* quas exſcribere non vacat.

JESU CHRISTI AN. 520. HORMISDÆ PAPÆ 7.
JUSTINI IMP. 3.
THEODORICI REGIS 28.

1. Inſequens annus quingenteſimus cum vigeſimo, Ruſtico, & Vitaliano Conſulibus, notatus eſt. Ruſticus in Occidente, Vitalianus vero in Oriente creatus. At hic malis avibus provectus, conſularem trabeam proprio purpuravit ſanguine, *Vitalianus*, ut habet Marcellinus, *menſe conſulatus ſui ſeptimo, decem ſeptem vulneribus confoſſus, in Palatio, cum Cleriano, & Paulo ſatellitibus interemptus eſt*. Vitaliani necem Juſtino adſcribit Evagrius. Cum enim ob affectatam ſub Anaſtaſio tyrannidem ſibi timeret, eumdem, ſimulata amicitia, militum oblata Præfectura, in Regiam revocaverat urbem, ac conſulatus dignitate exornatum interfecit. Victor

[Margin: Vitaliani Coſſ obitus. — *Marcell. in chron.* — *Evag. lib. 4. cap. 3.*]

Jesu Chr. an. 520. *Tunonensis in chron. Procop. hist. Arcan. cap. 6.*

ctor tamen Tunonensis, & Procopius Justiniani insidiis, & invidia, eum occubuisse narrant. *Vitalianus Constantinopoli, intra Palatium, loco, quem Delphicum Græco vocabulo dicunt, Justiniani Patricii factione dicitur interfectus*, ait Tunonensis; Procopius vero, narrata Amantii cœde Justiniani opera, subdit: *Illico vocatum mittit Vitalianum Tyrannum, fide publica, impunitate promissa, & una susceptis Christianorum mysteriis, nihil veritus fidem fallere tam formidandam*, occidendum jussit. At sive Justini, sive Justiniani opera, vel utrorumque, quod probabilius videtur, id acciderit, indigna morte, honorum esca illectus, occubuit.

Justini epist. ad Hormisdam solutionem quæstionum petentis.

2. Hoc anno Hormisdas Pontifex in procuranda cum Orientalibus ecclesiis pace, cum in causa Monachorum Scythiæ, innumeras iterum subiit sollicitudines, quibus perficiendis Justinum, & Justinianum adjutores habuit, ut ab eis datæ epistolæ declarant. Scripsit imprimis Justinus ad Hormisdam, quarumdam quæstionum solutionem ab eo petens. Cum enim aliqui Episcopi, oblatis libellis, dubia quædam eidem proposuerint, sciens sui officii non esse ea solvere, sed iis, qui ecclesiæ præsunt, atque imprimis Romano Pontifici, ad Hormisdam ea solvenda misit, ad quem principio hujus anni his verbis scripsit. Quanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis ecclesiis, jamdudum nos palam fecisse dignoscitur: qui & ab ineunte nostro imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, ut interventu eorum remedium aliquod his rebus inveniri possit. Et antequam advenerint, qui destinati sunt, cuncta præparavimus, quo facilius transigerentur, quæ per hanc florentissimam urbem disponenda fuerant. Verum quoniam preces nostro numini porrectæ sunt ex diversis Eois provinciis, certa quædam differentibus pro fide catholica, secretaque suæ mentis declarantibus, quæ apud se pro individua Trinitate constituta testantur, quæque firmiter se se recepturos ostenditur: hisque relectis, Dioscorus aliqua asseruit non convenienti ordine inserta fuisse: merito duximus aperienda vobis ea, quæ sumus edocti. Non multo itaque post, a nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus, & insinuandas vobis supplicationes, quæ nobis oblatæ sunt, & responsum pietatis vestræ referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruæ.

Secu-

Securi igitur de nostro consilio, solicitis orationibus placare nobis divinitatem summam dignemini. Data XIV. Kal. Februarii, Constantinopoli, Vitaliano, & Rustico Consulibus. Hæc Justinus ad Hormisdam. Quæ autem fuerint quæstiones ab Imperatore Hormisdæ delatæ, dicemus inferius.

De Dioscoro Hormisdæ legato.

3. Ejusdem diei sunt Joannis CP. Episcopi litteræ ad Hormisdam, quibus significavit Paschale festum 13. Kal. Maji recte celebrari, hæcque novissima fuit Joannis epistola, nam paulo post obiit. De Paschatis festo eadem scripserunt Hormisdæ legati: *De Paschali die vestra beatitudo cognoscat, concordare Orientalium cum Apostalica Sede sententiam, ut 13. Kal. Maji die festivitas celebranda speretur, sicut Joannis quoque CP. Antistitis relatione clarebit*. Dioscorus, cujus meminit in sua epistola Imperator, quique Hormisdæ legatus apud Justinum erat, quique monachos Scythas apud Pontificem epistolis suis acerrime est insectatus, patria erat Alexandrinus, & Hormisdæ, ob rerum agendarum peritiam, ac doctrinæ copiam, sicuti & Græcæ linguæ peritiam, carissimus, ita ut Alexandrinæ ecclesiæ eum præficere destinaverit, atque ad eum scribens his verbis declaravit. Quoniam supplicem, & puram cogitationem nostram, per te misericordia divinæ propitiationis adjuvit, necesse est, ut de industriæ, vel fatigationis tuæ præmio, & vicissitudine cogitemus. Nam sequenti tempore scribere Domino, & filio nostro Imperatori disponimus, ut te Alexandrinum Episcopum debeat ordinare. Justum est enim, ut ea doctrina & moderatione tua corrigatur ecclesia, in qua præcipue ab ipsis ætatis tuæ principiis militasti; nam displicuit nobis, quod caritatem tuam amplissimus Imperator Antiochenæ præponere nitebatur Ecclesiæ. Melius enim in solo patriæ tanti accipies sacerdotii dignitatem, ut Ægyptios populos doceas, quam inter Syros, novos & incognitos homines, in alia orbis parte progenitus errare videaris. Hæc Hormisdas ad Dioscorum. Sed quum Alexandrinam sedem obtinere non potuerit, majorem ea invadere tentavit, nam Romanam, mortuo Felice, vi occupavit, conflato contra Bonifacium II. schismate, quod intra paucos dies una cum ipso extinctum est.

Joannis CP. Episcopi obitus.

4. Interea Joannes CP. Episcopus, cum eam sedem per annum unum, menses decem obtinuisset, mortuus est die 25. Februarii, ut habet Theophanes, cui annos duos assignat, sed accuratius

Theoph. in cronog. pag. 152.

Jesu Chr. an. 520. ratius Nicephorus in chronico annum unum, menses decem, quibus addendi sunt dies aliquot a Nicephoro omissi, a die scilicet 17. Aprilis anni 518. ad diem 25. Febr. currentis. In Joannis locum Epiphanius CP. ecclesiæ syncellus ordinatus est, ut narrat Dioscorus ad Hormisdam Pontificem scribens: *Erat optabile, & voto nostro conveniens, consonantia præteritis annunciare, scilicet Pontificem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Joannem esse superstitem, & confessionem libello editam: cujus merita non est dubium Deo placere, qui inter Catholicos, & communicatores Sedis Apostolicæ meruit ad aliam ex hac vita discedere. In cujus locum Epiphanius quidam Presbyter quondam syncellus ejus successit, cujus initia bona videntur: nam rationabilia loquitur, & promittit patrum se regulas servaturum, pacem unitatemque ordinatam non dissipare, sed magis augere. Ista sunt quæ promittit &c.* Episcoporum primarum in orbe sedium officium erat, ut post ordinationem ipsorum legatos ad Rom. Pontificem mitterent, quod officium cum distulisset Epiphanius, ut id impleret, his litteris excitavit Hormisdas.

Dioscori relatio ad Hormisdam de Joannis obitu, & Epiphanii ordinatione.

Hormisdæ epist. ad Epiphanium, qua exigit legationem.

5. *Diu nos non nunciata tuæ primordia dignitatis tenuere suspensos, & in ipsa communis gratulatione lætitiæ, mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum; quia reparata ecclesiarum, Deo annuente, concordia, plenum fraternæ pacis id flagitabat officium: præsertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te Legatos ad Apostolicam Sedem inter ipsa tui Pontificatus initia destinasse, ut & quem tibi debeamus affectum bene cognosceres, & vetustæ consuetudinis formam rite compleres &c.* His acceptis, officio suo non defuit Epiphanius, sicuti nec synodus CP. in ejus ordinatione collecta; nam Epiphanius una cum fidei professione ad Hormisdam hanc dedit epistolam. Sanctissimo ac beatissimo Domino Fratri, & Comministratori Hormisdæ, Epiphanius Episcopus in Domino salutem. Deus qui in alto habitat, & humilia respicit, & omnia affluenter, pro sua bonitate & misericordia, meam respexit parvitatem, & post obitum sanctæ memoriæ quondam Archiepiscopi, & Patriarchæ Joannis, Sedem Sacerdotalem sanctæ Ecclesiæ catholicæ Regiæ urbis mihi conferre dignatus est, sententia, & electione Christianissimi, & justissimi Principis nostri Justini, & piissimæ Reginæ,

ginæ, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiumque eorum his, quibus est bona conversatio, & qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit. Quapropter necessarium duxi hoc primum indicium meis inferre litteris, ut ostendam, quam circa vestram Apostolicam Sedem habeo voluntatem. Est mihi oratio magnopere, Beatissime, uniri me vobis, & divina amplecti dogmata, quæ beatis & sanctis discipulis, & Apostolis Dei præcipue summi Petri Apostolorum Sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare &c.; hisque fidei professionem subdit, qua se non solum Nicænam synodum, sed CPolitanam, Ephesinam, & Chalcedonensem suscipere, & venerari testatur, atque decimoquinto Kal. Octob. accepta dicitur Rustico Coss., eademque die accepta est epistola Justiniani, qua Hormisdam de duabus quæstionibus iterum interrogavit, quarum prior erat, an dicendum liceret unum ex Trinitate (Christum scilicet) natum, crucifixum &c. posterior de non delendis catholicorum Episcoporum nominibus, qui cum Acacii memoria communicaverant.

Justiniani ep. ad Hormisdam.

6. Interea cum Joannes Episcopus Hormisdæ legatus, cujus reditum expectabat Hormisdas, ut quæstionibus responderet, adversa valetudine teneretur, ne Romam cito rediret, Justinianus moræ impatiens, alteras litteras ad Hormisdam per Eulogium tribunum misit, iisque ut propositis quæstionibus sibi fieret satis, rogavit his verbis: *Quanta reverentia vestram Beatitudinem veneremur, multis epistolis ex quo serenissimus Imperator filius vester regnavit, cognoscitis. In præsenti quoque debito pudore salutantes tuam Sanctitatem, postulamus enixius, ut assiduis precibus, & frequentissimis orationibus pro concordia laboretis Ecclesiarum vestrarum, nobisque (sicut per Legatos etiam vestros post omnia scripsimus) tam de sermone, de quo vertitur controversia, quam de nominibus Episcoporum sub Acacio defunctorum, per Eulogium virum sublimem tribunum, & notarium dignetur Apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum, omnibus videlicet, quæ præsentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuo firmiter duraturis. Vir namque religiosus Joannes Episcopus venturus est Romam, detinetur ægritudine corporali; nihil enim prohibet ante ejus quoque adventum concordiam prævenire,*

Justiniani epist. altera ad Hormisdam

JESU CHR. AN. 520. *sublata dubitatione religionis, & eum tamen mox dimittemus favente Divinitate, quia jam melius habet; quoniam nec difficilia sunt, quae ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit diutius causam vitae protrahi sempiternae, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius. Aeternitatis igitur supernae, tremendique judicii non immemor Sanctitas vestra, quae sibi commissa sunt efficaciter tradi deproperet, ut intelligant cuncti recte vos Apostolicae Sedis esse primatum sortitos. Haec igitur, quae scribuntur a nobis affectu paterno jubete quantocius adimpleri. Scitis namque quam sit admirabilis gloriae tantorum errores annorum vestri Pontificatus tempore stirpitus aboleri*. Justinus quoque Imp. per eumdem Eulogium Hormisdae litteras misit, quibus narrata Joannis Episcopi aegritudine subdit: Ne qua igitur vestram Reverentiam ingrediatur adversa sententia, quasi vobis promissa nostra, desidia quadam ultronea, minus ad effectum perducentibus, necessarium esse perspeximus dilationis causam vobis exponere per Eulogium VC. tribunum & Notarium, quem ad praecelsum Regem Theodoricum super negotiis quibusdam transmisimus. Deinde addit Joannem sanitati redditum illico se Romam dimissurum, cui respondit Hormisdas epistola Kal. Novemb. scripta, ac de Imperatoris fide nunquam se dubitasse testatur; cujus epistolae initium est: *Benedicta Trinitas &c.*

Tom. 4. pag. 1539.

Synodalis Epist. ad Hormisdam.

7. Paulo ante Romam advenerat Joannes Episcopus, & cum eo Heraclianus Presbyter, & Constantius Diaconus legati synodi CPolitanae, & Epiphanii, deferentes ad Hormisdam epistolas, tum synodicas, cum Epiphanii proprias. Synodicae haec est inscriptio: *Domino nostro Sancto, ac Beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo, & Patriarchae Hormisdae. Theophilus, Basiliscus, Isaias, Anastasius, Paternus, Martianus, & caetera sancta Synodus quae in Constantinopolitana est civitate congregata*; ac de reddita CP. Ecclesiae, ceterisque Orientalibus pace plurimas gratias agunt, multaque in laudem Epiphanii CP. Episcopi adnotant, ac tandem: *Adjicient nostris supplicationibus, quod minus dictum est, Joannes sanctissimus Episcopus Claudiopolitanae civitatis noster Comministrator, & Heraclianus reverendissimus presbyter sanctae majoris ecclesiae, & cohabitator sanctissimi Archiepiscopi, & Patriarchae Epiphanii, & Con-*

Legati a Synodo Constantinopol. Romam missi

Constantinus vir reverendissimus Diaconus ejusdem sanctæ Ecclesiæ, qui probationem suæ rectæ fidei, & bonæ voluntatis olim his, qui a vestra Apostolica Sede fuerant directi, dedisse cognoscuntur; digni autem & vestræ Sanctitatis, & administratione pacis, & gratiæ Domini nostri Jesu Christi Dei nostri, & unitionis sanctarum Ecclesiarum monstrabuntur. Quos speramus lætantes in Domino, & pacem desideratam nunciantes, ad nos citius vestris Deo amabilibus correctionibus edoctos remeare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem nos quoque, & qui nobiscum sunt plurimum salutamus, idest Theophilus misericordia Dei Episcopus Heracliensis civitatis Metropolitanus subscribens in synodalibus, saluto vos in *Domino Domine*; & reliqui omnes numero viginti. Synodicæ epistolæ propriam addidit Epiphanius CP. Episcopus una cum muneribus ad Hormisdam, qua hæc præfatur. Quantam habuimus alacritatem, nos quoque, & piissimus, & Christo amantissimus Imperator, una cum fidelissima & in omnibus bonis florente conjuge sua circa rectam, & puram sanctarum Ecclesiarum unitionem, & quemadmodum cum caritate Dei, qua nos decebat destinatos a vobis sanctos Episcopos, & Religiosos suscepimus, & venerandos habuimus Clericos, existimamus quidem, & antè ex his, quæ acta sunt, satisfactum vestræ Beatitudini &c.; ac post plurima causam, ob quam legatos Romam CP. synodus, & Imperator Justinus miserat, enixe commendat, ut scilicet motam quæstionem de uno in Trinitate passo solveret, ac ut eorum nomina, qui Acacii nomen in dypticis retinuerant, Euphemii præsertim, & Macedonii, in dypticis retinerentur, ac tandem munera hæc in eo mutuæ caritatis signum se misisse addit. Indicia autem nostræ secundum Christum Dominum nostrum caritatis per viros reverendissimos destinavimus, ad administrationem divinæ culturæ, & sanctæ Apostolicæ vestræ Ecclesiæ, calicem autem gemmis circumdatum, patenam auream, & alium calicem argenteum, vela serica duo, quæ suscipere vestram Beatitudinem supplicamus cum illa caritate, quam vos habere secundum Deum non dubitamus. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, nos quoque, & qui nobiscum sunt plurimum salutamus. Accepta pridie Kal. Decembris, Rustico VC. Consule. Hactenus ea, quæ hoc

JESU CHR. AN. 520.

Scythæ monachi ad Episcopos exules in Sardinia scribunt.

anno transacta sunt inter Epiphanium Constantinop. Episcopum, & Hormisdam Romanum Pontificem.

8. Interea quid egerint Monachi Scythæ, de quibus anno superiori plura diximus, videamus, qui dum longiores Romæ moras traherent, & sub libera custodia detinerentur ne aufugerent ante legatorum adventum, ut ex Hormisdæ epistola anno elapso diximus, nobiles suæ ipsorum causæ patronos invenerunt. Totum impleverat Orbem Episcoporum Africæ fama, qui ut diximus anno 507. a Trasamundo Vandalorum Rege Ariano exules in Sardiniam deportati fuerant. E re itaque sua esse monachi judicarunt, tam illustrium doctrina, sanctitate, fidei confessione virorum, suæ ipsorum causæ suffragia quærere, quod missa legatione, una cum fidei libello, ipsis feliciter cessit. Quatuor tantum Romam primo venerant, sed ipsis alii deinde in subsidium adjuncti fuerant. Ex iis itaque Petrus Diaconus, qui primo loco eorum litteris subscripsit, & Joannes Lector in Sardiniam missi sunt, ac librum de Incarnatione & Gratia, capitibus octo distinctum, Africanis Episcopis in Sardinia exulibus miserunt, in cujus præfatione hæc scribunt: *Suppliciter petimus, & obsecramus Beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione ea, quæ inferius continentur, discutientes (ut decet verissimos, & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sententiam vestram nobis patefacere jubeatis, ut si Domino præstante catholicæ Fidei conveniens, & Apostolicis traditionibus, nostra apud vos, sicut non diffidimus, fuerit expositio comprobata, & facile tantorum virorum, probatissimorumque Sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valebimus, & in fide sanctorum Patrum perseverantes Deo, qui nos sanctimonii sui confessione glorificavit, gratias referamus Domini Sanctissimi, & Deo dignissimi*. Rursus ibidem etiam hæc insuper præfati sunt: *Utile, & pernecessarium, Sanctisque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum, ea, quæ de Incarnatione, & dispensatione divina nobiscum universæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt &c. sanctitati vestræ suggerere*. His lectis exclamat Baronius: Puto quidem in ipso ingressu te considerasse consuetam hæreticorum arrogantiam, dum pauci Scythiæ Monachi, si tamen Monachi, potius vero circulatores dicendi, & impostores, totius Orientalis Ecclesiæ præ-

Biblioth. PP. tom. 9. pag. Scythæ monachi legationem mittunt ad Episcopos exules in Sardinia.

Card. Bar. an. 519. n. 103.

sese

ſeſerunt eſſe Legatos, ſecumque omnes Eccleſias eadem ſentire, ac præſertim Populum Orientis. At Scythæ monachi non ſe totius Orientalis Eccleſiæ Legatos dixerunt, hoc unum in titulo libelli ſcribentes: *Petrus Diaconus, Joannes, Leontius, Joannes, & cæteri Fratres in cauſa fidei Romæ directi*. Univerſas quidem Orientalium Eccleſias una ſecum conſpirare conteſtati ſunt, ſed non ſoli illa dixerunt; nam hoc ipſum de Epiſcopis Orientis ſcripſit Juſtinianus ad Hormiſdam in epiſtola, quæ eſt poſt 72. ejuſdem Pontificis.

De Gratia Chriſti monachorum Scythiæ ſententia.

9. In eo libello ad caput ſextum uſque de perſona Chriſti Domini ſuam fidem exponunt monachi, defendentes imprimis capite 4. eam theſim de uno ex Trinitate paſſo, deinde a capite ſexto ad finem de Gratia, & libero arbitrio tractant, unde: *Poſt hæc conſequens eſt etiam qualiter de Chriſti Gratia ſentiamus, qua nos eruit de poteſtate Sathanæ, ſecundum quod nobis eſt traditum, veſtræ Beatitudini declarare, quia etiam in hac parte auctoritas veſtra nobis valde eſt neceſſaria*. Inde de peccato originali, ejuſque pœnis, de humani generis Gratia reparatrice juxta ſancti Auguſtini doctrinam copioſe, eruditeque diſſerunt; in fine cap. 6. fidem præcipue dari a Deo tradunt, ac ſine meritis prædeſtinationem, & ex Cæleſtini Papæ, ut putabant, capitulis dicta confirmant. Errant tamen, dum cap. 8. hoc teſtimonium: *Omnia ſtudia & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam &c.* tribuunt Innocentio Papæ in Epiſtola ad Synodum Melevitanam, nam legitur in appendice litterarum Cœleſtini cap. 8. Cæterum opuſculum illud ſic concludunt: *Hæc ſanctiſſimi non quaſi ignorantibus ſuggerere neceſſarium æſtimavimus, ſed ad confutandam eorum amentiam, qui ea ut nova dogmata, & penitus Eccleſiis inaudita refugiunt, huic parvitatis noſtræ libello inſerere utile conſideravimus. Quorum omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium, & Cæleſtium, ſimulque etiam Julianum Eclanenſem, & qui illis ſimilia ſapiunt, præcipue libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lirinenſi provectus eſt, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt; in quibus non ſolum contra horum omnium Sanctorum Patrum, verum etiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens, humano labori ſubjungit Gratiæ adjutorium, atque totam omnino*

Chri-

JESU CHR. AN. 520. *Christi evacuans Sanctos, non ea gratia, quagratia, antiquos & nos, secundum quod docet beatissimus Petrus Apostolus, sed naturæ possibilitate, salvatos impie profitetur*. Hæc illi in libello fidei ad Episcopos exules. Ingens erat Afrorum Præsulum in Sardinia numerus, sed inter cœteros doctrinæ & sanctitatis fama, Bizacenæ Provinciæ Patres eminebant, quorum Dacianus antiquitate, Fulgentius vero Ruspensis Episcopus scientia primus erat. Hic Fulgentius post Prosperum alter Augustinianæ doctrinæ strenuissimus defensor, quanta in æstimatione apud cæteros esset, ejusdem discipulus his verbis indicat: *In rebus enim*, inquit, *dubiis, ubi quam maxime consilium petebatur, si quando inter se confessores beatissimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem sedebat, verumtamen ipsius sententiam Primas, vel omnes, qui Primatem sequebantur, audire, & facere cupiebant &c. Post deliberationis autem longissimas moras, quidquid definitio communis invenerat eloquenter allegandum, sensibus cæterorum Beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam, quandocumque transmarinis litteris de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur*. Cum autem a Joanne Diacono Scytharum libellum Africani Episcopi accepissent, eo perlecto, non modo Monachorum fidem commendarunt, verum etiam alterum & ipsi volumen pari titulo de Incarnatione, & gratia reposuerunt, in quo omnes Scytharum sententias approbarunt, aliisque insuper solidioribus argumentis confirmarunt.

S. Fulgentii de Incarnatione & Gratia ad Patrum dicta seu epist. 17.

10. Ab ea tamen thesi *de uno ex Trinitate passo*, quam monachi mordicus defendebant, atque ab omnibus subscribendam esse censebant, se abstinuerunt Africani Patres, cum ea inusitata esset, ejusque loco unam potius *de Trinitate personam crucifixam* fuisse dicebant; hanc tamen Scythæ monachi diversam ab altera ita putabant, ut cum illam admitterent, hanc penitus repudiarent. Sed ipsos Patres preclare, subtiliterque de incarnatione disputantes audiamus, qui num. 18. sic habent: *Igitur non Trinitas, idest non simul Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, nec solus Pater, aut solus Spiritus Sanctus, idest, non ille, qui Filium genuit, nec ille, qui de Patre procedit, sed solus Filius, idest ille, quem in unitate naturæ Pater coæternum sibi Filium, & coæqualem genuit, idest* una ex Trinitate persona *Christus Dei Filius* uni-

unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, & natus est de Virginis matris, qui verus & summus Deus est ex utero Dei Patris. Non Trinitas, sed unigenitus a Patre, Christus Dei filius, carne parvulus fuit, & carne crevit &c. Hæc ibidem, qui num. 21. testantur, eamdem doctrinam à Romana Ecclesia, *quæ duorum magnorum Luminarium* Petri, & Pauli tamquam a splendidissimis radiis illustrata, teneri, & doceri, totusque cum ea christianus Orbis, ad justitiam nihil hæsitans credit, *& ad salutem non dubitat confiteri*. Quindecim autem fuerunt Episcopi exules, quorum nomina initio libri recensentur. At Fulgentii stylo volumen illud elucubratum creditur, in quo a capite 17. usque ad finem Fausti sententiam de initio fidei ex viribus naturæ acute refutant; nulla tamen censura Faustum perstringunt, illius enim libros nondum viderant. Cum tamen eum Scythæ monachi accusassent, tanquam contra gratuitam prædestinationem scripsisset, in epilogo hæc addunt: *Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante Mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo, & vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante Mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinavit ad regnum.* Hæc de Prædestinatione gratuita Fulgentius suo, sociorumque nomine; ex quibus facile quisque agnoscit, quanti periculi res sit, eamdem prædestinationem ad gloriam ex mera Dei gratia non agnoscere, & confiteri, sed Dei quidem beneficio, at nescio quibus prævisis meritis, ut Molinistarum schola fingit, ac defendit.

De Romanæ Ecclesiæ Primatu testimonium.

De gratuita prædestinatione S. Fulgentii testimonium.

II. Dum monachi Scythæ de Fausti libris Africanos Patres in Sardinia exules consuluissent, eadem quæstio vehementius Constantinopoli agitabatur, cum eos plurimi uti catholicos tutarentur, alii vero ut hæreticos damnarent, ac Possessorem Episcopum de Fausti libris nonnulli consulendum censuerunt. Is porro, ut supra jam diximus, unus ex Africanis Episcopis a Trasamundo Rege in exilium missis erat, qui Constantinopoli sedem fixerat, Hormisdæ Pontifici notus, qui ad Possessorem anno 517. epistolam dederat, in qua ejusdem fidei libellum ad se transmissum commendaverat, & ut

De Possessore Episcopo ejusque epist. ad Hormisdam.

JESU CHR. AN. 520. & ut exilii calamitates constanter ferret hortatus fuerat: Possessor itaque de Fausti libris interrogatus, sciens in fidei quæstionibus nil consultius, ac tutius fore, quam Romanum Pontificem, qui universali præest Ecclesiæ, consulere, ad Hormisdam per Justinum Diaconum litteras dedit, quarum inscriptio hæc est: *Domino beatissimo, & ineffabiliter mirabili, & in Christi gratia præferendo Papæ Hormisdæ, Possessor Episcopus in Domino æternam salutem: Decet, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis præside, cujus primus a Christo rector audivit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam?* (Matth. 16.) *Arbitror vestram Beatitudinem non latere, quantis in Constantinopolitana urbe ecclesia laboret insidiis, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterum quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice.* (De Fausti Regien. libris consultatio.) Unde cum quorumdam fratrum animus de codice Fausti cujusdam natione Galli, Reginæ civitatis Episcopi, qui de diversis rebus, & frequentius de gratia Dei diserte visus est disputare, in scandalum moveretur, aliis (ut se habent humana studia) in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ a tractatoribus pro captu proprii ingenii disputantur, non ut canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege servari; sed habere nos certa scilicet, quæ veteri lege vel nova conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta judiciis ad fundamentum fidei, ac religionis integram firmitatem; hæc autem, quæ Antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præjudicio fidei solere censeri. Sed cum hæc (quantum in eorum frequenti postulatione persensimus) magis eis excusatio videretur, vel pro eorum prece, vel pro obsequii occasione reddendi Apostolatui vestro, per Justinum Diaconum meum præsumpsi apices parvitatis meæ ingerere; quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes, quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolicæ responsionis agnoscant; maxime quod filii quoque magistri militum Vitalianus, & Justinianus præcipue super hac re rescripto Beatitudinis vestræ similiter informari desiderant. Hæc de oborta quæstione de Fausti libris,

bris, Hormisdæ deinde judicium exposcit de commentario alias ad eum misso: *Codicem quoque tractatum antehac direxisse memini, continentem Beati Pauli Apostoli epistolarum explanationes, pro quo rescripto gratulari non merui: unde simili prece deposco, ut prærogativam benedictionis vestræ competenti responsione merear adipisci. Accepta 15. Kal. Aug., Rustico VC. Coss.* Hactenus Possessoris epistola ad Hormisdam hoc anno data, dum adhuc Vitalianus inter vivos esset.

JESU CHR. AN. 520.

Scythæ monachi Romæ turbas excitant.

12. Antequam quid Hormisdas Possessori responderit hoc anno enarremus, adnotandum est, eum in sua ad Possessorem epistola acerrime Scythas monachos insectari, ac temeritatis, obstinationis, superbiæ eos arguere, eo quod dum Romæ morarentur, ingentes excitaverant turbas ob eam thesim *de uno ex Trinitate passo*, quam a singulis recipi contendebant, cumque jam per annum, ut scribit Hormisdas, vel 14. menses (ut habet Maxentius in confutatione ejusdem epistolæ Hormisdæ) in urbe morati essent, quin causa eorum exitum habuisset, nam ut sæpius Pontifex testatus est, ab ea se abstinere decreverat, usque ad legatorum reditum; cumque iidem jamjam urbi adessent, monachi intelligentes Hormisdam propositas sententias de uno ex Trinitate passo, & de Christo composito non fore adprobaturum (non quod falsas, & catholicæ Fidei repugnantes judicaret, sed quod insuetæ latinis auribus, eæque diverso licet sensu ab Eutychianis usurpatæ), Roma excedere statuerunt, verentes, ne legatis reversis, eorum conditio deterior fieret. Antequam vero Roma discederent, eo temeritatis, ac insolentiæ progressi sunt, ut libellos, quibus eorum de Trinitate, & de divina gratia sententia continebatur, ad Principum statuas appenderent, eosque ibidem exclamasse scribit Hormisdas, ut populum Romanum in commiserationem traherent.

Hormisdæ epist. ad Possessorem.

13. Quantum hæc præpostera Monachorum agendi ratio Hormisdæ displicuerit, ejusque animum exacerbaverit, ipsius ad Possessorem data epistola indicat, qua Scythas monachos his verbis arguit. Hormisdas Possessori Episcopo. *Sicut rationi congruit, ut consulant ambigentes: ita par est, respondere consultos; quia ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem; nec quidquam aptius est studio religionis, quam imposito veritatis, quando facilius devium vitat, qui iter per quod graditur rogat. Sed priusquam respondendi*

JESU CHR. ANN. 520. *curam de his, quæ dilectio tua percunctatur, aggrediar, libenter in litteris tuis fidei tuæ me fateor invenisse fervorem, cujus calore succensus, redivivam in illis partibus infidelium perversitatem vigere suspiras &c.*, ac multa de tentationibus, quibus ecclesia vexatur, addit, ac præcipue ex inutilibus quæstionibus, quæ a vanis superbisque hominibus excitantur, cujusmodi tunc erant Scythæ monachi, quos ut adnotat S. Pontifex: Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum usque prodiere conventum, ad concursionem quietis circa regum etiam statuas inclamantes: & nisi fidelis populi constantia restitisset, per diabolicæ semina nefanda zizaniæ, apud illos dissensionem, & discordiam commovissent, per quos adjutorio Dei de religione eorum est pulsa dissensio. De eis sero probavimus prophetica Apostolum voce dixisse: In novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantum amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; itaque esse vitandos. Hæc ideo dilectioni vestræ indicanda sub occasione credidimus, ne, si illuc fuerint forte delati, ignorantes quemadmodum se in urbe Romana tractaverint, sub aliqua verborum simulatione deciperent.

2. Tim. 3.

De Fausti libris Hormisdæ sententia.

14. Hæc de Scythis monachis Hormisdas; ad interrogationem vero Possessoris de Fausti libris hæc addit: *Hi vero, quos vos de Fausti cujusdam Galli Antistitis dictis consuluisse litteris indicastis, id sibi responsum habeant. Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicæ Fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Fixa sunt a Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta: sive interpretatio, sive prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum; si cum fide recta, & doctrina sana concordat, admittitur; si discordat, aboletur &c.* Deinde post multa, ad propositam de divina gratia quæstionem subdit: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Romana (hoc est Catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus, quamquam qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat. Data Idibus Augu-*

Augusti. Hactenus Hormisdæ epistola ad Possessorem, quæ etiam, ut adversarii conquesti sunt, longe lateque per provincias propagata est. Eam vero Maxentius monachorum Scytharum antesignanus, & in scribendo disertior, ut in ejus auctorem liberius debacharetur, Hormisdæ esse negavit, ac Satyrico scripto confutavit; sed de his anno sequenti. Interea mecum observabit lector, quæ fuerit Romanæ, ac catholicæ ecclesiæ de divina gratia, ac libero arbitrio sententia, & unde desumenda, ex libris scilicet S. Augustini, & præcipue ex epistolis ad Hilarium, & Prosperum, ex eis ergo, aliisque S. Augustini tractatibus, quos contra Pelagianos edidit, tamquam ex purissimo fonte hauriat, eos inoffenso percurrat pede, quisquis errandi periculum timet. Nam quod sua ætate profitebatur Hormisdas, id quoque sequentibus seculis Summi Pontifices testati sunt, sæpiusque, data occasione, S. Augustini, ac S. Thomæ ejus discipuli, de divina gratia, & libero arbitrio doctrinam debitis laudibus commendarunt.

JESU CHR. AN. 520.

Unde desumenda doctrina de gratia Christi.

15. Eodem fere tempore Hormisdas binas ad legatos suos Constantinopoli adhuc commorantes dedit epistolas; cum etenim temporis tractus effluxisset, ex quo nullas ab eis, tum de eorum salute, cum de reditu ad urbem epistolas accepisset, quammaxime sollicitus erat, unde hæc præfatur: *Animos nostros tam diuturnum dilectionis vestræ silentium, ut tantorum temporum contristat absentia, præcipue cum vir magnificus patricius Symmachus, & vir illustris Romanus magister militum filii nostri, reditum apud nos caritatis vestræ sine dilatione promiserint, & ignoramus utrum illic causarum qualitas, an certe fraus aliqua simulata sub necessitate detineat; quia nobis sollicitudinem sine cessatione gerentibus, & pene universos homines illarum partium percunctantibus, diversa & dissimilia nunciantur: & ideo, quoniam vos causas tantæ tarditatis melius deprehendere, & intelligere potestis atque cognoscere, significare nobis ista, de quibus noster cruciatur animus, debuistis; vel si est causa dilationis idonea, sicut constitutum est, aliquem de vestris ad nos oportuerat destinari, unde ne forsitan per versutias, aut aliquam concinnationem vobis dilatio, & impedimenta generentur, sub celeritate nobis scribite, ut sub rationabili ordinatione pro vestra repetitione ad filium nostrum clementissimum Imperatorem dirigamus. Ergo tam circa personas, quam de causa fidei. pro qua diu moramini*,

Hormisdæ epist. ad legatos.

JESU CHR. AN. 520. *mini, quid geratur instruite, atque plenissime nobis universa rescribite, ut omnibus cognitis, Deo nostro favente, tractemus, quemadmodum personis vestris, & causæ ipsius, cujus res agitur, possit misericordia subvenire. Data Idibus Julii, Rustico viro clarissimo Consule.*

Imperatoris epist. ad Hormisdam.

16. Tandem Regia urbe dimissi legati Romam redierunt, ac Pontifici epistolas, quas iisdem perferendas dederant Imperator, & Imperatrix, tum Celer vir illustris, & Juliana clarissima fœmina tradiderunt. Has ultimas utpote officii tantum, prætermimus. Imperator autem, laudata Legatorum industria, & diligentia, Hormisdam rogavit, ut in damnandis Episcoporum nominibus mitius ageret. Unde post plurima in Hormisdæ Papæ, & legatorum laudem: Cetera vero clementiore quodam indigent moderamine in nominibus Antistitum, non eorum, qui specialiter numerati sunt in epistola, quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum, quorum memoriam maximæ civitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Quapropter legatis quidem tuæ sanctitudinis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt. Omnis autem finis negotii vestro jam tantum pendet arbitrio, ut solus pacem concludere debeat, qui prima rei commovit exordia: sed ea quidem, nec non quædam commemorabuntur apertius per Legatum nostrum, qui paulo post destinabitur. In præsenti vero redeuntibus viris religiosissimis, tam appellandam vestram reverentiam credidimus, quam commonendam, ut suis orationibus pro nostro utatur Imperio, proque incolumi statu Reipublicæ. *Data VII. Idus Julii Constantinopoli, Vitaliano, & Rustico viris clarissimis Consulibus*. Hactenus Justini epistola ad Hormisdam, cui Justinianus suam addidit, qua Pontificem rogavit, ut thesim de uno ex Trinitate passo calculo suo probaret, de quibus supra jam egimus, unde in eadem causa scriptas litteras exscribere superfluum judicamus.

Hormisdæ epistola ad Justinianum.

17. Hormisdas autem his acceptis epistolis, laudata Justiniani erga Apostolicam Sedem reverentia, Trinitatis mysterium paucis verbis sic explicat. *Quia gratum est nobis studium, quod circa religionem vos habere declarastis, non gravat prælibare dicendo, non opus, ut stabilitatem fidei vestræ, contentionis quorum Protector Justinianus evaserat potius, quam rationis sequaces, procaci verborum novitate confundant*: (his Scy-

Scythas monachos sugillat), deinde: *Sancta Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus est Deus; hanc Israel jussus adorare, cujus inseparabilis, & indiscreta substantia non potest dividi, non potest sacrilega distinctione separari; servata tamen proprietate sua unicuique personae. Haec interim commendanda fidei vestrae, epistolaris styli terminum cogitantes, congrua credimus brevitate sufficere, plenius disserenda cum florente imperio clementissimi principis, si promissam legationem, & nos suscipere Deo propitiante contigerit, & cognitis omnibus, cum adjutorio Dei nostri responso reddito, pro universitatis informatione remittere.*

Justini epist. ad Hormisdam.

18. Ad ineundam legationem, ex cujus exitu Orientalium ecclesiarum pax pendebat, Gratum Magistrum scrinii Imperator delegerat, per quem ad Hormisdam epistolas dedit, quibus Anastasii Pontificis exemplo rogat, ut ecclesias Ponticas, Asianas, aliasque Orientales, tum etiam Hierosolymitanam, in suam admittat communionem, etiamsi nomina Episcoporum suorum, qui Acacio communicaverant, in dypticis retinerent, unaque cum epistolis misit Pontifici precum libellum, sibi oblatum a Clericis, & Abbatibus earum ecclesiarum. Imperatoris epistola hæc habet: *Quo fuimus semper, & quo sumus studio pro conciliandis sententiis catholicam Fidem colentium, ut eodem animo cuncti venerentur numen individuum Trinitatis, palam fecisse dignoscimur: nunc legatum ad vestram beatitudinem, ultro ob hoc ipsum dirigentes Gratum virum sublimem magistrum scrinii, quo remedium tandem reperiatur discordiis varia cunctantium, nunc prono libentique suscipientes affectu viros religiosissimos, quos interventores unitatis vestra Sedes Apostolica credidit destinandos. Profecto enim tamquam ipsam pacem, & jucundis eos oculis aspeximus, & extensis manibus duximus amplectendos. Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non complures aliae vota suscipiant vestra, non solum in ceteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris diptycis, quae removenda maxime postulastis. Verum nonnullae fuerunt urbes, & Ecclesiae tum Ponticae, tum Asianae, & praecipuae Orientales, quarum Clerici, vel populi omnibus pertentati minis, & persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt, ut tollant Antistitum, & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit, sed mortem vitam duriorem aestimant, si mor-*

JESU CHR. AN. 520. *mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum &c.*, quod ut facilius Hormisdas præstaret, Anastasii Papæ exemplum proponit; unde post plurima: Verum nec judicio caret Sedis Apostolicæ, ut non magis venia dicenda sit, quam deliberata jam ac perspecta deffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ vestræ culmen Ecclesiæ, palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium prædecessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo priora vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus non solum defunctis, sed etiam superstitibus, vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas. *Data Idibus Septembris, Chalcedone Rustico V. C. Consule. Accepta pridie Kal. Decembris, consule supradicto.*

Libellus Imperatori oblatus, ac Hormisdæ missus.

19. Hactenus Justini epistola: libellus autem Clericorum, & Monachorum fidei confessionem continebat, qua se quatuor Conciliis, idest Nicæno, CPolitano, Ephesino, & Chalcedonensi subscribere testantur, ac multa de Trinitate, ac incarnatione præfati, tandem addunt: *Ob hanc igitur fidem prædictas Sanctas synodos suscipientes, & custodientes, anathematizamus omnes, qui adversus eas quocumque tempore, vel modo aliquid conscripserunt, præcipue Joannem Ægeotam, qui adversus memoratam sanctam Chalcedonensem Synodum multas, ut Nestorianus, blasphemias evomuit; similiter & condemnantes Timotheum Ælurum cognominatum, sicut Eutychianistam, adversus eam cum suis latrantem sequacibus &c.*. Quare se Apostolica communione dignos esse dicunt. Cum Justino Imp., pro ecclesiarum reconciliatione, intercessores quoque apud Hormisdam Papam adfuere, tum Epiphanius CP. Episcopus, cum Justinianus; quorum extant epistolæ eam ob causam scriptæ, ac per eosdem legatos missæ, quas exscribere piget. Quid, tot acceptis epistolis, de his quæstionibus rescripserit Hormisdas, anno sequenti videbimus. Nunc dixisse sufficiat, quoad primam de retinendis in dypticis nominibus Episcoporum faciliorem se exibuisse, quoad alteram vero *de uno ex Trinitate passo*, Justiniani votis numquam cessit Hormisdas. At id Justinianus constantia, & importunitate sua a Joanne secundo tandem obtinuit, ut infra dicturi sumus.

Dorothei Episcopi epist. ad Hormisdam.

20. Alteram hoc eodem tempore ab ecclesia Thessalonieen-

nicensi legationem suscepit Hormisdas in causa Dorothei ejusdem civitatis Episcopi, qui (ut anno proximo diximus) commotæ seditionis crimine accusatus fuerat, in qua Joannes Apostolicæ Sedis legatus pluribus acceptis vulneribus interierat, cujus legationis Imperatoris jussu ad se missæ meminit in epistola ad Epiphanium CP. Episcopum anno sequenti scripta; Dorotheus etiam, quem precari veniam decebat, excusatorias, velut si innocens fuisset, scripsit epistolas, quibus summam se erga Apostolicam Sedem reverentiam profitetur, ac ab Joannis Episcopi, & Rom. sedis legati nece innoxium se fuisse declarat, unde post aliqua: *Quoniam igitur manifeste cognovi quosdam sanctas aures vestras perturbare, & scio procul dubio vos in omnibus esse perfectos, & quia nihil sine judicio audire possitis, nec ulli penitus vestrum animum accomodare, ut non amplius per taciturnitatem largiri tempus videar illis, qui nihil quidem a nobis læsi sunt, sed sine causa & superflue adversus nos armati sunt: Deo tamen, & vestræ satisfacio Sanctitati, quia pro Joanne viro reverendissimo Episcopo, qui paulo ante a vestra venerabili corona directus est, prædestinavi me periculis, & mortem sustinui, & meam pro ejus scio me objecisse animam: & hoc ostenditur gestis: & ex his, qui quamquam per meam absentiam acerrime videantur esse discussi*. Hormisdas autem ad hæc. *Utinam usque ad nos tantum detestabilis fama percurreret, & non toto orbe Christianis mentibus tam dolendum, tam execrabile facinus nunciaret; ut qui te innocentem nesciunt, a Christianitatis simul credant tramite deviasse. In qua enim mundi parte immanitatis hujus invidia, non & catholicas contristat ecclesias, & hæreticorum prava vota lætificat? quæ nos a dilectionis tuæ conscientia, sicut litteris intimas, ostendi cupimus aliena, quid enim votis nostris magis convenit, nisi ut redire ad pacem catholicam volentes Episcopos, a crudelitate, & criminibus contingat semper innoxios comprobari. Expectamus igitur, si non desunt fraternitati tuæ veritatis Deo nota præsidia, ut & tanti sceleris a te repellas invidiam, & in reconciliatione fidei, tandem eorum, qui reversi sunt, sequaris exempla. Data IV. Kal. Novembris, Rustico viro clarissimo Consule*. Hæc ad Dorotheum Hormisdas, qua etiam die extat ejusdem epistola ad Justinum reddita de legationis ab eo decretæ tarditate conquerens, cujus exordium est: *Benedicta Trinitas Deus noster &c.* Quid vero decreverit

Jesu Chr. An. 520.

Jesu Chr. an. 520. verit idem Pontifex de eadem Thessalonicensium causa, non apparet, nisi quod de ea meminit in Epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum verbis istis: *De Thessalonicensibus, quorum ad nos Legati sub clementissimi, & fidelissimi Principis filii nostri ordinatione venerunt, ne quid omisisse credamur; nosse vos volumus, secundum hoc, quod Domino nostro Jesu Christo inspirante placuerit, causam omnem nostri dispositione tractandam*. Epistola autem extat inter acta synodi CP. sub Menna. Quem exitum hæc causa habuerit, in abscuro est, credi tamen potest Dorotheum, Magnatum patrocinio subnixum, quorum opera ad suam redierat ecclesiam, aliquali satisfactione ad Hormisdam exhibita, nullam subiisse pœnam, & in suo gradu perseverasse, etsi tanto fœdatus scelere, indignus esset.

Hormisdæ sollicitudo pro Episcopis sua sede ejectis.

21. Quia vero injuria ejecti Episcopi, suas nondum sedes recuperaverant, Elias scilicet Cappadociæ Cæsaræ Episcopus, Thomas, & Nicostratus, quos suis sedibus restituendos esse epistolis suis ad Justinum, Justinianum, & ad legatos suos superiori anno Hormisdas jusserat. Quare ut suis restituerentur sedibus, ac quos recta fides Apostolicæ sedis communione dignos fecerat, in suam ipsorum communionem reciperent, ad Epiphanium CP. Episcopum scribens hortatus est S. Pontifex his verbis: *Etenim nullis videtur vos nobiscum communicare pleno mentis affectu, si eos, qui nobiscum communicant, a vestro consortio segregatis. In cassum certe videntur pacem recipere, qui pacis differunt præcepta complere. Quidquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrahitis. Et providendum est, frater charissime, ne, si Ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta concordia ab his exordium sumat exemplis, & religionis veneranda regula, & Apostolicæ Sedis auctoritas imminuta (quod absit) per Orientem potius divulgata, quam restituta videatur*. Hæc Hormisdas, sed de his satis.

Quid Nestoriani tentaverint.

22. Hoc etiam anno, dum ubique Eutychiana hæresis profligatur, aliqualem Nestoriani triumphum ducere tentarunt, cum videlicet solemni ritu Theodoreti Cyri Episcopi, qui aliquando Nestorio faverat, imaginem super currum positam cum psalmorum cantu Cyrum introduxerunt, ubi memoriam celebrarunt Nestorii, & ejus magistri Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis: quod ubi ad Impratorem Justinum dela-

delatum est adversus eos, ejusmodi rescriptum dedit, quod synodo quinta recitatum est: *Lecta sunt nobis gesta confecta apud Antiochenæ civitatis Defensorem, quibus inferebantur testimonia militum significantium, (ut compendiose dicamus) quod priusquam Sergius reverendissimus Cyrestenam civitatem accederet; quidam, idest, Andronicus presbyter & Defensor, & Georgius Diaconus accipientes imaginem Theodoreti, qui undique inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerunt, & in Cyrestenam civitatem introduxerunt, psallentes, & ostendentes, quod ejusdem illi sectæ sint &c.*. Haud improbandus videri poterat ejusmodi cultus, ait Baronius, si orthodoxo doctori fuisset ab orthodoxis impensus, nam licet visus fuisset aliquando hæreticus, tamen Catholicus cognitus probatusque est a Romanæ Ecclesiæ Antistite; constat enim ipsum subscripsisse Chalcedonensi Concilio, damnasseque ibi Nestorium, atque demum cum fidei confessione receptum, ac in communicationem Apostolicæ Sedis a Leone Magno Romano Pontifice, in pace quievisse, ut satis superius demonstratum est. Verum quod (ut diximus) Nestoriani id fecisse dicantur, haud potuit factum non reprehendi ab Orthodoxis, cum præsertim tantorum dehonestata eadem fuisset imago consortio hæreticorum. Porro facinus majorem Theodoreto conflavit invidiam, quam & auxit quod subditur: *Sergius autem postea, cum in civitatem accessisset, collectam celebravit ipsius Theodoreti, & Diodori, & Theodori, nec non Nestorii cujusdam, quem martyrem esse dixit, cum provincia nullum habeat martyrem huic nomini convenientem*. His autem subjiciuntur hæc ex Justini Imperatoris rescripto: *Evidenter igitur mirati sumus, primum quidem, si latuerunt tuam Eminentiam talia gesta in civitate confecta; deinde si cognovisti quod factum est, non sine dilatione quæstionem fecisti negotii, maxime cum degere Sergius diceretur, & cum Paulo reverendissimo esse. Verum etiam lecta sunt nobis paulo post gesta confecta apud Cyrestenæ civitatis Defensorem, quæ reverendissimi responsales Sergii reverendissimi dixerunt multorum voces continentia, quod nulla umquam nec prædicata est, nec facta collectio in Nestorii cujusdam nomine. Super hæc autem gesta preces audivimus tam ipsius Sergii, quam reliquorum Episcoporum Euphratensis provinciæ, qui repellunt ubique Nestorii nomen, & declinare quidem ejus sectam confitentur, con-*

JESU CHR. AN. 520.

Rescriptum Imper. contra Nestorianos.

JESU CHR. AN.520.

verit idem Pontifex de eadem Thessalonicensium causa, non apparet, nisi quod de ea meminit in Epistola ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum verbis istis: *De Thessalonicensibus, quorum ad nos Legati sub clementissimi, & fidelissimi Principis filii nostri ordinatione venerunt, ne quid omisisse credamur; nosse vos volumus, secundum hoc, quod Domino nostro Jesu Christo inspirante placuerit, causam omnem nostri dispositione tractandam*. Epistola autem extat inter acta synodi CP. sub Menna. Quem exitum hæc causa habuerit, in abscuro est, credi tamen potest Dorotheum, Magnatum patrocinio subnixum, quorum opera ad suam redierat ecclesiam, aliquali satisfactione ad Hormisdam exhibita, nullam subiisse pœnam, & in suo gradu perseverasse, etsi tanto fœdatus scelere, indignus esset.

Hormisdæ sollicitudo pro Episcopis sua sede ejectis.

21. Quia vero injuria ejecti Episcopi, suas nondum sedes recuperaverant, Elias scilicet Cappadociæ Cæsaræ Episcopus, Thomas, & Nicostratus, quos suis sedibus restituendos esse epistolis suis ad Justinum, Justinianum, & ad legatos suos superiori anno Hormisdas jusserat. Quare ut suis restituerentur sedibus, ac quos recta fides Apostolicæ sedis communione dignos fecerat, in suam ipsorum communionem reciperent, ad Epiphanium CP. Episcopum scribens hortatus est S. Pontifex his verbis: *Etenim nullis videtur vos nobiscum communicare pleno mentis affectu, si eos, qui nobiscum communicant, a vestro consortio segregatis. In cassum certe videntur pacem recipere, qui pacis differunt præcepta complere. Quidquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrabitis. Et providendum est, frater charissime, ne, si Ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta concordia ab his exordium sumat exemplis, & religionis veneranda regula, & Apostolicæ Sedis auctoritas imminuta (quod absit) per Orientem potius divulgata, quam restituta videatur*. Hæc Hormisdas, sed de his satis.

Quid Nestoriani tentaverint.

22. Hoc etiam anno, dum ubique Eutychiana hæresis profligatur, aliqualem Nestoriani triumphum ducere tentarunt, cum videlicet solemni ritu Theodoreti Cyri Episcopi, qui aliquando Nestorio faverat, imaginem super currum positam cum psalmorum cantu Cyrum introduxerunt, ubi memoriam celebrarunt Nestorii, & ejus magistri Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis: quod ubi ad Impratorem Justinum

dela-

delatum est adversus eos, ejusmodi rescriptum dedit, quod synodo quinta recitatum est: *Lecta sunt nobis gesta confecta apud Antiochenæ civitatis Defensorem, quibus inferebantur testimonia militum significantium, (ut compendiose dicamus) quod priusquam Sergius reverendissimus Cyrestenam civitatem accederet; quidam, idest, Andronicus presbyter & Defensor, & Georgius Diaconus accipientes imaginem Theodoreti, qui undique inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerunt, & in Cyrestenam civitatem introduxerunt, psallentes, & ostendentes, quod ejusdem illi sectæ sint &c.*. Haud improbandus videri poterat ejusmodi cultus, ait Baronius, si orthodoxo doctori fuisset ab orthodoxis impensus, nam licet visus fuisset aliquando hæreticus, tamen Catholicus cognitus probatusque est a Romanæ Ecclesiæ Antistite; constat enim ipsum subscripsisse Chalcedonensi Concilio, damnasseque ibi Nestorium, atque demum cum fidei confessione receptum, ac in communicationem Apostolicæ Sedis a Leone Magno Romano Pontifice, in pace quievisse, ut satis superius demonstratum est. Verum quod (ut diximus) Nestoriani id fecisse dicantur, haud potuit factum non reprehendi ab Orthodoxis, cum præsertim tantorum dehonestata eadem fuisset imago consortio hæreticorum. Porro facinus majorem Theodoreto conflavit invidiam, quam & auxit quod subditur: *Sergius autem postea, cum in civitatem accessisset, collectam celebravit ipsius Theodoreti, & Diodori, & Theodori, nec non Nestorii cujusdam, quem martyrem esse dixit, cum provincia nullum habeat martyrem huic nomini convenientem*. His autem subjicuntur hæc ex Justini Imperatoris rescripto: *Evidenter igitur mirati sumus, primum quidem, si latuerunt tuam Eminentiam talia gesta in civitate confecta; deinde si cognovisti quod factum est, non sine dilatione quæstionem fecisti negotii, maxime cum degere Sergius diceretur, & cum Paulo reverendissimo esse. Verum etiam lecta sunt nobis paulo post gesta confecta apud Cyrestenæ civitatis Defensorem, quæ reverendissimi responsales Sergii reverendissimi dixerunt multorum voces continentia, quod nulla umquam nec prædicata est, nec facta collectio in Nestorii cujusdam nomine. Super hæc autem gesta preces audivimus tam ipsius Sergii, quam reliquorum Episcoporum Euphratensis provinciæ, qui repellunt ubique Nestorii nomen, & declinare quidem ejus sectam confitentur, con-*

Rescriptum Imper. contra Nestorianos.

Jesu Chr. An. 520. *sentire autem sanctis quatuor Conciliis. Sancimus igitur, nihil subtilitatis, vel studii Eminentiam tuam relinquere, sed convocare quidem sine dilatione Cyrestenæ civitatis Episcopum ibi degentem, (sicut audivimus) trahere autem ad se milites etiam, qui testimonia in gestis Antiochiæ confectis præstitisse inveniuntur de numero tertio Stabilisianorum, nec non etiam Andronicum, & Georgium, qui ea quæ de imagine dicta sunt fecisse dicuntur, & singula cum stabilitate requirere. Hoc est, si quod dicitur de imagine factum est; & si Psalmum, cujus mentio gestis Antiochiæ confectis inserta est, psallentes ad imaginis honorem procedebant, & si Sergius reverendissimus (cum hæc post Antiochiæ confectis gestis inserta sint) psallentes ad imaginis honorem ea cognovisset, & clericos admisit, & divinis eis communicavit mysteriis; & si collectionem Theodoreti, & Theodori, & Diodori prædicari fecit, aut celebrari concessit; & si hoc idem factum est in Nestorii nomine. Et omnem circumire viam tua magnitudo festinet, ut nihil subtilitatis possit latere*, ac ut diligentius hæc inquireret, jubet, & si falsa invenisset, falsos testes debita pœna puniret, si vera ad se referret.

De Joanne, & Germano Hormisdæ legatis.

23. Ad anni finem properantes, æquitas exigit, ut Hormisdæ legatorum, quos hoc anno Romam reversos, inita pace diximus, post tot labores susceptos, de parta victoria triumphum prosequamur. Atque ex his nobiliorem duxit Joannes Episcopus, qui plagis susceptis confessionis gloria fulgebat, de Germano vero in legatione collega, Episcopo Capuano duplicis legationis munere perfuncto, quali, quantaque pompa fuerit ei in cælestem Patriam proficiscenti a Deo triumphus exibitus, s. Benedictus inspector, & testis fuit, ut narrat s. Gregorius his verbis: *Cum vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora prævenisset, ad fenestram stans, & Omnipotentem Deum deprecans; subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est, quia (sicut post ipse narravit) omnis etiam mundus, velut sub uno Solis radio collectus, ante ejus adductus est. Qui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Epi-*

Greg. Dialog. lib. 2. cap. 35.

Episcopi animam in sphera ignea ab Angelis in Cœlum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Servandum Diaconum, iterato bis terque ejus nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, aspexit, respexit, partemque jam lucis exiguam vidit Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta narravit: Statimque in Cassinum castrum viro religioso Theoprobo mandavit, ut ad Capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano ageretur, agnosceret, & indicaret. Factumque est, & reverendissimum virum Germanum Episcopum, is qui missus fuerat, jam defunctum reperit. Et requirens subtiliter, cognovit eodem momento fuisse illius obitum, quo vir Domini ejus cognovit ascensum. Hactenus de S. Germani triumpho Gregorius. Contigit autem ejus ad Deum transitus tertio Kal. Novembris, qua die annua celebritate in Ecclesia ejusdem memoria colitur. Ad hæc tempora, quinimmo anno superiori institutum fertur Regnum Saxonum, seu Saxonum Occidentalium, a Cerdico, qui aliquot ante annos e Germania in Britanniam venerat, & contra Vvallenses pugnaverat, *quod Regnum cetera omnia sibi processu temporis subjugavit, & monarchiam totius Britanniæ obtinuit*, inquit Huntidonensis. Ejusmodi Regni initium anno 519. (elapso scilicet) alligant cum Huntidonensi alii scriptores rerum Britannicarum. Cum autem Cerdicus hoc anno quoque ab armis non cessaret, quinimmo novi Regni dilatandi cupiditate teneretur, Saxones suos usque ad mare Sabrinianum, Britanniam depopulando, perduxit, inde itinere facto, urbem Badonis, sive Bathoniæ obsidione cinxit; sed superveniens Arthurus Britonnum Rex cum suo exercitu, Cerdicum ad montana compulit, & sequenti die, inito prælio, profligavit, ac pene delevit, ut ex Galfrido Monemuthensi narrat Usserius. Hujus victoriæ ab Antiquis Britonnibus de Saxonum exercitu habitæ meminit post Gildam, Beda, qui postquam locutus est de prima Britannorum victoria (nempe sub Ambrosio Aureliano) quo duce *vires capescunt Britonnes, & victores*, (scilicet Anglos & Saxones) *provocantes ad prælium, Victoriam ipsi (Deo favente) suscipiunt. Et ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum obsidionis Badonici montis, quando non minima eisdem hostibus strages dabant, quadragesi-*

Initium Regni West Saxonum.

Huntidonensis lib. 2. Cronographus Saxo. Ethelveredus lib. 1. Malesburiensis lib. 1. de Reg. c. 2.

Usserius antiq Brit. cap 13.

Beda hist. Angl lib. 1. cap. 16.

Jesu Chr. an. 521.

gesimo circiter, & quarto anno adventus eorum in Britanniam, sed hæc postmodum &c. Hæc Beda ex Gilda, qui capite 12. de excidio Britanniæ eadem refert, quod prælium si 40. circiter anno ab ingressu Saxonum in Britanniam factum est, anno 490. circiter illud contigisset. Hinc anno 493. Alfordus in annalibus Ecclesiasticis ad Badonicum montem pugnatum asserit, Baronius anno 594., quorum opinio Bedæ auctoritate innititur; at Usserius, & cum eo alii celeberrimi historici contendunt Bedam Gildæ locum corrupisse, & ea verba *ex eo tempore*, non ad ingressum Saxonum in Britanniam, sed ab obtenta de eis victoria per Ambrosium esse intelligenda, idque ex MSS: Codicibus constare asserunt, hinc Batonicum prælium protrahit ad hunc annum 520., quo anno id factum etiam refert Vvestomonasteriensis auctor, qui & Florilegus dicitur. Ex his consequens est Gildam auctorem libelli de excidio Britanniæ, in quo prodit, se eo anno natum, quo ad montem Badonicum pugnatum est, in lucem prodiisse hoc anno, & libellum illum conscripsisse anno 544. qui ab illo prælio 44. est. Sed de Gilda, ejusque libro inferius sermo occurret. Nunc ad annum sequentem transimus.

Alfordus annal. ecclesf. Britten. anno 520.

JESU CHRISTI an. 521. Hormisdæ Papæ 8.
Justini Imp. 4.
Theodorici Regis 19.

Justiniani consulatus cum spectaculorum exhibitione.

1. Annus vigesimus primus supra quingentesimum consules habuit Valerium in Occidente, & Justinianum in Oriente. Hic editis muneribus consulatum suum nobilitavit, de quibus Marcellinus hæc habet: *Famosissimum hunc consulatum, Justinianus consul, omnium Orientalium consulatu profecto magnificentior, his liberalitatibus edidit. Nam* 288. *millia solidorum in populum, inque spectacula, sive in spectaculorum machinam distributa*, 20. *leones*, 30. *pardos, exceptis aliis feris, in amphiteatro simul exhibuit. Numerosos præterea, phaleratosque in circo caballos, jam donatis quoque impertivit Aurigis, una dumtaxat, ultimaque mappa, insanienti populo denegata*. Consulatu notato, ad res Ecclesiæ enarrandas oratio transeat,

Justiniani epist. ad Hormisdam.

2. Qui ab Epiphanio Episcopo CP., ac a synodo ejusdem urbis,

urbis, nec non a Justino Imperatore, missi fuerant legati anno superiori, ut diximus, ut apud Hormisdam agerent de ineunda concordia cum orientalibus Ecclesiis, atque impertienda communione iis, qui in dypticis retinerent nomina Episcoporum, qui cum Acacio communicaverant, & ut a Summo Pontifice confirmandam ac subscribendam curarent eam thesim *de uno ex Trinitate in carne passo*, quæ duo controversiæ capita magno studio utrinque agitabantur, eaque de causa Orientales ab occidentalibus dissidebant; cum, inquam, ii legati diutius Romæ detinerentur, (integra scilicet hyeme) Justinianus Consul, apud quem summa tunc Imperii erat, longioris moræ impatiens, ad Hormisdam has litteras dedit, quibus legatorum reditum perurgebat: *Diligenter Apostolatus vester cognovit, quanto fidei calore filius vester serenissimus Imperator, nosque fuimus ab initio. Numquam cessavimus agere, quæ pertinebant ad firmamentum Religionis divinæ. Pro qua re nuper etiam reverendissimos Sacerdotes Romam direximus, ut integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur. Sed ignoramus, quæ difficultas provenerit, ut minime sopirentur hactenus ea, quæ videntur esse levissima. Salutantes ergo vestram Reverentiam, petimus, ut nulla præbeatur occasio, qua de tua quisquam possit ambigere voluntate; sed habentes præ oculis judicium Majestatis supernæ, modis omnibus festinare dignemini*. Hactenus Justinianus, qui licet ex Fidei catholicæ ardore sit jure laudandus, dum tamen plusquam par est homini laico, a se proposita ex sua ipsius sententia optat sibi cuncta quam celerrime a Romano Pontifice definiri, parat sibi inscius ad lapsum foveam, in quam miser, eam vitare negligens, ad vitæ finem, dum sine consilio currit, præceps demum incurrit.

Jesu Chr. an. 521.

3. Cum his, aliisque epistolis, anno superiori acceptis vehementer urgeretur Hormisdas, ut his controversiis finem daret, legatosque dimitteret, re cum ipsis diligenter examinata, transacta hyeme, vere jam appropinquante, legatos CP. reversuros dimisit, eisque epistolas reddidit, duas ad Imperatorem, ad Epiphanium CP. Episcopum unam, quibus quid circa duo controversiæ capita sentiret, exposuit, quæ datæ sunt septimo Kal. Aprilis. Ad Imperatorem rescribens, commendata ejus pietate, thesim de uno ex Trinitate in carne passo numquam a se fore adprobandam, ait; quoad alterum con-

Legati orientales ab urbe recedunt.

JESU CHR. AN. 521. controversiæ caput, de recipiendis ad communionem iis Episcopis, qui, damnato Acacii nomine, aliorum Episcoporum nomina, qui cum eo communicaverant, in dypticis retinebant, addit se Epiphanio CP. Episcopo vices suas demandasse, ut probata singulorum fide, ad communionem eos reciperet, quos catholicæ Fidei professio dignos reddidisset. Unde post multa in eamdem rem addita, hæc tandem subdit. *Sed quamquam his urgemur angustiis, tamen propter mansuetudinis tuæ considerationem, & venerabilium legatorum Joannis Episcopi Heracliani presbyteri, & Constantini Diaconi allegatio nos non inhumana permovit, qui innocentibus, aut ignaris causæ remedia credidit esse poscenda; ad fratrem & Coepiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, ut memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, & alienos a communione, quam respuimus, sicut asseritur, innocentes eos ad societatem suæ communionis admittat, libelli tamen, qui a nobis interpositus est, tenore servato. Melius est enim, & magis Deo placitum, si salva fide ecclesiastico corpori jungantur abscissi, quam in abscissos transeant, qui in beati Petri immaculata communione manserunt. Data VII. Kal. Aprilis, Valerio viro clarissimo Consule.* Hactenus epistola Hormisdæ ad Justinum Augustum, ex qua plane intelligis, quod & alias sæpius demostratum est, quanta videlicet Romani Pontifices custodierint diligentia, quantoque studio procurarint, ne pollueretur hæreticorum quavis macula Ecclesia sancta, sed conservata semper, illibata communione Apostolicæ Sedis, in suo candore integra permaneret.

Epist. Hormisdæ ad Justinum.

4. Quid vero idem Hormisdas Papa eidem Imperatori responderit ad agitatam illam tam in Oriente, quam in Occidente quæstionem, de uno ex Trinitate passo in carne, posterior ejusdem epistola eo argumento conscripta docet, eaque inprimis catholicam fidem a patribus adversus Nestorium, & Eutychetem satis declaratam fuisse, adnotat; hinc aliis quæstionibus de Filii Dei incarnatione vix locum esse adnotat, nec sine temeritate passionem uni ex Trinitate, quæ indivisibilis est, adscribi posse addit, unde post plurima subdit. *Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Deus autem unus specialiter, legislatore dicente: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est; qui aliter habet, necesse est, aut Divinitatem in multa dividens,* *aut*

Deut. 6.

Divina substantia sine numero indivisa.

aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat, & (quod absit a Fidelium mentibus) hoc est, aut plures Deos more profano gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam, quæ aliena est ab omni passione transferre. Unum est, Sancta Trinitas non multiplicatur numero, non crescit augmento; nec potest, aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus est discretione sejungi. Quis ergo illi secreto æternæ impenetrabilisque substantiæ, quod nulla, vel invisibilium naturarum potuit investigare natura, profanam divisionem tentet ingerere, & divini arcana mysterii revocare ad calculum moris humani? Adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, indistinctam distincte, incomprehensibilem & inenarrabilem substantiam Trinitatis, ubi etsi admittit numerum ratio personarum, unitas tamen non admittit essentiæ separationem; ita tamen ut servemus divinæ propria naturæ, servemus propria unicuique personæ, nec personis divinitatis singularitas, nec ad essentiam, hoc quod est proprium nominum transferatur. Hæc & alia plurima in eamdem rem ibidem a curioso lectore videnda, ac tandem his verbis epistolam claudit: *Latius hæc, quæ ad Deitatem, humanitatemque Domini nostri Jesu Christi pertinent, & in eo unitas duas sine confusione naturas potui secundum veterum definita differere, si esset adversum eos, qui dissentiunt, disputandum: sed cum in manibus omnium sint, & synodica constituta, & beati Papæ Leonis dogmata, perstrinxisse potius pauca, quam evolvere credidi convenientius universa. Nunc vero agnoscere satis est, & cavere proprietatem, & essentiam cogitandam, ut sciatur quid personæ, quid nos oporteat deferre substantiæ: quæ qui indecenter ignorant, aut callida impietate dissimulant; dum omittunt quid sit proprium Filii, trinæ tendunt insidias unitati. Sed si quæ prædicta sunt, validis teneantur fixa radicibus, nec a paterna traditione receditur, & constanter quæstionibus obviatur. Data VII. Kalendas Aprilis, Valerio viro clarissimo Consule.*

5. Hæc ad Justinum Hormisdas, admirandum posteris relinquens exemplum Sacerdotalis constantiæ, dum tot litteris ab Imperiali etiam Majestate rogatus, ne latum unguem dimoveri passus est a prædecessorum suorum vestigiis, ut eam thesim de uno in Trinitate passo reciperet, timebat quippe, ne sub ea vocum novitate, quæ in rebus fidem spectanti-

Hormisdæ exemplum imitatione dignum.

Ad Timol. 6.

Jesu Chr. An. 521.

ctantibus, vitanda est, ut monet Apostolus, Eutychiana heresis lateret, tamquam anguis in herba, etsi eam Scythiæ monachi catholico sensu explicarent, eodemque sensu catholicis subscribendam proponerent. Hinc factum, ut temporis tractu, remota omni hæresis suspicione, Joannes Papa, ut dicemus inferius, synodali sententia confirmaret, cum ea quæstio, ut ab eruditissimo Cardinali Norisio adnotatum est, pura putaque inter catholicos logomachia esset, qualis olim fuerat de voce hypostasis quæstio, tanta opinionum discrepantia, Latinos inter, ac Græcos olim agitata.

Tom. 4. pag. 1751. Card. Noris. dissert. de uno ex Trinitate passo cap. 6.

Hormisdæ epist. ad Epiphanium CP. Episc.

6. Ad aliud controversiæ caput, super retinendo in dypticis nomine Euphemii, & Macedonii, qui cum ecclesiam CP. sanctissime administrassent, ac in veneratione ubique essent, etsi eorum nomina, Hormisda jubente, Constantinopoli e dypticis abrasa fuissent, ex Orientalibus tamen Episcopis plurimi id facere recusabant, cumque iis ecclesiis (Ponti scilicet, Asiæ, Palæstinæ, ac totius præsertim Diœceseos Orientalis, seu Antiocheni Patriarchatus) vim inferre nollet Justinus Imperator, id consilii cœpit Hormisdas, ut negotium omne Epiphanii CP. Episcopi prudentiæ permitteret, cui vicariam Sedis Apostolicæ præfecturam delegavit, ea tamen lege, ut ad Sedem Apostolicam referret, quosnam in ejus communione suscepisset, & quid libelli ab iis dati, seu fidei formulæ, ac professiones continerent; ut ex epistola Hormisdæ ad Epiphanium, cujus initium est: *Multo gaudio sum repletus*, quam utpote longiorem brevitatis causa prætermus. Hoc unum scire contenti, salva fidei integritate, in Rom. ecclesiæ communionem eos quoque receptos fuisse, qui Euphemii, & Macedonii memoriam damnare renuebant, quos etiam uti Sanctos orientalis Ecclesia veneratur, ut apud Natalem Alex., aliosque videre est.

Nat. Alex. hist. eccles. dissert. 20 sæculi 5.

Maxentius monachus contra Hormisdæ epistolam Apologiam scribit.

7. Sed ad Hormisdam redimus, quo magis Sanctus Pontifex eam thesim *de uno ex Trinitate in carne passo*, aversabatur, ut ex Epistola ad Justinum Imperatorem vidimus, eo magis Scythæ monachi procaciter eam tuebantur, cumque se Hormisdæ epistola ad Possessorem, anno superiori data, tamquam novitatis auctores notatos fuisse cognovissent, Joannes Maxentius, qui adhuc CP. morabatur, ut objecta Scythis monachis crimina refelleret, apologiam vulgavit; ac ut liberius in epistolæ auctorem debacharetur, Hormisdæ fuisse negavit, unde

unde omni prorsus modestia deposita, veluti in hæreticum furibundus insiliens, mille conviciorum plaustra evomuit; immo eo usque furoris prolapsus est, ut in hæc impudentissima verba eruperit: *Verumtamen sive ab hoc* (nempe Hormisda,) *sive a quolibet alio hæc sit scripta epistola, non est dubium, auctorem ejus esse hæreticum, qui contentionem verborum, & subversionem audientium judicat Christum filium Dei unum fateri ex Trinitate*. Eodem etiam stylo Possessorem insectatus est, quasi negaret Christum Filium Dei unum esse ex sancta Trinitate. Deinde sententiam Hormisdæ de Fausti libris, quod noluisset eos tamquam hæreticos condemnare, irridet his verbis: *Nam cum de ipsis*, ait, *libris, non utrum legendi sint, sed utrum sint catholici, vertatur quæstio, iste non de ipsis quid sentiendum sit, sed eos, quamvis non in auctoritate habendos, tamen legendos esse decernit*. Immo cum Hormisdas hæc in illis litteris dixisset: *Proficiemus inter adversantes propriis bonis, si non involvamur erroribus alienis*; insimulare Pontificem homo petulantis ingenii non veretur, quasi Pelagio occulte faveret. Verba Maxentii sunt absynthio amariora: *Callide tuam niteris occultare perfidiam, sed te splendore suo detegit Catholica veritas, & juxta cetera mala, etiam superbissimæ Pelagianæ perfidiæ involutum erroribus cunctorum oculis anteponit, qui inter adversantes, non Dei munere, sed propriis bonis proficere, te posse tumida elatione confidis*. Sed perperam tantam blasphemiam Hormisdæ objicit. Nam propria bona, non Dei donis, sed erroribus alienis opponit, licet illa ita nostra sint, ut etiam donata esse credantur, de qua re acute sanctus Augustinus, explicans ea Orationis Dominicæ verba: Panem nostrum quotidianum da nobis. At Maxentius sancti Augustini assertiones Fausti dictis opposuit, ut Possessorem tamquam hæreticum, libros Fausti damnare nolentem, erroris convinceret: *Conveniens credidi*, inquit, *aliqua tam de Fausti, quam de antedictis libris ejusdem Sancti Augustini certa capitula decernere, & huic nostro opusculo inserere, ut cum in brevi collata ab invicem contraria sibi reperta fuerint, evidenter clareat, libros Fausti esse hæreticos*.

Epistola ad Possessorem ab Hormisda scripta est.

8. Cæterum epistolam illam esse Hormisdæ, ac malitiose id a Maxentio negatum, Baronius ex styli consonantia probavit, nec doctissimum Cardinalem fefellit sua conjectura; nam ex epistola Africanorum Patrum in Sardinia exulum ad

JESU CHR. AN. 521. eumdem Maxentium (quæ poſt Baronium in lucem prodiit) hoc ipſum aperte probatur, ubi cap. 17. legitur: *Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas, Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in epiſtola, qua conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit*. Quo anno eam ſcripſerint in obſcuro eſt, ſed poſt mortem Hormiſdæ ſcriptam indicant ea verba *B. Memoriæ Hormiſdas*, ideoque poſt annum 523., quo S. Pontifex obiit, & poſtquam Confeſſores poſtliminio reverſi ſunt in Africam, ut ex dicendis conſtabit. Duodecim autem Epiſcoporum in Sardinia pro catholica Fide exulum nomine ea epiſtola inſcripta eſt. Inter eos Fulgentius Ruſpenſis eminebat, qui lingua, manus, ingeniumque eorum erat, ut ait auctor vitæ ejuſdem, etſi ejus nomen, exſcriptorum incuria exciderit, eaque quid de divina Gratia catholica Eccleſia doceret, fuſiori edocent ſtylo. Unde poſt præfationem: *Accepimus*, inquiunt, *veſtræ Charitatis epiſtolam, quæ noſtrum ex parte relevavit, ex parte vero mæſtificavit exilium. Gaudemus enim, quia rectam tenetis de Gratia Dei ſententiam, cujus lumine illuminatur, & juvamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam ſumus nebula mœroris affecti, quia ſignificatis quoſdam fratres in quæſtione de gratia Dei, & humano arbitrio, non rectum tenere Fidei catholicæ tramitem, ſed adverſus Dei gratiam elevare velle humani arbitrii libertatem*. A quo autem, & quibus Dei gratia detur, quidve operetur in nobis, his verbis exponunt poſt aliqua: *A Deo itaque nobis eſt omnis gratia boni ſermonis & operis, a quo nobis etiam ipſius cogitationis bonæ manifeſtum eſt ſufficientiam tribui, ut diſcat homo non in ſe, ſed in Domino gloriari. Divinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis beatus aſſignabat Apoſtolus, quando dicebat: Fiduciam* (2. Cor. 3.) *autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Proinde, & ſiquidem gratiam necdum habentes, non ſe intelligant non habere; illi tamen, qui gratiam divinitus acceperunt, eo magis debent in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quo eam vident non omnibus tribui &c.* (Non omnibus gratia datur.) Proinde ſcienda eſt, dilectiſſimi, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrii egena paupertas, quam divinæ gratiæ indeficiens largitas. Quid enim habes, (1. Cor. 4.) ait Apoſtolus, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid glo-

gloriaris, quasi non acceperis? Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde, nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce. Nam & oculus ad videndum factus est; sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; illuminat autem hominem, seipsum dando per gratiam. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum possit aspicere, sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio. Quid etiam de divina prædestinatione credendum esset exponunt, ac ex Jacobi, & Esau exemplo pluribus confirmant, inter cetera: *In illis namque duobus fratribus digne accipitur duorum significatio populorum; præsertim cum ipsi Rebeccæ Dominum consulenti duo prænuntientur populi, ab ejus utero separandi. Verumtamen agnoscenda est in illa discretione, & gratuita bonitas, & justa severitas. Nam quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, & gratia discernuntur, quicumque salvantur; profecto non sunt electa, neque dilecta in Jacob humana opera, sed dona divina.*

Liberum arbitrium sine gratia nihil boni agere potest.

9. *Rursus quia iniquitas nostra justitiam Dei commendat, procul dubio in Esau humanæ iniquitatis est damnata nequitia. In eo quippe*, in Jacob, *gratuitum Dominus ostendit beneficium misericordiæ suæ, in quo eum non pro meritis futuræ cujusquam bonæ operationis elegit, cui seipsum, & fidem, & bona opera donaturum esse præscivit. Inde est quod semini Abrahæ, cujus in Jacob figura præcessit, beatus Apostolus dicit: Gratia salvi facti estis per fidem, ut ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari, ipsamque donum Dei esse, sequutus adjunxit, & non ex vobis, sed donum Dei est. Ac ne quisquam sibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vindicare, & pro quibuscumque operibus fidem se æstimet accepisse, subjecit, non ex operibus, ne quis glorietur. Ut autem ostenderet non solum fidem, sed etiam bona opera divinitus tribui, continuo subdidit: Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ non solum a Deo dona-*

Prædestinatio gratuita.

Ephes. 2.

 ta,

JESU CHR. AN. 520. ta, sed ab ipso præparata testatur, dicens, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

Fides, & opera bona per gratiam data. 10. *Gratia itaque Jacob salvus factus est per fidem, gratia consequutus est bonorum operum facultatem. Quocirca quia certum est Esau fuisse vas iræ, Jacob autem vas misericordiæ; certissime tenendum est, quod & ille, ut damnaretur, iram juste meruit: Non enim injustus Dominus, qui iram infert; & iste ut salvaretur, gratis donum misericordiæ prævenientis accepit. Jacob itaque justificatus gratis per gratiam Dei, factus est vas misericordiæ per indebitam gratiam, & per ipsam misericorditer est præparatus ad gloriam: Esau vero per iram justam, juste est præparatus ad pœnam &c.*, ac imaginem in Jacob prædestinatorum ad vitam æternam, & in Esau reproborum ad pœnam adesse demonstrat. De parvulis vero indubitanter tenenda catholicæ regula veritatis, quia parvulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate salvatur; qui vero sine baptismo moritur, propter peccatum originale damnatur. Dei gratiam vero non omnibus hominibus dari, addunt, nec æqualiter omnibus, sed unicuique sicut Dominus divisit mensuram fidei, qui non hominum personas accipit, sed omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens propria singulis, prout vult.

Qua ratione Deus operetur in nobis salutem, & nos quoque operemur. 11. Deinde qua ratione Deus homines in peccatis relinquat, aut etiam obdurare dicatur, exponunt, sicuti voluntas gratiæ Dei cooperari dicatur. Nam subdunt, *si utrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia, & libero arbitrio quæstio remanebit. Jubet enim opus Deus, in homine operatur & velle; jubet ut faciat, sed operatur & facere. Ideo utrumque beatus jungit Apostolus, dicens: Cum timore, & tremore salutem vestram operamini. Dominus est enim, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate &c.*, quod etiam pluribus ibidem confirmant. Tandem post plurima, quid de Prædestinatione Ecclesia doceret, his aliis verbis aperiunt:

Qui negat prædestinationem, Apostolicæ Fidei repugnat. 12. *Contra prædestinationem vero Sanctorum, magnæ pervicaciæ est aliquem, vel parare, vel habere conflictum, cum Apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, qua non solum dicitur de Domino: Quos autem præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii ejus; & alio loco: Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum in ipsum: verum*

verum etiam ipsum caput nostrum, ipsum primogenitum in multis fratribus, beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat, dicens: Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis. Quisquis ergo prædestinatum Christum, & Sanctos ejus negat, apostolicam Fidem perversus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei Omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur. Ipse est enim, qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, & cujus voluntati nemo resistit. Verum namque est, quod de se testatus est filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat, sed ipsam voluntatem bonam faciendo vivificat. Hoc in majoribus; parvulos autem, in quibus necdum potest bona voluntas fieri, solius gratiæ facit operatione salvari &c.

Animarum origo obscura id certum pecato originali obstrictas esse

13. *Quæstionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari. Illud præcipue observandum est, & tenendum, parvulorum animas nexu peccati originalis obstrictas, omnibusque necessarium esse sancti baptismatis Sacramentum, quo dimittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur adoptio filiorum.* Ac ut sinceram tenerent fidem pluribus hortantur, ac tandem gloriosi Confessores in Sardinia exules Episcopi addunt: *Præ omnibus studium gerite libros S. Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistola, quam consulenti se sancto Fratri, consacerdotique nostro Possessori rescripsit cum magno præconio catholicæ laudis inseruit, cujus hæc verba sunt: De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est catholica sequatur, & servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, & maxime ad Prosperum, & Hilarium abunde possit agnosci, tamen & in scriniis Eccle-*

JESU CHR. AN. 521. *Ecclesiasticis expressa capitula continentur*. Hæc & alia in eam rem; deinde: *Ceterum unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres, adversus gratiam, & prædestinationem intimatis, vel sentire, vel dicere tribus libris vestro nomini dedicatis, sufficienti disputatione respondit, quique adversus duos libros Fausti Galli septem libros edidit, quos cum recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, catholicæ fidei penitus inimica discussio prodidit, ratio manifesta convincit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit*.

De libris S. Fulgentii contra Faustum.

14. Is porro, qui Fausti libros confutavit, Fulgentius fuit, unus ex exulibus in Sardinia Episcopis, at præstantissimi operis septem libris distributi jacturam deplorant quotquot sunt ecclesiasticæ eruditionis amatores, eoque magis dolendum, quod non communi veterum scriptorum fato deperditi sunt, sed hominum, qui tenebras magis, quam lucem diligunt, inaudita protervia. Eos enim, ut Norisius, Sirmondus, Bona, aliique narrant, Vignerius Oratorii Gallicani presbyter, in cujusdam bibliothecæ angulo repererat, eosque in lucem mox prodituros promiserat; at eo morte prævento, ut scribit Cardinalis Bona ad Abbatem Nicasium, nulla amplius spes superest, ut iidem unquam in lucem proferantur; unde ajebat Card. Bona: *Utinam Vignerius Fulgentii opera contra Faustum in lucem prodidisset, sed ut a doctore Parigino didici, post Vignerii mortem inciderunt in manus adversarii doctrinæ Fulgentii, qui ea igni tradidit*. Sed cui bono tam temerarium facinus? numquidne Fulgentii sententia de Gratia Christi ignorari potest, cum ex aliis operibus satis se prodat Fulgentii sensus, præcipue ex epistola Africanorum Patrum supra recitata, quam Fulgentius ipse dictavit; his adde librum de veritate Prædestinationis, & Gratiæ Christi ad Joannem Maxentium, & Venerium CPolim missum. Desinant ergo ab ira, & derelinquant furorem hostes Gratiæ Christi, & adversarii doctrinæ SS. Augustini, & Fulgentii; quos si doctrina eorum ipsos conturbat, quinimmo obcæcat, aliis saltem non invideant; sed de his hactenus.

Norisius hist. Pelag. c. 21. Sirmondus to. 4. concil. Labb pag. 1591.

Bona tom. ep. p. 299.

Paulus Antiochenus Episcopatum abdicat.

15. Anno 519., communi omnium consensu, Pulso Severo hæretico, Antiochenam sedem Paulus obtinuerat, at cum

cum conceptæ ſpei actiones ejus non reſponderent, ſua ſponte Epiſcopatui ceſſit, ne invitus fortaſſe dimittere cogeretur, ut Juſtinus ad Hormiſdam his verbis narrat: *Ut quod in Paulo viro reverendiſſimo contigit, Apoſtolatui veſtro pateſiat, qui ſacerdotio præditus Antiochenæ civitatis, ita verſatus eſſe dicitur in multis cauſis, quæ religioſis alienæ ſunt epiſcopis, ut clericorum ſuorum proditione, habitatorum etiam prædictæ civitatis, aliorum inſuper frequentium incuſaretur, non tantum legatis veſtræ Sanctitudinis in hac regia poſitis urbe (ut ipſos quoque retinere cenſemus) verum poſt eorum receſſum, qui malæ conſcientiæ ſuæ teſtimonio, veritus inſuper, ne, quæſtione habita, graviorem formam exitus rei poſceret, recuſatores libellos obtulit, ut liceret ei ſecedere a ſuſcepto (ſicut dictum eſt) epiſcopatus officio. Quoniam igitur cordi nobis eſt, & fuit, ut ſemper civitatum Antiſtites in amore ſint omnium communi, quorum regendas acceperunt animas: Paulus autem reverendiſſimus, ultro ſe de ſuo (prout memoravimus) abdicavit ſacerdotio, præſentem epiſtolam duximus dirigendam, ut vobis aperiatur, & orationibus propriis cœleſte nobis præſidium dignetur acquirere. Data Kalendis Maiis, Conſtantinopoli, Juſtiniano, & Valerio viris clariſſimis Conſulibus.* Quod autem Pauli peccatum fuerit, propter quod ſibi timens Epiſcopatu ceſſerit, ignoramus. Ut Monophitarum fautor a Nicephoro arguitur; ſed eum Menophoſitis infenſo fuiſſe animo ſatis conſtat ex epiſtola Senajæ Monophitarum Principis ad Senunenſes monachos, in qua Paulus deſcribitur tamquam Judæus, & Neſtorianus, quique Severianos Epiſcopatui ſuo ſubjectos acerrime divexabat, ut videre eſt in eadem epiſt. apud Aſſeman. tom. 2. Biblioth. Orien. cap. 2. & ſeq.. De his etiam ſcripſit Epiphanius CP. Epiſcopus ad Romanum Pontificem, cujus epiſtolæ exordium eſt: *Frequentiores quidem litteras ad veſtram Beatitudinem &c.* Pauli locum Euphraſius occupavit, teſtibus Evagrio, & Theophane. *Paulus cui dabatur* (habet Evagrius) *mandatum, ut Concilium Chalcedonenſe palam prædicaret, ſua ſponte decedens Antiochia, certo jam vitæ curſu confecto, commune univerſæ carnis iter ingreditur. Cujus Epiſcopatus ſedem Euphraſius Hieroſolymis Antiochiam profectus capeſſit.* De Euphraſio Theophanes addit: *Euphraſius autem Antiochenus Chalcedonenſis Synodi Patrum, & ipſius Papæ Romani nomina dypticis expun-*

Tom. 4. pag. 1553.

Juſtini epiſt. ad Hormiſdam.

Evag. lib. 4. cap. 4. Theoph. pag. 143.

Euphraſius Epiſcopus Antiochenus creatur,

JESU CHR. AN. 521. *punxit. Postmodum vero metu pœnitens redditus, quatuor synodos publice promulgavit.* Justinus enim Imperator imperii sui initio lege lata sanxerat, ut Episcopi, qui synodum Chalcedonensem suscipere nollent, sedibus suis pellerentur, cujus legis meminit Liberatus in breviario cap. 19.

Obitus S. Birgittæ.

16. Marianus Scotus, quem sequitur Baronius, sanctæ Birgittæ Virginis mortem hoc anno consignavit, licet non desint, qui eamdem in annum 518., aut in annum 523. conferant. Bollandus ad diem primum mensis Februarii, quo ea colitur, quinas ejus Vitas exhibet, & in Commentario prævio, pluribus de ejus patria, monachatu, habitu, regula, monasteriis, de locis in quibus habitavit, & obitu differit; eamque Scotico sanguine natam demonstrat; ubi vero adolevit, Deo virginitatem vovisse, ac sanctimonialem habitum ab Episcopo accepisse probat, cujus monasterium fuit Kildariense in Hibernia, ubi postea urbs ampla ædificata fuit. Eam non modo Scoti, & Hiberni, quorum utrique esse gentilem suam contendunt; sed etiam Angli, Belgæ, & Germani eximia religione venerantur, cujus memoria in Kalendario Romano octavi vel noni seculi recolitur, ut apud Allatium videre est.

Allat. de Kal. Rom. p. 1477.

Ennodii Ticinensis Episcopi obitus & elogium.

17. Birgittæ funeribus Ennodii Ticinensis Episcopi funus addimus, qui Valerio Coss. (qui hoc anno in Occidente consul fuit) depositus dicitur in epitaphio mox recitando, quem variis legationibus functum supra vidimus. Quem etiam in Gallia natum fuisse, non semel idem Ennodius indicat, an vero in Gallia, ultra Italiæ montes, aut in Liguria, quæ ad Gallias olim spectabat in obscuro est. Mediolani certe a puero larem Ennodius habuit, & quamquam loco humilem se ipse dicere soleat, liquet tamen illum præcipuas ævi sui familias, vel sanguinis nexu, vel affinitate complexum esse, cum inter propinquos, affinesque suos numeret Faustum, Boetium, Avienum Exconsules, Cæsarium Arelatensem, & Aurelianum Episcopos, Senarium, Florianum, Olybrium, Eugenetem, & alios genere, atque honoribus clarissimos. Sexdecim annos natus, sub Theodorici regis adventum in Italiam, ut in Eucharistico vitæ suæ scribit, amitæ, quæ ipsum aluerat, solatio destitutus, subsidium per nuptias nactus est, uxore ducta prædiviti ac nobilissima, ex cujus opibus deinceps abundavit, ex qua etiam filium suscepit. Posthæc reli-

relicta seculi militia, in sacram adscriptus fuit, atque inter Diaconos relatus: uxor vero ejus ad religiosæ vitæ cultum pari studio conversa est. Hoc in gradu magnam vitæ partem duxit. Ac licet Rhetorum, Poetarumque studia, quibus a prima ætate deditus fuerat, cum clero nomen dedit, neglexerit, ea tamen ingenii fama floruit, & doctrinæ, ut non solum in pretio essent, quæ sua sponte scriberet, sed ab amicis quoque, quos impensissime coluit, rogatus, in dictandis aliorum nomine orationibus, epistolis, epitaphiis, assiduam operam dabat, nil tamen illustrius Apologetico, & Panegyrico; quorum altero Theodoricum Regem publice laudavit, altero Symmachi Papæ, Synodique Romanæ causam, tanta cum approbatione defendit, ut a Synodo universa honorificentissimo Elogio ornatus fuerit. Atque hæc fere sub Symmacho: Sub Hormisda vero, cum Ecclesiæ Ticinensis Episcopus jam esset, gemina in Orientem ad Anastasium Imp., fidei Orthodoxæ causa, legatione functus est, primum quidem cum Fortunato Catanensi Episcopo, & aliis, quo tempore Synodus Heracleæ futura dicebatur: deinde cum Peregrino Episcopo Misenate, fidei formulam deferens, cui subscriberent Orientales. Sed in utraque, subdoli Principis vesania, irritus fuit eventus, quem cum Anastasius flectere in sententiam suam non posset, indignis modis vexatum, fragili navigio impositum, cum interdicto, ne ad ullum Græciæ portum appelleret, contumeliose dimisit. Reversus ad Ecclesiam suam, non diu superstes fuit, annorumque non amplius 48. excessit e vita, ea sanctitatis opinione, ut inter sanctos Christi Confessores anniversaria memoria colatur XVI. Kal. Augusti, quo die receptus est in cœlum, anno Domini 521. Diem obitus & Consulem notat Epitaphium, quod hodieque Ticini in æde Divi Michaelis, parieti, qui sacrario cohæret, insertum in tabula marmorea legitur, his versibus:

Jesu Chr. An. 521.

Ennodius vates lucis rediturus in ortum,
Hoc posuit tumulo corporis exuvias.
Clarus prole quidem, generosior ipse propinquis,
Quos functos laudem jussit habere diem.
Reddidit hos cœlo vivacibus ille figuris,
Cum fecit famæ vivere conloquiis,

Quid mirum, si morte caret post busta superstes,
Qui consanguineos restituit Superis?
Quantis iste foret mundi celebratus in oris,
Nec silet occidui cardinis Oceanus.
Schismata conjunxit dudum discordia legi,
Atque fidem Petri reddidit Ecclesiis.
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte,
Restituit Christo innumeros populos.
Largus, vel sapiens, dispensatorque benignus,
Divitias credens, quas dedit, esse suas.
Templa Deo faciens, hymnis decoravit, & auro,
Et paries functi cogmata nunc loquitur.

Depositus sub D. XVI. Kal. Augustas, Valerio viro clarissimo Consule.

JESU CHRISTI AN. 522. HORMISDÆ PAP. 9. JUSTINI IMP. 5. THEODORICI REGIS 30.

De consulibus hujus anni.

Sirmond. notis ad epist. 1. lib. 8. Ennodii. Pag. nota 1. hoc anno. Murat. ibid. Dupin. sæculo 6. pag. 89. Orsi tom. 17. pag. 163. Boetii lib. de consolati philosophiæ. Panvin. Bar. hoc anno Basnag ibid.

1. Insequens Christi annus quingentesimus vigesimus secundus, clarissimorum virorum Symmachi, atque Boetii consulatu notatus est. Hos Consules, Anilii Manlii, Severini Boetii, inter oratores, ac philosophos præstantissimi, anno 510. consulis, filios fuisse, tradunt præclarissimi viri, idque ex Boetii libro 2. de consolatione probat Sirmondus, ubi de filiorum copulato consulatu hæc habet: *Cum duos pariter consules, liberos tuos domo provehi sub frequentia Patrum, sub plebis alacritate vidisti. Et quid dicam liberos consules, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii.* Alii econtra Boetium hujus anni Coss, eumdem esse censent, ac Patrem, qui eo honore jam functus erat anno 510., eique collegam assignant Symmachum generum, vel alium Orientalem Symmachum, filiosque suos *Consules*, vel *consulares* a Boetio ideo vocari, eo quod patre consule, sint progeniti, verum ab hac sequenda sententia, & verbis Boetii, & eruditorum auctoritate prohibemur, ideoque alteram verosimiliorem censemus. Sed jam his consulibus gesta videamus.

2. Quid

2. Quid hoc biennio, quo superstes fuit, Hormisdas egerit, non constat, cum nullas amplius ab eo scriptas epistolas habeamus, ex quibus historiam hactenus digessimus. At eum copiosa benedictione donatum, ac pro tot laboribus, pro Dei Ecclesia susceptis, corona gloriæ decoratum fuisse, cum anno sequenti ad cœlum est evocatus, dubitari vix potest. Quid enim jucundius, faustumque magis contingere eidem poterat, quam Orientalem ecclesiam, remoto obstinato schismate, cum Occidentali mutua charitate conjunctam videre, & Africanam, longa persecutionæ vexatam, mortuo Trasamundo anno sequenti, momento temporis pristino fere splendori restitutam. Nec levioris momenti censendum est, quod hoc ipso anno magna Dei misericordia factum est, ut oves aliæ, quæ non erant ex Christi grege, ad ecclesiam converterentur, cum videlicet barbaræ, ac feræ Gentes adhuc nesciæ ferre jugum Christi, expertesque divinæ legis, ad Fidem christianam capessendam accesserint, venerintque Constantinopolim ad Justinum Imperatorem. Quæ quomodo facta sint, ex antiquis auctoribus referre jucundum erit. Jesu Chr. An. 522. Felicissimus Hormisdæ Pontificatus.

3. *Hoc anno*, inquit Theophanes, *Tzathus Lazorum Rex, Regni Persarum desertor factus, Cabade regnante, atque adeo ipsum amante, ut in Lazorum Regnum eum extulisset, ad Justinum Byzantium veniens, Christianum fieri, & ab eo Lazorum Regem renunciari rogavit Imperatorem. Hunc Imperator benigne acceptum, baptismi lumine illustravit, & filium declaravit. Romanam vero duxit uxorem, Homi Patricii, & Excuropalatæ neptem, nomine Valerianam, quam demum Lazorum Rex creatus in patriam duxit: discessit ille redimitus corona, & chlamyde, qualis est Imperatoris, candida ornatus, cui superius tabula ex auro fuit adjuncta, in qua Justini Imperatoris imago, coloribus acu ductis, depicta erat; & toga pariter candida auro*; ac Donis ab Imperatore acceptis lætus domum rediit, cumque hæc Cabades Persarum Rex intellexisset Imperatori Justino significavit se phœdera, quæ inter utrumque Imperium vigebant violasse, at Justinus Imperator, se Tzathum ad regiam urbem profectum, eo tantum fine suscepisse, ut Gentilium superestitione abdicata, fieret Christianus, respondit, quem ideo baptismate lustratum, in propriam regionem remiserat. Graves tamen Romanos inter, & Persas sequutæ Rex Lazorum ad fidem convertitur. *Theoph. pag.* 144.

R 2 sunt

JESU CHR. AN. 522. Dufresne Præfat. ad chron. Alex. pag. 8.

sunt discordiæ ex eo tempore, ait Theophanes: eademque auctor chronici Alexandrini cœteris antiquior, quippe qui seculo 6. floruit, & post eos ceteri Græci auctores, Zonaras, Cedrenus, nec non & Anastasius bibliothecarius in chronico; sed anno sequenti Procopius etiam bellum hoc tempore exortum fuisse narrat Romanos inter, & Persas, quod per plures annos est propagatum, mutuis hinc inde acceptis cladibus, & victoriis relatis.

De actis S. Arethæ & sociorum.

4. Ex Lazica in Æthiopicam, & Homeriticam regionem se oratio transferat, ubi etsi olim, Constantii scilicet Imp. ætate, Christi Fides prædicata fuisset, Æthyopibus quidem seu Auxomitis a Frumentio, quem illuc S. Athanasius Alex. Episcopus miserat: Homeritis vero a Theophilo quodam pseudo monacho Ariano, qui una cum evangelica fide, Arianorum Zizaniam superseminaverat, quem etiam miraculis claruisse narrat Arianorum historicus Philostorgius, a Metaphraste in vita S. Aretæ martyris exscriptus, & a Baronio relatus ad hunc annum num. 25., at cum temporis decursu, inter Auxumitas æque, ac Homeritas extincta pene fuisset Christi Fides, ita ut Auxumitis Idololatra Rex imperaret, Homeritis vero Judæus, iterum hoc tempore Christi fides iis in regionibus propagata est, ut pluribus acta Aretæ martyris, & sociorum referunt, quæ etsi ad fabulas delegaverit Basnagius, interpolata tamen magis, quam fabulosa esse, veterum scriptorum fides probat. Inter eos Simeon Betharsamensis Episcopus recensetur, qui teste Dionysio Patriarcha in chronico, hoc seculo vixit, quem etsi Eutychianæ hæresi addictum fuisse suspicari possit, ob perpetuum silentium Chalcedonensis synodi, & subscriptionem Henotici, seu decreti unitivi Zenonis Imperatoris, ac acerbas in Theodoretum invectivas, ab ea tamen hæresis labe eum vindicare conatus est eruditissimus Bibliothecæ Orientalis editor. His itaque omissis ad Auxumitarum, Homeritarumque gesta redimus, de quibus hæc ad hunc annum narrat Theophanes, & cum eo alii historici. *Hoc anno nefarium facinus adversus Sanctum Aretham, ceterosque urbis Negreæ incolas admissum est, bellumque ab Elisbaa Æthiopum Rege contra Homeritas susceptum, victoriaque demum ab ipsis reportata*. Quomodo autem hæc contigerint, repetenda sunt ex epistola Simeonis Betharsamensis Episcopi, & ex actis S. Arætæ martyris. Apud Axumitas, sive Æthyopes regna-

Basnag. anno 521. num. 7.

Simeonis ep. de hæresi Nestoriana. Apud Asseman tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 346. Theoph. pag. 144. Zonaras in annal. p. 59. tom. 2.

regnabat Aidog, sive Eleesbaan Gentilis. Apud Homeritas vero Dymion Judæus. Hic porro, cum mercatores Romanos per Homeritarum fines in Regiones Indorum mercaturæ causa transeuntes interfecisset, eorumque bona diripuisset, ajebat enim: *Quia christiani Judæos in partibus Romanorum secum habitantes vexant, & necem eorum plerisque inferunt*. Ob eam causam Eleesban Æthyopum, seu Auxomitarum Rex, Domnioni Homeritarum Regi bellum indixit, quo vigente, cum instaret pugna, *Si dabitur mihi*, inquit, *Eleesban, ut latrone isto Homeritarum Rege superior evadam, christianus fiam: christianorum enim sanguinem ab ipso fusum ulcisci cupio. Conserto prælio Homeritarum Regem Æthyops devicit, & captum interfecit, totumque Regnum ejus diripuit, suæque ditioni subjecit, & exercitum ultima internecione delevit. Mox victoria hujusmodi potitus, votum solvere haud cunctatus est, sed duos ex Optimatibus suis ad Justinianum Imperatorem allegans, ut Episcopum sibi, atque Clericos mitteret, rogat. Quibus ille, incredibili lætitia affectus, Episcopum, quem ipsi delegissent, dari jussit. Legati vero, diligenti inquisitione facta, Joannem S. Joannis Paramoniarum, virum castitate, puritate, ac zelo insignem, ordinari sibi Episcopum postularunt. Eo igitur una cum pluribus Clericis accepto, in patriam mirifico gaudio effecti, reversi sunt: quos Aidog Rex pari cum lætitia excepit, una cum Episcopo, & Sacerdotibus. qui simul advenerant. Ipse autem sacra imbutus catechesi, baptismum suscepit, & Christianus factus est, unacum omnibus regni Proceribus, parique studio omnes eam suscepere curam, ut in toto Regno Christiana Fides obtineret, Templaque in honorem veri Christianorum Dei ubique locorum excitarentur. Atque hac ratione, errantibus hisce Populis, salutem Deus largitus est.*

6. Interea defuncto paulo post christiano Rege, quem Rex Æthyopum ibi constituerat, Judæi Homeritæ sibi Regem a sua secta iterum præfecerunt. Hic Duan fuit, qui in christianos desæviit, & præcipue contra Nagrenses cives, quos dolo in suam potestatem redegit, ut in epistola ad Gabulam Abbatem, Simeon narrat Barsamensis Episcopus, ac in actis Aretæ martyris narratur. Validum itaque exercitum contra Nigridem ducens Duan Rex Judæus, urbem expugnare cœpit, interitum civibus minitans, nisi Crucem Christi in excelso positam dejicerent, ac Christum abnegarent. Vides ubique, ait

JESU CHR. AN. 522.

Eleesban Rex Æthiopum fit christianus.

Joannes Æthiopum Episcopus ordinatur.

Duan urbem Nagram obsidet.

Bibliot. Orient. p. 364. Surius die 24. Octobris.

JESU CHR. AN. 522.

ait Baronius, in universa Ecclesia laudabilem illum semper viguisse morem, ut Cruces a Fidelibus colendæ in sublimi loco cunctis perspicuæ ponerentur? Sed pergit auctor: ac multa ab impio Rege Judæo adversus Christum, ejusque religionem dicta subdit, cui nihil aliud, nisi quæ ad rem erant, responderunt obsessi christiani. Cumque variis artibus frustra hactenus urbem invadere tentasset, dolo tandem ingressus est, cum jurasset se nihil eis mali esse facturum, neque coacturum, ut patriam abjurarent religionem, sed solum ea visurum, quæ in eadem civitate erant, & annuum tributum accepturum, quod prius dabatur; deinde autem se illinc statim excessurum.

Dunaan Nagran catholicos persequitur.

7. At Dunan Rex Judæus urbem ingressus, cum urbis elegantiam & situm laudasset, egressus est, in eos qui habitabant civitatem gravia versans (ut indicavit exitus) jusjurandum, & pacta conventa, & quæcumque alia eis præbuerat ad fidem faciendam, deceptionem fuisse existimans, ac nobiliores extra civitatem vocavit. Inter eos vero adfuit Areras canitie & sapientia, & morum modestia præstantissimus, quos Duan jussit facultatibus spoliatos in vincula retineri, deinde ubi Paulus eorum Episcopus esset, interrogavit, cui cum dictum esset, jam duobus ante annis eum esse mortuum; non habens in quem iram immitteret, jussit ut sepulchrum ejus effoderent, ac corpus comburentes, cineres in aerem ventilarent, graviora post hæc adversus christianos moliens, rogum accendi jussit, qui multa aleretur materia: *Et statim civitatis, & ejus quæ est circumcirca regionis Sacerdotes, & monachos, & Deo consecratas virgines, quin etiam feminas, quæ vitam degerant monasticam, omnes simul in eum injici jussit: ii enim, inquit, sunt plane causa aliorum interitus, persuadentes Crucifixum colere tamquam Deum*. Præcones deinde urbem circumire imperavit proclamantes, ut Christum negantes Judaice viverent, dum ipse Dunan Arethæ, sapientia & ætate viro gravissimo, eadem suadere conaretur; Aretas vero christianæ religionis præstantiam longa oratione demonstrasset, nec Duaani oratione, aut promissis, vel minis flecteretur, Aretam cum sociis ad torrentem, qui Odias vocatur, duci jussit, ibique eorum capita amputari, quo cum essent perducti, ac se Christo Deo commendassent, jugulum singuli obtulerunt, primusque omnium Aretas ætate, & dignitate præstantior, martyrii coronam adeptus

Sacerdotes Monachi, & virgines comburuntur.

Confessio Arethæ & sociorum.

ptus est. Nec prætereumdum, alios plurimos ante Aretam, & deinceps post eum, martyrii coronam adeptos fuisse, & quidem cujuscumque generis, & conditionis, viros, ac mulieres, virgines, & nuptas, pueros etiam, innocentesque puellas, quorum gloriosa pro Fide Christi certamina, stylo parcentes, in actis Sanctorum apud Metaphrastem, Bollandum, aliosque videri possunt. Hoc unum addimus, eorum memoriam in Oriente, & Occidente celeberrimam perseverare. Neque hic barbari Regis furor stetit; quin Persarum Regem, & Alamandurum Seracenorum Ducem, ut Christianos iis in regionibus degentes perderent, excitavit, ejusque epistolæ partem exhibet Simeon Barsanopolitanus Episcopus ad Gabulam abbatem scribens.

De pueroBaisar, & fidei confessore.

8. Puerum autem in ignem sponte insiliisse, ac una cum matre igne consumptum, Martyrii coronam adeptum fuisse, narrant S. Aretæ martyris acta. At eum gloriosa confessione illustrem supravixisse, refert Dionysius Patriarcha, ex Joannis Asiæ Episcopi chronico, his verbis: *Æquum visum est, haud silentio præterire puerum illum, qui in præcedenti historia Regem in femore momordisse dicitur, ac dixisse: Sine me, quæso, ad matrem ire, & cum illa mori: quemque apprehensum Tyrannus, quum videret, quod sibi nequaquam morem gereret, cuidam ex procerum suorum numero educandum tradidit, ut adultus, nisi Christum abnegaret, necaretur. Nam quum Æthyopes Regem illum interfecissent, ac omnes Homeriditis Judæos delevissent, puer ille intentatam necem evasit, adolevitque. Quum vero ejus fama ad Christianum Regem, qui ibi constitutus fuerat, perlata fuisset, adductum in Aulam puerum educari jussit, donec ephebos excederet. Tum vero eum velut Christi martyrem complexus, Principem Patriciorum creavit, & secretorum, consiliorumque suorum conscium esse voluit. Baisar is dicebatur. Eum denique ad Justinianum Imperatorem legatum misit, & nos diu cum ipso versati sumus*, quem omni virtutum genere exornatum fuisse ibidem narrat. Quem exitum hæc habuerint, & quomodo, clamante de terra Christianorum sanguine, ira Dei in impios effulserit, anno sequenti videbimus. Interim tristissimum casum enarremus, ac impium facinus, ob optimo alioquin Rege admissum.

Sigismundus Sigericum filium occidit.

9. Dum Sigismundus Burgundiæ Rex, Sigericum filium,

Nove-

Jesu Chr. an. 522. Novercæ insidiis deceptus interfecit, quem mortuum frustra planxit, ficuti Poeta cecinit.

Poenitet heu sero pœnæ crudelis amantem,
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit

Sigismundus itaque, *defuncta priori conjuge, filia Theodorici Regis Italici, de qua filium habebat nomine Sygiricum, aliam duxit uxorem: quæ valide contra filium ejus, sicut novercarum mos est, malignari, ac scandalizare cœpit. Unde factum est, ut una solemnitatum die, cum puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: Non enim eras digna, ut hæc indumenta tua terga contegerent, quæ dominæ tuæ, idest matris meæ fuisse noscuntur. At illa furore succensa, instigat verbis dolosis virum suum dicens: Hic iniquus regnum tuum possidere desiderat, teque interfecto, ad usque Italiam dilatare disponit, scilicet ut regnum, quod avus ejus Theodoricus Italiæ tenuit, & iste possideat. Scit enim quod te vivente hæc non potest adimplere, & nisi tu cadas, ille non surget. His, & hujuscemodi ille incitatus verbis, uxoris iniquæ consilio utens, iniquus extitit parricida: nam sopitum vino dormire post meridiem filium jubet: cui dormienti, lorum sub collo positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se invicem duobus pueris, suffocatus est. Quo facto Pater sero jam pœnitens, super cadaver exanime ruens, flere cœpit amarissime, ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Te, inquit, plange amodo, qui per consilium nequam factus es Parricida sævissimus, nam hunc, qui innocens jugulatus est, necessarium non est plangi.* Sigerici mortem labenti anno affigendam esse Marii chronico docemur: *Symmacho, & Boetio Coss. Sigericus filius Sigismundi Regis jussu Patris sui injuste occisus est:* Ut tantum expiaret crimen, ad Agaunenses abiens Sigismundus, *per multos dies in fletu, & jejuniis, veniam precabatur, psallentium ibi assiduum instituens. Lugduno regressus est, ultione divina de vestigio eum prosequente.* Quas parricidii pœnas dederit, ficuti ab Agaunensibus martyribus expetierat, ut in hoc sæculo potius, quam in futuro puniretur, anno 524. dicturi sumus.

Greg. Turon. lib. 3. cap. 5. Greg. Tur. ut sup.

JE-

JESU CHRISTI an. 523. Joannis Papæ I.
Justini Imp. 6.
Theodorici Regis 31.

Maximi Coss. avaritia arguitur.

1. Hoc anno 523. Maximum absque collega Fasti exhibent, qui dum Consulatum spectaculorum editione nobilitare curavit, cum consueta munera ac præmia iis, qui cum feris certaverant, abnegasset, delatis ad Theodoricum Regem querelis, ab eodem avaritiæ argui meruit; eaque epistola Cassiodorus multa de spectaculorum origine, immanitate adnotans, qua arte, & industria ferarum morsus, & impetum infelices Atletæ declinarent, exponit.

Trasamundi Regis obitus.

Pagius not. 2. anni 522. Noris. hist. Pelag. cap. 21.

2. Hoc anno cum annos 26. menses 8. dies quatuor in Africa Vandalicum Regnum tenuisset Trasamundus, die Maji 28. obiit, ut post Norisium adnotat Pagius, ex epistola Bonifacii Carthaginensis Episcopi, de qua anno sequenti. De Trasamundi obitu hæc adnotat Victor Tunonensis: *Maximo VC. Coss. Trasamundus Vandalorum Rex Carthagine moritur.*

Jejunio, & pietate Mauri Vandalos vincunt.

Procop. de bello Vandal. lib.

3. Maximam autem a Mauris cladem ante obitum accepisse Trasamundum narrat Procopius, eamque ob violatam ab eo religionem accidisse addit his verbis. *Hoc Regnante* (Trasamundo), *Vandali clade omnium maxima, quas unquam pertulerant, affecti sunt. Mauris Tripolim circumcolentibus, Cabao quidam, vir usu bellorum exercitus ac solertissimus præerat: qui susceptæ contra se a Vandalis expeditionis certior factus, ita se gessit. Principio subditis edixit, ut non modo omni scelere, sed cibis etiam mollitiem inducentibus, ac præsertim fœminarum consuetudine prorsus abstinerent. Tum duplex molitus vallum, sibi, virisque omnibus aptavit in castra alterum, alteri fœminas commisit, mortem interminatus, si quis pedem in hoc septum inferret.* Deinde missis Carthaginem exploratoribus mandavit, ut sicubi Vandali, contra Maurorum exercitum venientes, sacram aliquam Christianorum ædem profanarent, ipsi, re inspecta, post Vandalorum ex eo loco discessum, Templis christianorum majorem, quam poterant, reverentiam exhiberent. Quare exploratores Maurorum, castra secuti Vandalorum, cum Christianorum Templa in stabula conversa, omnique fœditatum genere respersa invenirent, iis recedentibus, cum omni dili-

Jesu Chr. An. 523.

gentia purgabant. Sacerdotibus vero christianis, quos Vandalicus furor omni injuriarum genere affecerat, opem, & venerationem exhibebant; sicque per totum iter comitantes, Tripolim pervenerunt, Cabaoni Duci narrantes hostes in propinquo esse. Quo ille audito, ita se accinxit ad prælium. Facto orbe in campo, ubi vallum producere debebat, camelis transversis castra circummunivit, aciei fronte ita disposita, ut altitudinis ejus ordines singuli camelis fere duodenis constarent. Pueros, fœminas, omnemque imbellem turbam cum pecuniis in medio reposuit: pugnæ idoneos ad illorum pedes animalium, anteriores inter, & posteriores, locavit protectos clypeis. *In hunc modum instructa Maurorum acie, Vandali e re nata quid consilii caperent, nesciebant. Nam nec jaculatores, nec sagittarii periti erant, nec didicerant præliari pedibus: sed equites erant omnes, & hastis maxime atque ensibus utebantur: damno proinde nullo hostem eminus afficere poterant: at neque equos admovere, camelorum specie territos. Cumque interea ab hostibus densa e tuto tela mittentibus, tum equi, tum sessores ipsi facile conficerentur, quippe quia conferti erant, in fugam se conjecerunt. Egressi Mauri, interfecerunt multos, multos ceperunt: ita ut oppido pauci ex illo exercitu domum redierint. Hæc illa est clades, quam a Mauris Trasamundus accepit: qui posteaquam Vandalis annos 25. imperavit, diem supremum obiit.* Hæc Procopius, eademque Evagrius, qui addit, Vandalos eo bello adeo fuisse exagitatos, ut perpauci ex florentissimo exercitu ad propria redierint. Qua clade accepta impius Rex, desperatis rebus, quasi alter Antiochus interiit. Quantum autem in Catholicos infensi animi fuerit, ex eo etiam patet, quod morti proximus, Childericum, cui Regnum tradebat, sacramento obstrinxit, ne catholicos Episcopos ab exilio revocaret, iisque ecclesias restitueret: *Hildericus*, ait Tunonensis, *qui ex Valentiniani Imperatoris filia* (Eudocia scilicet) *a Giserico captivata, & Ugnerico juncta natus est, regnavit annis 7. menses tres. Hic ergo Sacramento a decessore suo Trasamundo obstrictus, ne catholicis in Regno suo, aut ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret &c.*

Hildericus catholicos Episcopos ab exilio revocat.

4. Sed Hildericus Vandalici quidem Regni, non odii in Catholicos hæres fuit, nam teste Procopio, cum esset vir *subditis affabilis, totus ad mansuetudinem natus, qui nullo unquam*

unquam modo christianos vexavit, ideoque ut fidem datam Trasamundo servaret, antequam publice inauguraretur, catholicos Episcopos ab exilio revocavit: *Priusquam regnaret*, addit Tunonensis, *ne sacramenti terminos præteriret, præcipit, & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, ecclesias aperire, & Bonifacium cum dogmatibus divinis satis strenuum, ad postulationem totius urbis Carthaginensis, Ecclesiæ Episcopum consecravit*. Eadem narrat Isidorus in chronico. Auctor vero vitæ S. Fulgentii, postquam dixit, tunc editos libros septem contra Faustum, de quibus jam egimus, de Episcoporum restitutione subdit: *Magnus plane hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta; Mors enim Trasamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donavit Antistitem; cunctisque in locis ordinationes Pontificum fieri, clementissima auctoritate mandavit*. Beatus itaque Fulgentius postquam expugnasset Pelagianos, lætificatos meruit videre catholicos, ait auctor vitæ ejus. *Fulgentii vita cap. 29.*

5. Antequam ab exilio redeuntem Fulgentium videamus, de his quæ in exilio scripsit aliqua adnotamus, nam *Verbum Dei non est alligatum*, ut ait Apostolus. De scriptis contra Pelagianos jam supra dictum est: superest itaque, ut de reliquis agamus, ac primo de tribus libris ad Monimum. Erat autem Monimus ex præcipuis Fulgentii amicis, virtutis ac eruditionis laude præclarus. At cum in Sancti Augustini doctrina rudior esset, in eam venerat opinionem, ut ad bonum, æque ac ad malum homines a Deo prædestinari, crederet, in eamque sententiam quædam Augustini loca eum traxerant: sed Fulgentio magis, quam sibi credens, rem totam ejus judicio permiserat; enixe rogans, ut quid de ea re sentiendum esset, sibi aperire non gravaretur. Id Fulgentius primo libro luculenter exequutus est, quo ex Augustino, homines ad malum prædestinari negat, cum Deus ea tantum prædestinet, quæ ipse facturus sit: ex quo fit, ut sicut mala facere a Deo alienum est, sic etiam ad malum prædestinare, sed quia malorum pœna malum non est, sed mali potius medicina, ad pœnam recte homines dici prædestinatos docet, licet Deus ad culpam neminem prædestinet. Atque hoc

Fulgentii libri ad Monimum.

Præfat. ad Fulgentii opera.

Deus homines ad pœnam non ad peccatum prædestinat.

JESU CHR. AN. 523. hoc primi libri argumentum est, quem de Prædestinatione librum Florus appellat. Secundo præter alia nonnulla, toti Trinitati sacrificium docet offerri, nec verum esse, quod Ariani contendebant, solo Patri sacrificari. Tertio varias eorumdem Arianorum refellit argutias. His ad Monimum libris alii duo de remissione peccatorum addendi sunt, quos in exilio scriptos fuisse, ex ejus vita patet, in quibns veniam peccatorum, nec extra Ecclesiam a Deo concedi docet, nec extra vitam. De ea autem venia loqui patet, qua quis ex injusto fit justus, ex impio pius. Cœterum utrum justis, post hanc vitam, pœnæ quædam temporariæ exsolvendæ superfint, quarum liberatio precibus, & bonis operibus impetretur, id Fulgentius neutram in partem attingit.

De Remissione peccatorum.

De epistolis S. Fulgentii, & primo ad Probam.

6. Ad idem secundi exilii tempus referri debent variæ epistolæ, quæ hoc ordine scriptæ videntur, ac primo loco collocanda est, quam ad Probam Romanam virginem dedit, genere, & virtutibus claram. Erat illa ex Aniciorum familia, in quam tam Probæ nomen frequens, quam Consulatus, spretisque, quibus innutrita fuerat deliciis, virginitatem Deo dicaverat, Romanisque puellis, non castitatis modo laude prælucebat, sed etiam humilitatis exemplo, quarum virtutum studio, sæpe cum Fulgentio egerat per quemdam Dei servum, ut aliquid sibi, tum de virginitate, cum de humilitate scribere dignaretur. Paruit Fulgentius, ac tractatum ad Probam inscripsit, in Epistolarum quidem censum relatum, quem tamen ipse libellum appellat, eademque rogante, duos de jejunio, & oratione libros scripserat, quos quidam nihil aliud esse putant, quam quartam Epistolam, quæ *de oratione, & compunctione cordis ad Probam* inscribitur. At illa, cum in explicanda Christi gratia tota versetur, nec de oratione quidquam separatim habeat, horum librorum titulo *de jejunio* scilicet *& oratione* non satis apte respondet.

Gallæ viduæ elogium.

7. Probæ virgini Gallam illustrem viduam addimus, a S. Fulgentio litteris compellatam, & a Sancto Gregorio laudatam. Hæc Symmachi Consulis filia, & Consuli nupta, cum infra annum vidua remansisset, post viri mortem, in monasterium se abdidit: quo comperto Fulgentius, scriptis ad eam litteris, & de viri morte consolatus est, & de viduitatis statu, & officiis erudivit, quam ideo Consulis filiam, neptem, & uxorem fuisse narrat, his verbis. *Disce tu quoque nihil de nobi-*

nobilitate generis assignare, & licet Avo, Patre, socero, marito consulibus pridem fueris inter sæculares illustris; nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in quo tibi virtus humilitatis accrescit. Quantum autem in spirituali vita profecerit Galla Fulgentii exhortatione incitata, ex his, quæ S. Gregorius de eadem narrat, cognosci potest. *Interim*, inquit, *neque hoc silendum arbitror, quod mihi personarum gravium, atque fidelium est relatione compertum, Gothorum namque temporibus Galla hujus urbis nobilissima puella, Symmachi consulis ac Patricii filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in unius anni spatio ejus est morte viduata. Quam dum fervente Mundi copia, ad iterandum thalamum, & opes, & ætas vocaret; elegit magis spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus a luctu incipitur, sed ad gaudia æterna pervenitur, quam carnalibus nuptiis subjici, quæ a lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum valde ignea consperſio corporis inesset, cœperunt medici dicere, quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio, contra naturam barbas esset habitura; quod ita quoque post factum est. Sed sancta mulier nihil exterius deformitatis timuit, quæ interius sponsi cælestis speciem amavit: nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod a cælesti Sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut ejus maritus defunctus est, abjecto seculari habitu, ad Omnipotentis Dei servitium se se apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit: ibique multis annis simplicitati cordis, & orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque Omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere ejus laboribus decrevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est.* Nocturno autem tempore ante lectum ejus duo candelabra lucere consueverant; quia videlicet amica lucis, non solum spiritales, sed etiam corporales tenebras odio habebat: Quæ dum nocte quadam ex eadem jaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum constitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultavit; eique dixit: Quid est, Domine mi? dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille benignissimi (ut est) vultus, inclinato capite, annuit dicens: Dimissa; veni. Sed quia quamdam sanctimonialem feminam in eodem monasterio præ ceteris diligebat; illico Galla subjunxit: Rogo, ut Soror Benedicta mecum veniat.

Jesu Chr. an. 523.

Greg. Dialog. lib. 4. c. 13.

De transitu S. Gallæ Viduæ.

niat. Cui ille respondit: Non, sed illa talis veniat tecum: Hæc vero quam petis, die te erit trigesimo secutura. His itaque expletis, visio Apostoli assistentis & colloquentis recessit. At illa protinus cunctæ congregationis accivit matrem, eique quod viderat, quidve audierat, indicavit. Tertio autem die cum ea, quæ dicta fuerat, sorore defuncta est: illa vero, quam ipsa poposcerat, die est trigesimo subsecuta. Qnod factum nunc usque in eodem monasterio manet memorabile: sicque hoc a præcedentibus matribus traditum narrare illic solent subtiliter juniores, quæ nunc sunt sanctimoniales virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo & ipsæ affuissent. Hucusque Gregorius de Galla filia Symmachi Consulis

Fulgentii ep. ad Theodorum.

8. Eodem charitatis zelo, quo Gallam viduam in viduitatis proposito confirmaverat, Theodorum quoque, virum illustrem ex ordine Senatorio, & Consulem, qui seculari fastu deposito, se Deo dicaverat, laudavit, ac ut in inceptis perseveraret, hortatus est. *Multum gaudeo*, inquit, *quod jam secularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, a quo cum diligeres calcabaris. Quamvis enim Christus æqualiter sit pro cunctis fidelibus mortuus, & æquale cunctis beneficium redemptionis impenderit, dicente Apostolo: Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu: tamen conversio potentium seculi multum militat acquisitionibus Christi. Sicut enim multi fratres, amici, clientes, ac subditi, noti pariter, & ignoti, talium auctoritate, ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, & eo magis igne secularis concupiscentiæ succenduntur, quo sublimes seculi dilectione mundana libenter captivos teneri conspiciunt: ita quoties ille, qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt, dum terrenis rebus intenta corda misericorditer respicit, & consideratione judicii sui tremere compellit . . . . . in talium tremore plurimi contremiscunt, & in talium conversione multi ad subsidium miserationis divinæ confugiunt. Ita fit, ut qui sunt in culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant. Magna tales vel pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis*

tis ostendant sanctæ conversationis exemplum &c.

9. Reliquarum Fulgentii Epistolarum tempus incertum est, illiusque præsertim, quæ prima censetur. Cujus argumentum hoc erat. Nupta cuidam viro mulier morbo correpta, manus impositione, pœnitentiam secundum morem, quem habet Christiana religio, peregerat, cui pœnitentiæ annexum erat continentiæ votum, a mariti tamen voluntate suspensum. Id viro adhuc juveni scrupulum injecerat, eaque de causa Fulgentium interrogavit; is vero respondit: Nec a marito, nec ab uxore, citra mutuum consensum continentiam rite voveri posse. Cæterum si quis voventi consenserit, mutandi propositi ultra jus non esse demonstrat, nec aliud tunc contra carnis tentationes remedium, quam precum, & strenuæ contra concupiscentiam luctæ. Nec defuturum divinitus auxilium, ubi plena fuerit continentiæ voluntas, & ab oratione, atque operibus bonis non destiterit vera cordis humilitas. Huic subjicienda videtur Epistola ad Eugippium sive Egippium Abbatem simul, & Presbyterum, nunnullis lucubrationibus clarum. Ab hoc acceptam benedictionem, hoc est, quemadmodum interpretor, munusculum, multa Fulgentius grati animi testificatione remuneratur; & multo charitatis ardore succensus, in commendanda charitate totus est. Ad Venantiam vero ignotam Fulgentio fœminam scribens, peccata post baptismum commissa pœnitentia deleri posse docet, variisque nos modis ad pœnitentiam a Deo vocari docet, in quibus corporis infirmitates non postremo loco esse addit, ut qui, abutendo sanitate, infirmitatem nobis peperimus, per infirmitatem sanitatis beneficia reparemus.

De voto continentiæ a conjugatis edito.

Epist. ad Eugippium.

Epist. ad Venantiam.

10. Epistolæ accensetur tractatus ad Donatum de fide, cui occasionem dedit propositum illi ab Arianis argumentum, quo Patrem majorem, Filium minorem dicebant. Eum itaque laudat probatque Fulgentius, quod etsi ei non esset respondendi facultas, veritatis tamen firma credulitas in corde ipsius permansisset. Mox fidem Catholicam de una in tribus Personis natura, deinde Incarnationis doctrinam, rejectis erroribus, luculenter exponit. De ceteris Fulgentii operibus extantibus, vel deperditis, auctor vitæ ejus adnotat. *Scripsit eodem tempore Carthaginensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuam: ubi pene cunctos dolos, & fallacia blandimenta, quibus infelices seducebantur animæ ad mortem, gravissima con-*

Liber de fide ad Donatum.

Fulgentii vita cap. 25. num. 53.

JESU CHR. AN. 523.

conquestione digessit: Tunc etiam de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoque prædestinationis, & gratiæ differentias cupientem nosse, salubriter disputans docuit. Jam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam commanentibus, & in Africa degentibus, & Romanis præcipue Senatoribus, viduisque, ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam Christi virginem, de jejunio & oratione duos libellos conscripsit, hi postremi desiderantur, sicuti & epistolæ duæ ad Stephaniam nobilem feminam suo, & Episcoporum, qui cum eo in Sardiniam relegati erant, nomine, de quibus vitæ auctor agit cap. 23. 24.

Fulgentius cum sociis Carthaginem redit.

11. De aliis Fulgentii operibus, quæ postea scripsit, vel quorum tempus ignoramus, redibit sermo. Nunc eum Carthaginem redeuntem, una cum exilii & passionum sociis comitemur, participes quodammodo futuri ejusdem triumphi, quem vitæ auctor sic describit. *Beatus itaque Fulgentius postquam sapienter expugnavit Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos, inde secundum quod per eum Spiritus Sanctus prædixerat, reversus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, unde solus exierat. Invenit lætos, quos reliquerat mæstos. Invenit nimia exultatione ferventes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Invenit habentes spiritalem patrem, quos reliquerat dolentes viduatam Ecclesiam matrem. Invenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio.* Pergit deinde narrare quanto cum honore a Carthaginensibus exceptus fuerit, ita ut cum apparuit, immensus factus est clamor: altercantibus omnibus, quis primo salutaret, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem, ac ad basilicam Sancti Agilæi martyris comitantes, cum immensa pluvia tunc excidisset, tantum fides nobilium crevit, ut planetis suis super Beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & novum tabernaculi genus artificiosa charitate componerent: *Imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Salvatori super pullum asinæ confidenti, & Hierosolymam venienti, vestimenta sua* (sicut Evangelium loquitur) *in via sternebant.* Tale quippe aliquid, & isti faciebant, qui propriis indumentis

tis Beati Fulgentii nudum caput unanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio Episcopo repræsentati, benedixerunt omnes, & laudaverunt communiter Deum. Tunc beatus Fulgentius per omnes vicos Carthaginensis Civitatis, ubicumque transibat, manibus & oculis demonstrabatur, laudibusque innumeris celebrabatur.

Fulgentius Ruspam redit in monasterio degit.

12. Carthagine paulo post egressus, ac Ruspam rediens, per omnes Ecclesias tamquam proprius Episcopus susceptus est; & sic de reditu ejus omnis Byzacena Provincia, velut plebs una gaudebat. In suam autem ecclesiam reversus, inter monachos habitavit, Felici Abati in omnibus, tamquam monachus fuisset, obediens.

De vigilantia Pastorali S. Fulgentii.

13. Quanta autem sollicitudine, & vigilantia ecclesiæ suæ præesset, pluribus vitæ auctor persequitur, inter cetera. *Summam quoque diligentiam præbuit, ne quis Clericus ambitiosis vestibus ornaretur, ac negotiis secularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutius vagaretur, jubens omnes non longe ab ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suaviter, aut pronunciandi curam maximam gerere. Per singulas septimanas omnes Clericos, ac viduas, & quicumque potuisset ex laicis, quarta, & sexta feria statuit jejunare: quotidianis vigiliis, jejuniis, matutinis, & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes: aliquanto inquietos verbis, aliquando verberibus coercebat, quos culpa manifesta flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, ut nullius interserens nomen, omnes cogeret metuere, & latentia quoque peccata salubriter timendo deserere &c.*

Insignis ejus humilitas.

14. Illustriora sunt, quæ de Fulgentii humilitate addit: *In Concilio quoque Vincensi*, (seu Tuncensi) *judicio Sacerdotum omnium qui convenerant, Episcopo cuidam nomine Quodvultdeo, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus & prælatus, ipso die & tempore tacuit, nec auctoritatem Concilii excusando minuere voluit. Sed ubi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem generari fratri scandalum, meliusque judicans per charitatem se fieri minorem, quam sine charitate majorem; Suphetani postea Concilii gloriosum respiciens adesse conventum, precem supplicem coram omnibus fudit, ut sibi rursum, se volente, Quodvultdeus Episcopus præferretur: ut nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viveret, Consacerdotis animo reconciliato. Mirati*

JESU CHR. AN. 523. *rati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam spiritus societatem in vinculo charitatis. Ubi sunt nunc illi, quibus eminendi super ceteros dominatur affectus, qui se etiam suis prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vindicantes? Ecce Beatus Fulgentius, nec Primatum quem meruit defendere voluit: quia sine charitate prior esse alicui minime concupivit.* Hæc de S. Fulgentio ibidem, quæ utinam præ oculis haberent, ac mente recolerent, quotquot in humili Christi Regno æterna jurgia agitant, quis eorum sit major, cum Dominus Jesus Christus, verbo, & exemplo docuerit, ut qui major est, fiat sicut ministrator.

De Concilio Tuncensi.

15. Tuncense Concilium, cujus in vita Fulgentii fit mentio, hoc anno habitum est, illudque perperam ad sequentem differt Labbeus, ut constat ex epistola Liberati Episcopi ad Bonifacium Carthaginensem, quæ accepta dicitur *idibus Decembris anno primo* (Regni scilicet Hilderici), eique respondet Bonifacius 17. *Kal. Januarias anno primo*. Insuper in ea scribit Bonifacius: *Intimamus Resurrectionis Dominicæ sacramentum VII. Iduum Aprilium, adfuturum fore*, quo die anno 524. sequenti Pascha fuit, ut ostendit Clarissimus Norisius, aliique. Epistolæ Liberati ad Bonifacium, & hujus ad Liberatum in concilio Carthaginensi anno 525. habito lectæ sunt. Tuncensis concilii canones periere præter unum, cujus mentio est apud Ferrandum in breviario cap. 26. in hunc modum: *Ut in plebe aliena nullus sibi audeat Episcopus vindicare*.

Labb. tom. 4. concil. pag. 1627.

Noris. hist. Pelag. cap. 21. Tom. 4. pag. 1644.

Alia Fulgentii scripta.

16. Reliqua Fulgentii gesta ad mortem usque nunc prosequimur, quæ breviter sic describuntur. Catholicæ ecclesiæ singularis magister, & doctor, licet inter varias occupationes hic in Africa plurimis vacaret, plurimos tamen Ecclesiasticos sermones, quos in populis diceret, scribendos dictavit: & ubicumque sermonem faciebat, omnium animos demulcebat: nec inanes, & vanos plausus, sed compunctionem quærebat cordis. Expectavit eum sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis apud Burnos Ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractantem: quoniam tantum delectatus est audire Verbum Domini de ore ejus, ut donec ille sermonem finiret, ipse terram lacrymis irrigaret, gratias agens Deo, cujus gratia semper in Ecclesia Catholica sum-

summos excitat præclarosque Doctores. Multos jam reversus de exilio tractatus edidit. Ex his decem libros, Fabiani mentientis falsa gesta convincens: de veritate prædestinationis, & gratiæ libellos tres confecit, aliaque multa digessit, quæ si quis scire voluerit, in ejus monasterio veraciter scripta reperiet.

De libris Fulgentii contra Fabianum.

17. Ex libris autem decem ad Fabianum egregia fragmenta adhuc supersunt, inter Fulgentii opera edita, quibus Fabianum, inter Arianos disertum, confutavit, qui cum Fulgentio congressus aliquando fuisset, ne se victum fateretur, multa de disputatione cum Fulgentio habita a veritate aliena vulgaverat. Hinc ne Catholicos falleret, refellendum Fulgentius censuit. Inter cetera autem Fabiani Ariani deliramenta, eam in eo thesim Fulgentius confutat, qua docuerat, Christum Jesum secundum humanam naturam assumptam Filium Dei fuisse, non quatenus Pater Deus est, sed Dei Filius, quatenus tota Trinitas Deus dicitur, eo quod humanam in Christo naturam tota Trinitas efformaverat; unde Christum Trinitatis Filium fuisse. ac quatuor quodammodo personas in Trinitate confitendas esse sequebatur, quod sane vix a sanæ mentis homine dicta fuisse miratur; quare in fragmento 32. libri noni ajebat: *Quis enim unquam tantæ reperiri possit insaniæ, qui auderet Jesum Christum totius Trinitatis Filium prædicare? Ecclesia quippe Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, unum sciens Patrem unius Filii, & unum sciens Spiritum Sanctum Patris, & Filii, numquam potest Jesum Christum Filium Trinitatis dicere &c.* quod etiam pluribus argumentis ex Symbolo Apostolorum petitis confirmat. Quod autem ab Ariano viro tunc dicta vix ab sanæ mentis homine prolata mirabatur Fulgentius, nostra ætate iterum tradita fuisse, nec solum tradita, sed etiam cum obstinatione apolegeticis scriptis confirmata, & Gallica primum lingua, deinde in Italicam translata fuisse, miratur merito Cardinalis Orsius, a Berrujerio scilicet societatis Jesu Presbytero, cujus opera cum primum a Benedicto Decimoquarto prohibita nominatim fuissent, tantum abfuit, ut ipse, aut ejusdem Apologistæ meliora saperent; quin cum alteram ejusdem historiæ vulgassent partem, iterata censura notari meruit a Clemente Decimotertio Benedicti successore, in quibus etiam scriptis, *scandali mensuram eum implevisse*, ait idem Clemens Decimustertius, cujus deliramenta cum plurimi jam con-

JesusChristus Trinitatis filius dici non potest. *Fulgent. opera pag. 286.*

Orsius hist. eccles. tomi 17. lib. 39. c. 29. Berujer. histoire du peuple de dieu to. 8 p. 41. seqq. & pag. 154. seqq.

JESU CHR. AN. 523.

confutaverint; inter ceteros eminet Svessionensis Episcopus Pastorali sua instructione pluribus voluminibus digesta. Ex Italis vero scriptoribus Cardinalis Orsius loco supracitato, ad quem lectorem remittimus, cum diu in Theologica, eaque subtili disputatione, immorari historiæ leges, & brevitatis propositum non patiatur.

Fulgentii liber adversus Fastidiosum.

Opera Fulgentii pag. 154.

18. Inter libros post reditum in Africam a Fulgentio scriptos recensetur liber ad Victorem missus, quo Fastidiosi cujusdam Ariani sermonem confutavit. Is cum adhuc catholicus, immo monachus esset, Presbyterali etiam dignitate auctus, carnis illecebris turpiter victus, monasticam professionem cum Fide catholica abjecerat, & ad Arianos transiens, in sermone quodam dixerat, ex catholicorum sententia fieri, ut si indivisa sit Trinitas, tota simul carnem suscepetat, cujus blasphemiam eo in libro disertissime Fulgentius confutat, ut ibidem videre est. Postremus Fulgentii labor is est, quo Regini Comitis rogatu duas explicat quæstiones: primam, quid de controversia nuper inter Alexandrinos Eutychianos exorta sentiendum esset, utrum Christi Corpus statim ab Incarnatione corruptionis expers extitisset, an tale demum post Resurrectionem factum fuisset: deinde quid militari viro servandum esset ad retinendam colendamque in eo vitæ genere pietatem. At necdum absoluta priori hujus operis parte ad cœleste Regnum vocatus est. Post ejus mortem (ita flagitante Reginone) Ferrandus Diaconus inchoatum opus absolvit, multis prius indignum se professus, qui Fulgentii successor haberetur. *Nunquid*, inquit, *sic repletus sum sapientia sicut ille? Nunquid eadem mihi facultas eloquii? Nunquid similis mihi data est auctoritas dignitatis? Aut vel ipsa saltem conversationis innocentia talis est mihi?*

De Fulgentii libro ad Reginonem.

De reliquis Fulgentii operibus incerti temporis.

De libro de fide ad Petrum

19. Fulgentii lucubrationes, ut potuimus, hactenus certis temporibus assignavimus. Sunt aliæ, in quibus idem præstare non licuit. Ex his primum occurrit egregius tractatus de Fide ad Petrum. Erat autem Petrus non Diaconus, ut perperam in titulo hactenus dictus est, non Monachus, ut a Blondello primum, post incaute a Norisio creditus est, sed vir militaris, qui Hierosolymam profecturus, ne quid sibi hæreticæ pravitatis subreperet, metuens, fidei regulam a Fulgentio flagitarat. Huic ergo morem gerens Fulgentius, sed temporis arctatus angustiis, post uberiorem de Tri-

Trinitate, de Incarnatione, de Angelorum, & hominum creatione, lapsuque, ac de variis aliis capitibus disputationem, ad extremum fidei dogmata quadraginta articulis complectitur, quibus quisquis obloqui ausus fuerit, eum pro hæretico habendum esse denuntiat. Hæc illa est, opinor, fidei regula, quam sibi a Fulgentio mitti Ferrandus postulaverat, & quam eodem nomine designat Isidorus. Diu tamen ille tractatus Augustini operibus admixtus est; at postmodum variis argumentis, ac præsertim styli colore, Fulgentio eruditorum consensu restitutus est, immo sub ejus nomine dudum a Bertramo laudatus est. In Sardinia scriptum putat Norisius, propter eam, quam in operis calce habet persecutionum mentionem; sed non satis firma conjectura. Potuit enim, & præteritarum meminisse, & futuras animo præsagire. Incerti temporis tractatibus accenseri debent, tum libellus de Trinitate ad Felicem Notarium, cum de Incarnatione Filii Dei ad Scarilam. Priori occasionem dedit Felicis postulatio, qui hæreticorum convictui, ac sermonibus expositus, nec satis ad illos refellendos instructus, a Fulgentio doceri voluit, quo pacto illis resisti possit. Cui obsecutus Fulgentius, non modo Catholicam de Trinitate Fidem adversus Arianorum argumenta egregie defendit, sed de aliis quoque fidei capitibus præclare disseruit. In hoc opere cujusdam Patris loca tacito nomine laudata reperies, quorum pleraque Augustini sunt. Alterius operis argumentum narrat ipse Fulgentius ipsiusmet Scarilæ verbis. Dum ad mensam sederent Christiani Catholicæ Ecclesiæ filii, Eventius de Dei Incarnatione differens, ait quoniam non Deus Pater carnem induit, sed solum Dei Filius. Et alius dixit, Ipse Deus, qui unus est in tribus, dignatus est carnem assumere, ut nostram servitutem, qua per transgressionem Patris nostri Adæ obligati detinebamur, ad libertatem perduceret; Hujus concertationis arbitrum placuit eligi Fulgentium. Addita est alia de vilium & noxiorum animalium, qualia sunt muscæ, & scorpiones, procreatione quæstio, quam convivarum nonnulli Deo abjudicabant, alii asserebant.

Jesu Chr. an. 523.

De libris ad Felicem, & ad Scarilam.

20. De utroque ergo capite præclare Fulgentius disputat in eo tractatu, cui titulus est De Incarnatione, & vilium animalium auctore ad Scarilam. Duæ supersunt ad Ferrandum Diaconum Epistolæ seu libri, quorum primo Fulgentius respondet propositis a Ferrando quæstionibus de servi Ethio-

Fulgentii ep. ad Ferrandum

JESU CHR. AN. 523. Ethiopis baptiſmo. Is omnibus Catechumenorum officiis egregie functus, mox læthali morbo correptus, in extremo pene halitu ad baptiſmi locum delatus eſt, ibique ſine voce, ſine motu, miniſtris quaſi pro infante reſpondentibus, mente abſentiſſimus, baptiſmum acceperat, ſtatimque ſine Euchariſtiæ participatione exceſſerat e vivis. Hinc duplex Ferrando ſcrupulus obortus eſt. Primum an adulto ſufficere ad ſalutem poſſet aliena confeſſio; deinde an, qui accepto Sacramento baptiſmi, mortis velocitate præpediti, carnem Domini manducare non potuerunt, ſalutis compotes eſſe poſſent: cum nota fidelibus eſſent verba Salvatoris, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Doceri ergo ſtudebat Ferrandus ſuper iſto capite, utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, ſi quis baptizatus in nomine Trinitatis, ſacro cibo potuque fraudetur. Duplicem hanc quæſtionem ſeparatim Fulgentius expendit: ac priori quidem reſpondet, ſincerum baptiſmi deſiderium prius habitum ſufficere, dummodo adhuc vivo, tametſi nihil ſentienti, baptiſmus conferatur: alteri vero, nemini baptizatorum fraudi eſſe, quod morte præventus, Euchariſtiæ particeps eſſe nequiverit; cum per ipſum baptiſmum, ſi minus ſacramento, ſaltem re Sacramenti donatus ſit; eam enim vim eſſe baptiſmi, ut corpori eccleſiæ, cujus caput eſt Chriſtus, inſerat, ac verum ejus membrum efficiat: quæ incorporatio ipſo Euchariſtiæ Sacramento ſignificatur. Altero ad Ferrandum ſcripto propoſitis ab ipſo quatuor de Trinitate quæſtionibus reſpondet, & uni de duobus Calicibus in cœna datis, quod propterea de quinque Quæſtionibus inſcribitur. Hæc de Fulgentii ſcriptis, quæ librorum, aut epiſtolarum nomine cenſentur: his addendi eſſent ſermones plurimi ab eo dicti, vel ſcripti, plurimi etiam, qui ejus nomine circumferuntur, in appendicem conjecti ſunt, utpote vel dubii, vel Auguſtini, Chryſologi, vel ignoti auctoris. In eamdem appendicem merito amandatus eſt liber de prædeſtinatione, & gratia; nam etſi ex auctore vitæ capite 8. ſciamus, Fulgentium de eadem teſtimonia collegiſſe, & expoſuiſſe, quibus utriuſque differentiæ explicabantur, conſtat tamen hunc librum, qui inter opera Auguſtini tom. 7. legebatur, nunc etiam inter Fulgentii opera, ejuſdem doctoris fœtum non eſſe, etſi omnem moverint lapidem Theophylus

An liber de Prædeſtinatione, & gratia Fulgentii ſit.

Jesu Chr. an. 523.

lus Raynaudus in cenſura officioſæ cenſuræ, & Sirmondus, ut Fulgentio eum adſcriberet. Hic enim tractatus, teſtibus doctiſſimis viris, non ſolum Fulgentii non eſt, ſed etiam ſuſpectæ fidei hominis, & Caſſiani magis, quam Auguſtini diſcipuli dignus, ſibique in eodem libro, dum de prædeſtinatione & gratia agit, contrarius eſt, quod de Fulgentio ne excogitari quidem poteſt, qui Auguſtini doctrinæ ubique conſtantiſſime adhoeſit.

Bellarm. Poſſevin. de ſcript. eccleſ. Lovanienſes edit. & S. Fulgentii.

Hormiſdæ Papæ obitus.

21. Sed de Fulgentii operibus ſatis, quando vero ipſum contigerit ad ſuperna vocari, ſuo loco dicemus. Nunc ad propoſitum redeo, ad Epiſcoporum ſcilicet in Africam reditum (cujus occaſione ad Fulgentii opera digreſſi hactenus ſumus) vivente Hormiſda id contigiſſe, narrat Anaſtaſius. *Hujus temporibus Epiſcopatus in Africa poſt annos ſeptuaginta quatuor revocatus eſt, qui ab hæreticis fuerat exterminatus.* Sed loco annorum 74. legendum 27., quibus Traſamundus in Africa regnavit, vel 84. a tempore, quo Genſericus Carthaginem occupavit. Hormiſdas interea Pontifex, poſtquam Orientalibus eccleſiis pacem reddidiſſet, ac Africanas ob Epiſcoporum reditum reſpirare, ac refloreſcere intellexiſſet, ad æterna prœmia hoc eodem anno vocatus eſt, cum Rom. ſedem tenuiſſet annos novem, & aliquot dies, de cujus obitu, & ſepultura hæc adnotat Anaſtaſius: *Qui ſepultus eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtoli idus Auguſti, conſulatu Maximi, & ceſſavit Epiſcopatus dies ſeptem.*

Munera Beato Petro oblata.

22. Dum viveret Hormiſdas, vaſa aurea, & argentea, aliaque munera, tum a Juſtino Imperatore, cum ab Epiphanio, & ab ipſo Theodorico Italiæ Rege Ariano, miſſa ſunt Beato Petro Apoſtolo, ut habet Anaſtaſius, idemque Pontifex incredibili munificentia, eccleſias plurimas ædificavit, refecit, ornavit, quæ ibidem legi poſſunt. Tanto Pontifice digniora ſunt ea, quæ contra Manichæos geſſit, eodem Anaſtaſio teſte: *Hic invenit Manichæos, quos etiam diſcuſſos cum examinatione plagarum, exilio deportavit. Quorum Codices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ concremavit.* Sæpe vigilantibus paſtoribus, Manichæi Romæ ſunt exagitati, & tamquam feræ beſtiæ e latibulis eductæ, ac e Dominico grege, tanquam lupi, in fugam verſi; ſed peſtifera progenies rurſus ſucreſcebat, unde ad ceteras Hormiſdæ laudes hæc addenda, quod eos iterum flagellis ſubditos fugaverit. Habes etiam

cx

JESU CHR. AN. 523.

Judices ecclesiastici reos flagellis subjiciunt.

August. epist. 130.

ex his ecclesiastici judicii praxim, qua ad eruendam veritatem, aut ad criminum vindictam, rei virgis cœdebantur, quod aliis quamplurimis exemplis constat. Augustinus ad Marcellinum scribens, de virgarum coercitione hæc adnotat: *Sed virgarum verberibus eruisti; qui modus coercitionis a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam solet in judiciis ab Episcopis adhiberi*, & in psalmo 122. refert Boeticum quemdam ob hæresim ab Episcopis ad flagella damnatum. *Nam quis dubitet nuperrime, sicut audivimus a fratribus, qui interfuerunt Coepiscopis nostris, illum Boeticum inimicum contra Dominum latrantem, digne flagellatum fuisse*. Alia plurima exempla occurrunt in ecclesiastica historia, quinimmo in monachos etiam virgarum animadversionem adhibuisse Abbates certum est; fustibus tamen cœdere non licebat.

Justini constitutio contra manichæos & hæreticos.

23. Justinus quoque Imperator anno sexto Imperii sui, idest hoc anno, lege lata Manichæos extremo supplicio plectendos esse, cæterosque hæreticos coerceri jussit. *Manichæi undique expelluntur, & capite puniuntur. Reliqui autem hæretici (hæreticus est omnis non Orthodoxus) & Græci; nempe Gentiles, seu Pagani, & Judæi, & Samaritæ probibentur magistratum gerere, & dignitatem habere, aut jus dicere, aut Defensores, aut Patres civitatum fieri (ne habeant licentiam vexare, aut judicare christianos, aut Episcopos) item militare quoque prohibentur, præter quam si ex genere cohortalinorum sunt: hi enim manent onera quidem sustinentes, non offendentes autem, neque in orthodoxos quid exequentes in publicis, vel privatis causis. Qui autem tentaverit, quid horum facere; præter quam quod factum pro infecto erit, dabit etiam libras viginti: & qui publicis ipsos descriptionibus inserere conati fuerint, etiam viginti, & Præsides quinquaginta; & omnes hæ privatis rebus inferantur. Excipiuntur Gothi, qui sunt fœderati, & aliter pro ut visum Imperatori fuerit, honorantur*. Hæc Justinus. Gothos Imperii socios ibidem exceptos, Theodorici subditos, credidit Baronius, sed cum ii Imperatoris legibus non tenerentur, de aliis Gothis Imperio fœderatos intelligi debet.

Manichæi in Perside occiduntur.

24. In Perside quoque fatalis hic annus Manichæis fuit, nam gladio ibidem omnes perempti sunt, ut narrat Cedrenus. *Persecutus est idem Justinus hoc anno Manichæos, multosque*

tosque eorum supplicio affecit. Quod & Cabades Rex Persarum præstitit in suo regno, qui omnes, quos reperit intra suos fines, trucidavit. Quanam autem ex causa ad hæc agenda permotus Cabades fuerit, narrat auctor Miscellæ: *Cabades Rex Persarum filius Perozi multa millia Manichæorum cum Episcopo eorum Indagaro una die peremit, una cum senioribus Persis, qui consensus eorum erant: filium enim ejus nomine Phatuarsam Manichæi a puero instituentes, repromittentes dicebant: Quia Pater tuus senuit, & si contigerit eum mori, Principes magorum unum fratrum suorum facient Imperatorem, eoquod teneant dogma ipsorum. Nos autem possumus per orationes nostras persuadere patri tuo abrenunciare Imperio, & te promovere, ut ubicumque confirmes dogmata Manichæorum. Qui promisit hoc facere, si imperasset.* Quod ut cognovit Cabades, Manichæos in unum congregari jussit, & misso exercitu contra eos, interfecit, quorum numerum ingentem fuisse, inde existimare licet, quod in Perside frequentiores esse solerent Manichæi, ubi tutius degere consueverunt, quam in aliis Romani Imperii regionibus; cum præsertim quasi nativum ipsorum solum Persidem fuisse scirent, ubi primum fuerant exorti: ob quam causam inter Manichæos, & Persas plurima fuisse communia, Agathias de Persarum moribus agens ostendit, nempe idem esse utrique sectæ dogma de duobus principiis, ex quibus alia ab ipsis nefanda deducebantur dogmata.

JESU CHR. AN. 523.

25. Joannem Hormisdæ successisse diximus, de quo Anastasius narrat: *Hic fuit natione Tuscus ex Patre Constantio, sedit annos duos, menses octo, dies 22. a consulatu Maximi usque ad consulatum Olybrii.* Hunc Catelinum dictum asserit Dupinius sæculo 6. pag. 97. ex Evagrio. Sed de alio Joánne, eoque Vigilii successore agit Evagrius lib. 4. cap. 39. ut legenti patebit, cujus gesta suis annis opportune reddemus infra.

Joannes succedit Hormisdæ. *Anast. p.* 244.

26. Nunc ad Homeritas redimus, quos superiori anno ab impiissimo Duan Rege Hebræo attritos, occisosque vidimus, præcipue in urbe Negran, quorum sanguinem, immisso Eleesban Rege Æthiopum Axumitarum, ultus est Deus. Cum autem Duan ad Persarum Regem, & Alamandurum Seracenorum Ducem legationem misisset, ut eosdem quoque ad christianos persequendos incitaret, Justinus Imperator per

ExpeditioRegis Æthiopum in Homeritas

JESU CHR. AN. 523. Abraamium virum pium, ac Presbyterum, Alamandurum fœdere cum Romanis sociavit, ac Eleesban Regem ad christianorum vindictam incitavit. *Qui cum validum collegisset exercitum, tum ex suis, tum ex auxiliis usque ad centum & viginti millia, naves autem Indicas septuaginta in ipsa hyeme construxisset; quin etiam ex negotiatoribus Persis, & Æthiopibus, qui illuc venerant mercaturæ gratia, naves alias collegisset ad sexaginta: cumque eas, quæ ex ipsis collapsæ fuerant, instaurasset, ac refecisset, & omnia parasset: veris initio movet exercitum, armisque, & equis, & alio apparatu properabat, ut prælio confligeret cum inimicis. Et per continentem quidem ab inferiori parte Æthiopiæ misit quindecim millia Æthiopum ad Homeritidis partes magis Occidentales, ut ipse quidem per mare cum navibus, illi autem per terram irruentes, hostes in medium coercerent. Cæterum illi quidem, cum multos dies iter fecissent per loca arida, & transitu difficilia, omnes interierunt, ut qui nec pervenire ad Homeritam, nec ad regionem suam potuerint redire.* Rex autem cum jam esset navigaturus, Templum ingressus, Deum precatus est, ut felicem armis suis exitum daret; & ad solitarium quemdam sanctitate celebrem digressus, victorem in ea expeditione futurum, certior est factus.

Dunaan ad resistendum se parat.

27. Dunaan autem Homeritarum Rex Hebræus, cum ab Elesbano Ethiopum Rege expeditionem adversum se parari cognovisset, mari, & terra maximum instruxit exercitum, & ut accepit terrestres Eleesbani copias in itinere fame, & siti periisse, Fretum, quod Homeritas ab Æthiopibus distinguit, ingenti catena ferrea, aliisque machinis clausit. Qui loci situm considerat, & freti angustias a Cosmographis descriptas attendit, haud vanum fuisse consilium Regis Homeritarum intelliget. At in irritum fraudes omnes, & artes cesserunt, ut pluribus narrat auctor actorum S. Arethæ, nam post varios belli casus, quos exponere longum esset, Æthiopes cum descendissent e navibus, & manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, & regium ingressi tabernaculum, Dunaan Regem Hebræum tenuerunt, ac aurea catena vinctum, cum iis, qui genere ad ipsum pertinebant, victores ad Regem ipsorum Elesbanum duxerunt, & de ingenti victoria relata certiorem eum reddiderunt. Is vero, idest Elesban, cum intellexisset omnia, quæ gesta

fta fuerant, præfidio relicto in urbe Regia, maxima qua potuit celeritate in fuorum caftra properavit, ubi Dunaan aurea illa vinctus catena tenebatur, quem ftatim cum cognatis interfecit, Deum laudans, & infultans Chrifti hoftibus, pœnam dantibus fuorum facinorum, quæ admiferant in Chriftum, & in Chrifti Crucem

Jesu Chr. An. 523. Dunaan una cum fuis occiditur.

28. *Reverfus ergo Elesban ad civitatem Phare, omnes interemit, qui erant in regia, & cum vellet Ecclefiam in ea ædificare, fuit ipfe primus opifex ædificii. Significavit autem omnia, quæ gefta fuerant, Pontifici Alexandriæ, & per illum Juftino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriæ ordinatum Epifcopum mifit ad Homeritas. Qui cum illis confecraffet Templum, quod fuerat ædificatum, baptizat quidem omnes, qui erant in civitatibus, & pagis Homeritarum, in nomine Sanctæ Trinitatis. Ex eis autem ordinat Diaconos, & Presbyteros: & Ecclefiis, quæ erant in regione, reddit ftatum fuum folitum.* Epifcopus, qui ab Alexandrino Epifcopo, five hæretico, five catholico ad Homeritas miffus eft, S. Gergentius creditur, cujus memoria in antiquiffimis MSS. Codicibus Menologii Græcorum menfe Octobri extat, tefte Lambecio, ubi eadem narrantur, quæ fupra funt dicta, de reftaurata in urbe Negran chriftiana religione, & p. 131. refert idem Lambecius, extare manufcriptum Græcum, cujus infcriptio in latinum fic eft. *Sancti Gergentii Archiepifcopi Tapharenfis, legislatio fub nomine Abramii Regis Homeritarum, five Abrami Regis Homeritarum leges, a S. Gergentio Archiepifcopo Tapharenfi compofitæ*, quarum legum mentio etiam fit in difputatione S. Gergentii cum Herbano Hebræo, quæ MSS. etiam extat in eadem bibliotheca Cæfarea; at hæc S. viro fuppofita fuiffe, una cum clariffimis viris facile credimus, quapropter quæ narrantur ibidem de Homeritarum Rege, ut de S. Gergentio incerta funt, ideoque ab his enarrandis abftinemus, ut ad Eleesbanum Regem redeamus, cujus egregia gefta fic profequitur auctor actorum S. Arethæ.

Quæ poft victoriam Elesban fecerit.

Lambecius biblioth. Cæfarea lib. 5. pag. 133.

Biblioth. PP. Græco Latinum, Tom. 1. pag. 194.

29. Eleesban itaque Rex ftatim ac Nagran martyrum civitatem ingreffus eft, cum illic extruxiffet Ecclefiam, & quinque poffeffiones regias ei attribuiffet, & deinde etiam ex martyris Arethæ poffeffionibus tres addidiffet, ut ille mandaverat in fine maryrii, & collegiffet omnes, qui fuerant redacti in fervitutem, aut in tem-

Componit res Homeritar. Rex. Æthiopiæ.

 pore

Jesu Chr. An. 523. pore persecutionis dispersi, & Arethæ martyris filium Ducem Gentis illius constituisset, & curam gessisset loci, in quo jacebant sanctorum martyrum reliquiæ, & jus asylli illic constituisset, rediit iterum in regiam, ubi cum Homeritis Abramium quemdam, virum pium elegisset regem, & sanctissimo episcopo ad decem millia christianorum Æthiopum tradidisset, lætus in suam regiam cum divitiis multis & spoliis innumerabilibus reversus est.

Elesban tranquilliorem vitam sectatur. 30. *Deo autem agens gratias pro tanta victoria, & gratia, volensque se ipsum dignum reddere majoribus, cum Diadema quidem regium misisset Hierosolymam, ipse indutus cilicio, & noctu egressus e Regia, & ipsa civitate, ascendit in unum montem ad monasterium virorum, qui exercebantur. Et cum se in exigua clausisset domuncula, & vovisset illinc non egredi toto tempore vitæ, regulam suscepit monasticam, ex iis, quæ sunt mundi, nihil possidens præter solam stoream, & poculum ad aquam bibendam, & pauco pane, & aqua vivens, & oleribus viridibus, si quis afferret, cum nullum ex mundanis vidisset tota vita, non ad aliud aliquid mentem habens erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cum diu sic se divine exercuisset, sic etiam e vita excedit &c.* Hactenus de Æthiopum Rege, ejusque religione admirabile exemplum. Qui autem in Æthiopia post Elistheum regnavit, nepos, vel pronepos, non tantum Regni, sed pietatis etiam hæres extitit, eodemque ductus pietatis, ac christianæ Religionis tuendæ zelo, in Homeritas iterum exercitum duxit, cum iterum christianos Judæi vexarent.

Helistheus christianus Æthiopiæ Rex judæos Homeritas bello petit. 31. *Tempore hujus cum Persis belli*, ait Procopius, *Helistheus Æthiopiæ Rex, christianæ religionis cultor eximius, cum audiisset Homeritarum, qui in adversa continente degunt, non paucos genere Judæos, multos etiam priscæ superstitioni, quam hodie Græcanicam vocant, addictos, illius oræ Christianis tributa supra modum imponere, classe, copiisque collectis, eo bellum portavit, commissoque prælio victor magnum Homeritarum numerum, ipsumque adeo Regem vita spoliavit. In ejus locum subrogato Esimiphæo, Christiano & Homerita, sub ea tamen conditione, ut tributum annuum Æthiopibus penderet, domum rediit. Abeuntem sequi noluerunt multi e servitiis Exercitus, & quicumque erant ad facinus, prædamque nacti,*

Esimiphæus Rex Homeritarum.

ti, quos cepit ac tenuit singularis felicitas regionis Homeritarum.

JESU CHR. AN. 523.

Abramus e servo Rex Homeritarum.

32. *Haud multo post, turba hæc, & colluvies, aliique nonnulli conflata in Esimiphæum seditione, eum in castellum incluserunt, regnumque Homeritarum detulerunt Abramo, Christiano illi quidem, at servo Romani cujusdam institoris, qui apud Æthiopes in urbe Adulide comercii maritimi gratia morabatur. Quod ubi Hellesthæus accepit, illatæ Esimiphæo injuriæ pœnas ex Abramo, ac participibus rebellionis sumere cupidissime festinans, tria pugnatorum millia adversum illos expediit, Duce e regia propinquitate lecto. At hi quoque Patriæ renuntiantes, ut in regione perbona habitarent, clam cum Abramo egerunt, insciente Duce, quem & postea, ubi in aciem contra hostes educti iniere pugnam, necarunt, mox facta transitione, ibi manserunt. His graviter exulceratus Hellesthæus, confestim eodem destinavit exercitum alterum: qui demum cum Abramo congressus magnam accepit cladem, & fœde mutilatus in patriam ocius renavigavit. Metu deinceps cautior Æthiopiæ Rex, Abramo bellum inferre desiit. Defuncto Hellesthæo, tributum pactus est Abramus ejus successori, itaque asseruit sibi Regnum. Sed hæc recentiora sunt. Quo autem tempore Hellesthæus regnabat in Æthiopia, parebantque Homeritæ Esimiphæo, Julianum ad eos legavit Justinianus Aug. per ipsum ab utroqre petens, ut pro religionis communione, quam cum Romanis devincti essent, illos cum Persis gerentes bellum juvarent.* Hæc Procopius, narrans ea, quæ, dum viveret, contigerunt, quibus S. Arethæ acta aliquatenus confirmantur, saltem quoad præcipua capita. Nam etsi dicamus, ea ex Procopii narratione esse conficta, ac eumdem esse Elistheum Regem, de quo in actis, ac eum, de quo loquitur Procopius (quod fortasse a vero alienum non erit) ex his constabit, Æthiopiæ Regem adversus Elistheum, Homeritarum Regem bellum gessisse, ac prælio victum occidisse, in ejusque locum Regem christiana fide præstantem subrogasse, eaque in expeditione, quæ in actis S. Arethæ martyris narrantur, a Procopio prætermissa fuisse constat.

S. Benedictus monasteria duodecim ædificat.

33. Nunc Sanctum Benedictum in Sublacensi solitudine adeamus, oui per hæc tempora duodecim monasteria iis in locis ædificasse dicitur, cum etenim in solitudine hactenus

JESU CHR. AN. 524. nus vixisset, assiduæ orationi, ac sacræ scripturæ meditationi intentus, Dei charitate flagrans, non potuit hæc flamma, tanquam lucerna ardens diu sub modio contineri. Hinc factum, ut cum ejusdem sanctitatis fama ubique celebraretur, plurimi, qui Dei inserviendi desiderio tenebantur, eum convenerunt, ut eo duce, & magistro, ad salutis portum securi pervenirent. Inter eos singulari memoria digni sunt Maurus, & Placidus, qui ab eorum parentibus Eutychio, & Tertullo, S. Benedicto oblati sunt: *Cum Sanctus vir*, inquit Gregorius Pontifex, *diu in eadem solitudine virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad Omnipotentis Dei sunt servitium congregati: ita ut illic duodecim monasteria cum Omnipotentis Jesu Christi Domini nostri opitulatione construeret, in quibus statutis Patribus, duodenos Monachos deputavit, paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius erudiri judicavit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ Urbis nobiles, & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tuncque bonæ spei suas soboles Eutychius Maurum, Tertullus vero Patricius Placidum tradidit: e quibus Maurus junior cum bonis polleret moribus, magistri adjutor cœpit existere: Placidus vero puerilis adhuc indolis gerebat annos*. Hæc de oblatis a Parentibus Romanis pueris sanctus Gregorius. Quando vero contigerit inde migrare Cassinum, suo loco dicetur.

Maurus, & Placidus sub Benedicti disciplina traduntur.

JESU CHRISTI AN. 524. JOANNIS PAPÆ 2.
JUSTINI IMP. 7.
THEODORICI ITALIÆ REG. 32.

Theodoricus in Tyrannum immutatur.

1. Hoc Christi anno Justini Augusti 2., & Opilionis Consulatu notato, magna rerum mutatio facta est in Italia, & volubilitatis humanæ, ac incostantiæ funestum exemplum Theodoricus Italiæ Rex orbi universo exibuit, dum ex optimo Principe, qualem hactenus fuisse ejus gesta testantur, repente in Tyrannum conversus, & sui quodammodo oblitus, catholicæ ecclesiæ, & catholicorum hostis, & persecutor evasit. Hujus insperatæ mutationis causam communiter in eo collocant, quod æquo animo ferre non potuit, leges a Justino contra hæreticos, ac præcipue Arianos vulgatas, quas superiori anno recensuimus; cum enim ipse Catholicos hactenus singulari exce-

excepisset benevolentia, innumeris locupletasset beneficiis, ac honoribus nobilitasset; Arianos suæ communionis socios ab Imperatore divexari pati non potuit. Hinc factum, ut in Catholicos irasceretur. Furoris sui indicia Theodoricus primum exhibuit, dum jussit, ut auctor est Anonymus ad Marcellini historiam a Valesio editus, Judæorum synagogas, quas Catholici incenderant, horum propriis reædificari sumptibus, deinde: *Ex eo enim invenit Diabolus locum, quemadmodum hominem bene Rempublicam sine querela gubernantem subreperet. Nam mox jussit ad Fonticulos in Proastio civitatis Veronensis Oratorium S. Stephani, idem* (ibidem) *situm subverti. Item ut nullus Romanus arma, usque ad cultellum, uteretur vetuit.* Tam severa prohibitione, ne Romani quælibet arma deferrent, indicium est Theodoricum tunc temporis de Romanorum fide dubitasse, ne quid in sui Regni præjudicium molirentur, qua semel præjudicata opinione admissa, innocentes viros perduellionis crimine accusatos interfecit, Albinum scilicet, Boetium, Symmachum, viros de Republica benemeritos, ac inter Senatores Romanos facile Principes, ut idem Anonymus auctor narrat. *Post hæc cœpit adversus Romanos Rex subinde fremere. Inventa occasione Cyprianus, qui huic referendarius erat* (ad Cyprianum extat Theodorici epistola, qua eum sacrarum largitionum comitem creat, pluribusque laudibus exornat) *postea Comes Sacrarum, & magister officiorum erat, in conspectu Regis dixit: Falsa est insinuatio Cypriani: sed si Albinus fecit, & ego, & cunctus Senatus uno consilio fecimus: falsum est, Domine Rex. Tunc Cyprianus hæsitans, non solum adversus Albinum, sed & adversus Boetium ejus defensorem, deducit falsos testes adversus Albinum. Sed Rex dolum Romanis tendebat, & quærebat quemadmodum eos interficeret: plus credidit falsis testibus, quam Senatoribus. Tunc Albinus, & Boetius ducti in custodia ad Baptisterium Ecclesiæ. Rex vero vocavit Eusebium Præfectum Urbis Ticini, inaudito Boetio, protulit in eum sententiam. Qui mox in Agro Calventiano, ubi in custodia habebatur, misit Rex, & fecit occidi: qui accepta chorda in fronte diutissime tortus, ita ut oculi ejus crepparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur.*

Anonym. Vales. pag. 670.

Cypriani adversus Albinum, & Boetium calumnia.

2. Uno, aut altero ab hinc anno Boetium perduellionis accusatum, ac sub custodia detentum facile credimus ex iis, quæ

Boetius falso crimine accusatus interficitur.

JESU CHR. AN. 524. quæ scripsit, dum in vinculis teneretur, de quibus infra; sed ipsum hoc anno occubuisse Marius Aventicensis testatur, dum ait: *Justino II., & Opilione Coss. interfectus est Boetius Patricius in territorio Mediolanensi* (melius dixisset Ticinensi). Mario consentiunt auctor chronici S. Medardi, & alter auctor chronici brevis Rhemensis. Sed ne tanti viri, quem generis claritas, Patriciatus dignitas, & Consularis honor decorarunt, fama periclitetur, cum audis perduellionis crimine accusatum interiisse, aliqua de ejus innocentia, ac postremis gestis addimus, quæ velut sepulcrali epitaphio, ejus memoriam posteris commendabunt. Et primo quoad crimen a Cypriano objectum, ex Anonymo patet, falsis testibus comprobatum fuisse, quinimmo pro justitia decertantem, ad eam sortem deductum fuisse. Audiatur ipse Boetius in vinculis detentus, cum philosophia colloquens, ac animi sui sensus exponens, postquam igitur de adversa fortuna pluribus lamentatus est, sic prosequitur: *Tu mihi, & te sapientum mentibus inseruit Deus, estis conscii nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium detulisse. Inde cum improbis graves inexorabilesque discordiæ fuere, & (quod conscientiæ libertas habet) pro tuendo jure, spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecillis cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi? Quoties Triguillam Regiæ Præpositum domus, ab incepta & perpetrata jam prorsus injuria dejeci? Quoties miseros, quos infinitis calumniis impunita barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi? Nunquam me a jure ad injuriam quisquam detraxit. Provincialium fortunas, tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessumdari, non aliter quam qui patiebantur, indolui. Cum acerbæ famis tempore gravis, atque inexplicabilis indicta coemptio, profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversus Præfectum Prætorii communis commodi ratione suscepi; Rege cognoscente, contendi, & ne coemptio exigeretur, evici.*

Quales accusatores Boetii

3. *Paulinum Consularem virum, cujus opes Palatini canes, jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus retraxi. Ne Albinum Consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satis ne in me magnas videor exacerbasse discordias? Sed esse apud ceteros tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil apud*

apud aulicos, quo magis essem tutior reservavi. Quibus autem deferentibus perculsi sumus? Quorum Basilius olim regio ministerio depulsus, in delationem nostri nominis, alieni æris necessitate compulsus est. Opilionem vero, atque Gaudentium cum ob innumeras, atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decrevisset: cumque illi parere nolentes, sacrarum se se ædium defensione tuerentur, compertumque id Regi fore edixit, ut nisi intra præscriptum diem a Ravenna urbe discederent, nota insigniti frontibus impellerentur. Quid huic severitati posse astrui videtur? Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? Nostræne artes ita meruerunt? At illos accusatores justos fecit præmissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis &c. Quo autem crimine accusatus perierit, etiam narrat. Dicimur, nos salvum esse voluisse Senatum, atque delatorum ne documenta deferrent, quibus Senatum læsæ Majestatis reum facerent, impediisse criminamur, quod sane delictum jure meritoque se pro justitia certans admisisse fatetur; ut ibidem videre est.

4. Habes igitur ex his, quinam ejus accusatores fuerint, quidve crimen objectum, qua æquitate damnatus fuerit. Dum autem hæc Boetius in carcere scriberet, Symmachus ejus gener, nobilitate, probitate, ac christiana pietate Boetio simillimus, qui anno sequenti eamdem sortem cum Boetio subiit, in vitæ periculum nondum venerat, nam de eo inferius subdit: *Viget incolumis illud pretiosissimum humani generis decus Symmachus socer; & quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia, & virtutibus factus suarum securus, tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, & ut omnes ejus dotes breviter concludam, patri similis: Vivit, inquam, tibique tantum vitæ hujus exosa spiritum servat: quo uno felicitatem minui tuam, vel ipsam concesserim, tui desiderio lacrymis atque dolore tabescit. Quid dicam liberos Consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii &c.*

De Symmacho Boetii socero ejusque uxore.

5. De consulatu filiorum Boetii anno 522. egimus. Cum autem, non tam philosophicis, sed Theologicis etiam disciplinis Boetius excelleret, præter quinque libros de consola-

De aliis Boetii libris.

 tione

Jesu Chr. An. 524.

tione philosophiæ, prosa, & versibus in carcere editos, librum de Trinitate in eodem carcere composuit, quem Symmacho dicavit, ante hæc tempora tractatum etiam de duabus in Christo naturis contra Eutychem ediderat, & in epistola ad Joannem Romanæ Ecclesiæ Diaconum de Trinitatis mysterio iterum agit, disputans num substantialiter de Patre, Filio, & Spiritu Sancto divinitas prædicari possit, ita ut recte dicatur Pater est Divinitas, Filius &c. Sed in his difficillimis quæstionibus pertractandis, Aristotelis philosophia plus fortasse æquo usus est, quem postea Scholastici, non sine bonarum artium detrimento sunt imitati, nam in his Aristotelicis quæstionibus tota mente intenti, sacræ scripturæ, SS. Patrum, ac sacrorum Canonum studium, quibus fontibus Theologicæ quæstiones, ac morales solvendæ sunt, neglectui habuerunt. Casus sui historiam singulari libro complexus fuerat Boetius, cujus in libro de consolatione prosa 4. meminit, qui si extaret tota hujus tragœdiæ series manifesta foret, sed historiæ damno periit. Unde hactenus dicta sufficiunt. In veterrimo Codice Laurentianæ bibliothecæ, de Boetio ejusque interitu hæc leguntur. Quintus Fabius Consul fecit hunc Prologum: vel Boetius ipse, vel quidam Scottigena, idest Discipulus Boetii. Tempore Teotrici, insignis auctor Boetius claruit, qui virtute sua Consul in Urbe fuit. Cum vero Teotricus Rex Tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quosque in Senatu neci daret: Boetius ejus dolos effugere gestiens, quippequi bonis omnibus necem parabat; videlicet clam litteris ad Græcos missis, nitebatur Urbem, & Senatum ex ejus impiis manibus eruere, & eorum subdere defensioni. Sed postquam a Rege reus Majestatis convictus est, jussus est retrudi in carcerem; in quo repositus hos libros per satyram edidit; imitatus videlicet Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de nuptiis Philologiæ, & Mercurii eadem specie poematis conscripserat. Sed iste longe nobiliore materia, & facundia præcellit: quippequi nec Tullio impar sit, nec Virgilio in metro inferior floruit. Hæc ignotus auctor, quem falso rumori de Boetii crimine vulgato aures præbuisse non dubitamus. Cujus etiam extant epitaphia sepulcro posita, quæ recentioris sunt ævi, eaque quisque legere potest, vel apud Baronium, vel inter Boetii opera. Rusticana Boetii uxor Symmachi filia, post mariti, & Patris necem, ad summam egestatem

Mabill. Iti-ner. Italico to. 1. pag. 219.

tem

tem redacta fuit, ut videbimus infra.

Jesu Chr. an. 524. Sigismundi Regis Burgundiæ obitus. *Greg. Turon. lib. 3. hist. cap. 5.*

6. Anno 522. Sigismundi Burgundiæ Regis facinus narravimus, qui Filium Sigericum, instigante noverca, occidi jusserat. Paulo post facti pœnitens amarissime flevit, & *ad Sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & jejuniis durans, veniam precabatur*, quinimmo, ut ait Gregorius Turonensis in libro de miraculis, sive de gloria martyrum & confessorum, *Sigismundus post interemptum per iniquæ consilium conjugis, filium compunctus corde, Agaunum dirigit, ibique prostratus coram sepulchris beatissimorum martyrum legionis felicis pœnitentiam egit, deprecans, ut quæcumque deliquerat, in hoc ei sæculo ultio divina retribueret, ut scilicet habeatur in judicio absolutus, si ei mala, quæ gesserat, priusquam de Mundo decedat repensentur*. Quod petierat, obtinuit, & Dei vindicta statim subsequta est, Mario aventicensi teste: *Maximo Consule*, (anno superiori) *indictione prima, Sigismundus Rex Burgundionum a Burgundionibus Francis traditus est, & in Francia in habitu monachali perductus*; ibique cum uxore, & filiis in puteum dejectus est. In Sigismundi Regis interitum Chrodechildem Francorum Regum matrem filios incitasse narrat Gregorius Tunonensis, his verbis Clodomerem aliosque filios ad vindictam excitantem. Non me pœnitet, charissimi, vos dulciter enutrisse: indignamini, quæso, injuriam meam, & Patris, matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate. Hæc illi audientes, Burgundias petunt, & contra Sigismundum, & Fratrem ejus Godomarum dirigunt: devictoque exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sygismundus vero, dum ad saltus Agaunos fugere nititur, a Chlodomere captus, cum uxore, & filiis captivus abducitur, atque intra terminum Aurelianensis Urbis in custodia positus, detinetur, in cujus etiam interitum conspiraverat Theodoricus Italiæ Rex, ob Sigerici nepotis sui necem a patre illatam. *Inter Francos, & Gothos*, inquit Procopius, *coitur societas in Burgundionum perniciem, pactoque convenit, ut gentem debellent, & ditionis illius terras obtineant: qui vicerint, a sociis non adjuti, ubi nomine certam auri summam ab illis acceperint, participes eos faciant bello captæ regionis. Igitur ex constituto Germani cum magno exercitu Burgundiones petunt; dum Theodoricus, qui se in speciem ad expeditionem paraverat, copiarum profectionem differt, consul-*

Chrodechildis filios suos adversus Sigismundum excitat.

Procopius de bello Goth. lib. 1. cap. 12.

Theodoricus Italiæ Rex partem Regni Sigismundi occupat.

JESU CHR. AN. 524. *fulto procrastinans, exitumque expectans. Vix tandem emisso exercitu, Ducibus mandat uti lentius iter habeant, ac si Francos victos audierint, ne porro ire pergant: sin forte victoriam cessisse illis acceperint, deinceps properent. Hæc Theodorici mandata accurantibus Ducibus, Germani soli cum Burgundionibus manus conserunt. Inito acerrime prælio, ceciderunt utrinque plurimi. Etenim diu dubio Marte pugnatum est: at dein Franci, verso in fugam hoste, & ad ultimas regionis, quam incolebat, propulso oras, ubi multas habebat munitiones, reliqua occuparunt. Accepto rei nuntio, affuere confestim Gothi, increpitique a sociis, viæ difficultatem causati sunt. Tum mulcta repræsentata, regionem, uti convenerat, cum victoribus diviserunt. Atque ita magis eluxit prudentia Theodorici; qui subditorum amisso nemine, dimidiam terræ hostilis partem auro modico sibi paravit. Sic demum pars Galliæ a Gothis, & Germanis haberi cœpta est.* Hæc Procopius, qui Germanorum nomine Francos designat; capite vero sequenti, de altero Francorum prælio cum Burgundionibus subdit. *Deinde Germani cum Burgundionibus, qui supererant, armis congressi adeptique victoriam, eorum Regem in castellum quoddam ejusdem regionis conjectum asservarunt custodiis*, quem etiam ut narrat Gregorius in puteum præcipitarunt. Ejus quidem obitum sub Consulibus anni elapsi 523. narrat Marius Aventicinensis, at ad hunc annum hæc pertinere insignes chronologi contendunt. Sigismundi Regnum Frater ejus Godemarus obtinuit: *His consulibus* (Justino II. & Opilione) hoc anno scilicet, *Godemarus Frater Sigismundi, Rex Burgundiorum ordinatus est*: qui hoc eodem anno, *contra Chlodomerem Regem Francorum Viseroncia præliavit, ibique interfectus est Chlodomeres*, ut idem Aventicensis narrat.

S. Avitus Abbas Clodomiro interitum prædicit.

7. Infelicem hujus expeditionis exitum Chlodomero prædixerat S. Avitus Abbas Nutiacensis, vir sicut sanctitate, ita prophetiæ dono illustris, dum eumdem Regem rogaverat, ut a Sigismundi sanguine se abstineret, sed spreto Sancti viri consilio, eadem quæ gesserat passus est. Fusiori stylo rem narrat Gregorius: *Discedentibus his Regibus* (Francorum scilicet, qui in Sigismundi perniciem cojerant) *Godomarus, resumptis viribus, Burgundiones colligit, regnumque recipit. Contra quem Chlodomeris iterum ire disponens, Sygismundum interficere destinavit; cui a beato Avito Abbate Nutiacensi ma-*

magno tunc temporis Sacerdote, dictum est: Si, inquit, respiciens Deum, emendaveris consilium tuum, ut hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum: & abiens victoriam obtinebis: si vero eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis: fietque tibi, uxorique, & filiis tuis, quod feceris Sygismundo, & conjugi, ac liberis ejus. At Clodomirus spreto sancti viri consilio, & vocato in belli societatem Theodorico Italiæ Rege, apud Visoruntiam locum urbi Viennensi conjunctum, cum Godomaro confligunt, & Burgundiones terga vertere coegerunt. Clodomirus vero hostes insequens, a suis plus justo divulsus, ab hostibus captus, capite truncatus est, ut eodem loco narrat Gregorius. Miraculis, etiam Sigismundum, inclaruisse idem addit Gregorius, cujus nomen, eo quod in Martyrologiis aliquot legebatur; Martyrologio Romano die prima Maii insertum est.

De Arelatensi synodo quarta.

8. Arelatensem synodum quartam ad annum 453., quo Opilio cum Vincomalo Consul fuit, copulaverat Baronius, quem errorem eodem loco ipse correxit, admonens ad præsentem annum pertinere, quo cum Justino Opilio alter in fastis legitur, idque ex Cæsarii subscriptione confirmatur, nam anno 453., necdum Episcopus, sed ne inter mortales erat Cæsarius. Huic synodo occasionem præbuit Dedicatio Basilicæ S. Mariæ, ut in ejusdem titulo legitur, quo synodi dies, & annus his verbis signatur. Constitutio Sanctorum Episcoporum, qui in civitate Arelatensi, ad dedicationem Basilicæ S. Mariæ convenerunt VIII. idus Junias, Opilione VC. Consule, idest anno Christi 524. Joannis Papæ 2., Theodorici Italiæ Regis 32.. Synodo adfuerunt Episcopi tredecim, Præside Cæsario, qui primus subscripsit: interfuere etiam Presbyteri quatuor Episcoporum suorum nomine, & mandato. Hæc synodus in Regno Gothico habita est ab Episcopis, qui Theodorico Italiæ Regi suberant, qui (ut diximus) Burgundici Regni partem suo adjunxerat. Canones quatuor in ea synodo editi sunt, quorum primo statutum est, ut nullus Episcoporum Diaconum ordinare præsumat, antequam 25. annos expleverit. Episcopatus vero, vel Presbyterii honorem, nullus laicus ante præmissam conversionem, vel ante 30. ætatis annos accipiat. Secundo: Nemo laicorum, nisi præcesserit saltem anno integro conversio, ad Episcopatus apicem ascendat,

Tom. 4. concil. pag. 1622.

JESU CHR. AN. 525.

dat, nec Episcopi ante id tempus laicos ordinent ad Presbyteratus, vel Diaconatus gradum. Tertio: Nullus pœnitentem, Bigamum, vel internuptarum maritum in prædictis honoribus audeat ordinare. Qui contra fecerit, anno integro missas facere non præsumat. Si quis contra fratrum consensum celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum charitate se noverit alienum, quia dignum est, ut severitatem ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, qui toties a Sanctis Patribus instituta observare contemnit. Quarto: Si quis vagum Clericum susceperit, nec suo Pontifici reconciliaverit, seu potius defensare præsumpserit, ecclesiæ communione privetur.

Joannes Hierosolym. Episc. obiit, eique Petrus succedit.

Apud Coteler monum. eccles. Græcæ tom. 3. pag. 330.

9. Joannes interea Hierosolymorum Episcopus, exactis in Episcopatu annis septem cum mensibus novem, hoc anno vivere desiit, ac Petrum in ea sede successorem habuit; ut narrat Cyrillus in vita S. Sabæ; qui addit anno 86. S. Sabæ, qui cum labenti concurrit, id contigisse. *Dum Pater noster Sabas annum agit ætatis octagesimum sextum, Joannes Archiepiscopus, post peractos in Patriarchatu septem annos cum novem mensibus obiit, reliquitque in Episcopatu successorem Beatissimum Petrum genere Eleutheropolim*, qui eam ecclesiam per annos 20. sanctissime gubernavit; ut suo loco infra dicturi sumus.

JESU CHRISTI AN. 525. JOANNIS PAPÆ 3. JUSTINI IMP. 8. THEODORICI REGIS 33.

Joannes Papa Constantinopolim proficiscitur.

1. Anno vigesimo quinto supra quingentesimum, Consulibus Fl. Philoxeno, & Probo juniore, Theodoricus Italiæ Rex Arianus, cum ob divexatos in Oriente Arianos, ut supra diximus, ac ecclesiis expulsos, in Catholicos ira æstuaret, Joannem Romanum Pontificem, ad Justinum Imperatorem, legatum pro Arianis ire compulit, qui hoc anno Paschæ solemnitatem Constantinopoli celebravit, licet incertum sit, an desinente anno elapso, vel præsentis initio, viæ se dederit. De hac legatione Marcellinus in chronico hæc habet: *Joannes Romanæ Ecclesiæ Papa 51., anno a Petro Apostolorum Principe 475., sessionis ejus. Theodorico Rege pro Arianorum suorum cæremoniis reparandis laborante, solus dumtaxat Romanorum sibi decessorum* (inauditum hactenus fuerat Romanum Pon-

Marcell. apud Sirmond. to. 2. pag. 379.

Pontificem Italia egredi) *urbe digressus*, *Constantinopolim venit*, *miro honore susceptus est*; *Dexter dextrum ecclesiæ insedit solium*, *diemque Domini nostri Resurrectionis*, *plena voce Romanis precibus celebravit*, Ideſt Romanus Pontifex Romana lingua, & ritu ſolemnia celebravit, quem ritum adhibuit etiam legatus Agathonis Papæ, ut anno 681. videbimus, eademque habet Theophanes anno ſecundum Alex. 516. Chriſti 524.; ſed Anaſtaſium hæc narrantem audiamus. Hic vocatus eſt (Joannes Pontifex) a Rege Theodorico Ravennam, quem ipſe Rex rogatus miſit in legationem Conſtantinopolim ad Juſtinum Imperatorem orthodoxum, quia eodem tempore Juſtinus Imperator vir religioſus ſummo ardoris amore religionis Chriſtianæ voluit hæreticos extricare: nam ſummo fervore Chriſtianitatis hoc conſilio uſus eſt, ut Eccleſias Arianorum Catholicas conſecraret. Pro hac cauſa hæreticus Rex Theodoricus audiens hoc exarſit, & voluit totam Italiam gladio extinguere. Eodem tempore Joannes Papa ægrotus infirmitate cum fletu ambulavit, & Senatores, & Exconſules, ideſt Theodorus, Importunus, Agapitus exconſul, & alius Agapitus Patritius, qui hoc accipientes in mandatis Legationem, ut redderentur Eccleſiæ hæreticis in partibus Orientis, alioquin, omnem Italiam gladio ſe perditurum eſſe minabatur.

JESU CHR. AN. 525.

2. Quomodo autem occurrerint Conſtantinopolitani cives Romano Pontifici, ac perhonorifice exceperint, ſic narrat. *Occurrerunt Beato Joanni milliario 12. omnis civitas cum cereis, & Crucibus in honorem B. Apostolorum Petri, & Pauli*; poſt pauca: *Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus, & adoravit Beatissimum Papam Joannem. Eodem tempore Beatus Joannes Papa cum senatoribus suprascriptis, cum grandi fletu rogaverunt Justinum Augustum, ut legatio acceptabilis esset in conspectu ejus. Qui vero Papa Joannes, vel Senatores viri religiosi omnia meruerunt, & liberata est Italia a Rege Theodorico Hæretico. Justinus Imperator tamen gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis Vicarium B. Petri videre Regno suo, de cujus manibus cum gloria coronatus est*. Licet enim a Joanne CP. Epiſcopo diademate fuiſſet inſignitus, ob Petri reverentiam, illud ipſum a Romano Pontifice voluit iterum ſuo capiti ſuperimponi. Quæ hactenus ex Anaſtaſio, vel auctore Miſcellæ audivimus, Joan-

Quomodo ab Imperatore CPoli exceptus fuerit Joannes Papa.

JESU CHR. AN. 525.
Joannis Papæ fama vindicatur.

Joannem scilicet Pontificem cum sociis, precibus, & fletibus ab Justino Imp. obtinuisse, ut ecclesias Arianis redderet, & Arianis, qui ad Ecclesiam catholicam transierant, potestatem faceret, ut ad Arianam perfidiam redirent, quæstionem pariunt; & famæ Joannis Papæ maculam inferunt. Absit tamen, ut hæc de tanto Pontifice dicamus; nam quid cum Justino Imp. egerit Joannes Papa, an scilicet Arianorum causæ patrocinaverit, vel catholicæ Fidei defensionem susceperit, ut cetera nunc prætereamus, ipse legationis exitus satis demonstrat. Si enim, quæcumque optabat Theodoricus oratione sua, & lacrymis promeruisset Sanctus Pontifex; si Arianis redditæ sunt ecclesiæ par erat, ut redeunti Joanni, tamquam liberatori suarum gentium, ipse Theodoricus occurreret, eidemque publicos honores decerneret, cum tamen ob rem ab eo contra Arianos male gestam, fremens ac furens, nec dignum suo, aut urbis conspectu putaverit, quin nec dignum ut diutius viveret; quem anno sequenti in carcere obiisse scimus: hinc manifesto sequitur, a Sanctissimo Pontifice non ea, quæ Theodoricus Arianus optabat, Constantinopoli fuisse peracta, sed potius, quæ displicebant impleta, atque transacta. In hujus rei confirmationem Baronius, aliique ejusdem Joannis Papæ epistolam ad Episcopos Italiæ datam referunt. *Olybrio, & Maximo viris clarissimis tertio idus Junii*. Qua eosdem admonet, ut catholicam Fidem adversus Arianos tueantur, eorumque ecclesias catholico ritu consecrent. *Quia*, subdit Pontifex, *& nos quando fuimus Constantinopoli tam pro religione catholica, quam & pro Theodorici Regis causa & negotiis, suadente & hortante, Arianosque extirpante piissimo atque Christianissimo Justino orthodoxo Imperatore, quascumque illis in partibus eorum ecclesias recipere potuimus, catholicas (Domino opem ferente) consecravimus*. Eademque ex fidelium traditione se accepisse narrat Gregorius Turonensis. Cum tamen suppositititia hæc epistola ab eruditis passim habeatur, ea prætermissa, aliis argumentis ad vindicandam Joannis innocentiam utemur, contenti testimonio Anonimi Valesiani, qui historiam suam a Constantio Chloro ad Theodorici obitum texuit. Is porro Boetii nece narrata, de legatione a Joanne suscepta subdit: *Rediens ex Ravenna* (Theodoricus) *tractans non ut Dei amicus, sed legi ejus inimicus, immemor factus omnis ejus beneficii, & gra-*

Bar. an. 526. num. 2.

Greg. Tur. de glor. martyrum cap. 40.

gratiæ, quam ei dederat, confidens in brachio suo. Item credens quod eum pertimesceret Justinus Imp. mittens, & evocans Ravennam Joannem Sedis Apostolicæ Præsulem, dicit ad eum: Ambula Constantinopolim ad Justinum Imp., & dic ei inter alia, ut reconciliatos in catholicam restituat religionem (ubi Theodoricus Arianos catholicos appellat, hæreticos vero eos, qui catholicam religionem suscipere coacti fuerant.) *Cui Papa Joannes ita respondit: Quod facturus es Rex facito citius: Ecce in conspectu tuo adsto, hoc tibi ego non promitto me facturum, nec illi dicturus sum. Nam in aliis causis, quibus mihi injunxeris, obtinere ab eodem annuente Deo potero. Jubet ergo Rex iratus navem præparari* (scilicet superiore Christi anno, ut mox dixi) *& superimpositum eum cum aliis Episcopis, idest, Ecclesiam Ravennatem* (nomen ejus extat inter Episcopos Ravennatenses) & Eusebium Fanestrem (seu Fanestrensem, aut Fanensem, qui colitur die 18. mensis Aprilis.) Sabinum Campanum (nullum hujus nominis Episcopum refert Ughellus Tomo VI. Italiæ Sacræ inter Campaniæ Episcopos; ideoque Sedes ejus incerta), *& alios duos simul & Senatores Theodorum*) (Exconsulem, ut habet Anastasius) *Importunum* (etiam Exconsulem ex Anastasio) Agapitum (etiam Exconsulem) & alterum Agapitum. *Sed Deus, qui fideles cultores suos non deserit, cum prosperitate perduxit. Cui Justinus Imp. venienti ita occurrit, ac si B. Petro: qui audita Legatione omnia repromisit facturum præter reconciliatos, qui se Fidei catholicæ dederunt, Arianis restitui nullatenus posse.* Hactenus auctor, ex quo scimus non omnia, quæ Rex impius petierat obtinuisse, præcipue ut ii, qui Arii opinionem exuerant, ad eamdem regredi liceret, quod (eodem testante auctore) & petere recusavit S. Pontifex, & coram Rege testatus est. *Ecce in conspectu tuo adsto, hoc tibi ego non promitto me facturum, nec illi dicturus sum.* Quia tamen Joannis oratione motus, Arianos imposterum vexare Justinus destitit, eisque ut ecclesias, quas obtinebant, retinere permisit. Hinc Anastasius, & Miscellæ auctor scripserunt, Justinum Imp: Joannis Papæ orationibus, & lacrymis placatum, postulata fecisse, idest leges adversus Arianos latas revocasse, ut auctor chronici veterum Pontificum his verbis narrat: *Justinus autem Augustus omnem concedit petitionem, & propter sanguinem Romanorum reddidit hæreticis ecclesias secundum vo-*

Jesu Chr. an. 525.

luntatem Theodorici Regis haeretici; *ne christiani, maxime Sacerdotes ad gladium mitterentur*: ideſt, Arianis permiſit, ut in eccleſiis, quas retinebant, convenirent, non vero catholico ritu dicatas Arianis reſtituit; primum petere a catholico Principe poterat Romanus Pontifex, quoties id neceſſitas exigeret, non vero alterum, ne Domus Dei ſpeluncha latronum fieret; multo minus, ut qui ex Arianis ad catholicam eccleſiam tranſierant, ad Arianam perfidiam redirent, permittere catholicus Imp. poterat, aut id Joannes Pontifex petere.

Joannes Papa miraculis fulget. S. Greg. Dialog. lib. 3. cap. 2.

3. Nec prætereundum eſt ad Joannis Papæ innocentiam declarandam, eum miraculis quoque dum viveret, & poſt obitum claruiſſe. De geſtis in itinere, dum iret CPolim, narrat Gregorius Papa, quod cum Corinthi perveniſſet, vir nobilis equum, quem præ magna manſuetudine ejus Conjux ſedere conſueverat, ei obtulit, quo poſtquam uſus eſſet Pontifex, ac Domino remiſiſſet, eumque prædicti nobilis viri Conjux ſedere ex more voluiſſet, poſt ſeſſionem tanti Pontificis, mulierem ferre recuſavit. *Quod vir ejus prudenter intuitus, hunc ad eumdem venerabilem virum protinus remiſit, magnis precibus petens, ut equum ipſe poſſideret, quem juri ſuo ſedendo dedicaſſet*. His illuſtriora ſunt, quæ idem Gregorius refert de cœco illuminato, nam ſubdit: *De quo etiam illud mirabile a noſtris ſenioribus narrari ſolet, quod in Conſtantinopolitana urbe ad portam, quæ vocatur ærea, veniens, populorum turbis ſibi occurrentibus, in conſpectu omnium, roganti cœco lumen reddidit, & manu ſuperpoſita oculorum tenebras fugavit*. Sed de Joanne Pontifice iterum anno ſequenti, quo Ravennam rediens, in carcere obiit.

Symmachus a Theodorico occiditur.

4. Boetii ſanguine Theodorici Regis in catholicos furor extinctus non eſt, quin etiam magis exaſperatus; unde poſt generum e vivis ſublatum, in Symmachum Boetii ſocerum Regis ira facile converſa eſt. *Dum hæc aguntur*, ait Anonymus Valeſii, ideſt dum Joannes Papa legationem apud Juſtinum ageret, *Symmachus caput Senatus, cujus Boetius filiam habuit uxorem, deducitur de Roma Ravennam. Metuens vero Rex, ne dolore generi aliquid adverſus Regnum ejus tractaret, objecto crimine juſſit interfici*, ac hoc anno occiſum fuiſſe, narrat Marius Aventicenſis in chronico. *Probo Juniore, & Philoxeno Coſſ. occiſus eſt Symma-*

machus Patricius Ravennæ. Erat autem Symmachus non solum genere clarus, ut Senatus Romani caput & decus esset; sed etiam pietate & doctrina celeberrimus. Unde Boetius de eodem in libro de consolatione philosophiæ: *Viget*, inquit, *incolumis illud præstantissimum humani generis decus Symmachus socer, & quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia, & virtutibus factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis*. Omnium quippe scientiarum genere edoctus erat, unde Priscianus Grammaticus, qui hoc tempore Constantinopoli florebat, in libro de ponderibus ajebat: *Omni te Symmache nobilitatis splendore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omni virtutis luce fulgentem, studiis etiam optimarum artium, disciplinarumque florentem, justissimæque prosperæ fortunæ meritis vitæ probantem, fama quidem antea nobis absentem venerabilem faciebat, nunc autem præsentem veritas supergressa, laudes prædicationis ostendit. Medioeritatis enim altissimæ, qua superbiæ calcas tumores, & pietatis ponderibus gravissimis superes omnia*. Ennodius vero præclarissimos Senatores urbis commemorans, quos imitandos etiam proponit, post Faustum, & Avienum, de Festo atque Symmacho addit: *Festus, & Symmachus omnium disciplinarum materia, & constantes forma sapientiæ de Urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis Curiæ Principatus: quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix cognoscenda commemoratio. Isti auram popularem per pudoris detrimenta non cupiunt, contenti rectis magis placere, quam plurimis. Sortiuntur de innocenti actione testimonium &c.*, ac plures Ennodii epistolæ extant, in quibus Symmachi probitas, & doctrina laudatur; Theodoricus etiam Rex eumdem sua olim laudavit epistola. Hunc igitur illustrem virum, tot virtutibus, ac honoribus ornatum, Romanæ curiæ decus, & ornamentum, variis vanisque suspicionibus exagitatum, capite truncari jussit Theodoricus, cujus nihilominus memoria integra perseverat.

[Margin: Jesu Chr. an. 525. Symmachi elogium.]

[Margin: Apud Cassiod. lib. 4. ep. 5.]

5. Quo tempore Theodoricus Italiæ Rex acerbam adversus catholicos excitaverat persecutionem, ita ut ultima instarent pericula, ut anno sequenti videbimus, Africana ecclesia sub novo Rege Hilderico integra fruebatur libertate; & post teterrimas persecutionis tenebras, quibus sub Trasamundo involuta jacuerat, splendidissimo fulgebat lumine

[Margin: De Carthaginensi synodo.]

JESU CHR. AN. 525. mine, ita ut synodum Carthagine Episcopi celebraverint; cui adfuerunt Episcopi sexaginta sub Bonifacio Præside. Quanta cum lætitia tam faustum Episcopi celebraverint diem, indicant acta his verbis: *Anno secundo gloriosissimi Regis Hilderici, nonis Februariis, Carthagine in secretario Basilicæ Sancti martyris Agilei, cum Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, cum Coepiscopis suis diversarum Provinciarum Africanarum,* quorum nomina subscriptiones ostendunt, *consedisset, adstantibus Diaconis, Bonifacius Episcopus dixit: Dies mihi omni festivitate jucundior, plus de Sacerdotum præsentia, quam de Sole resplendet. Benedico Domino, qui sinceritatem vestram meis litteris fecit tam faciliter obedire, meis quoque conspectibus tam decentius apparere, atque ad istius Ecclesiæ venerabilem Sedem, juxta priscam consuetudinem, pro fide, & utilitate Ecclesiæ convenire. Nunc profectu reparatæ libertatis, innovata quodammodo videtur crevisse lætitia: nunc divinæ misericordiæ manifestata potentia, vellem cunctos adesse Collegas, totiusque Africani Concilii sicut spiritualiter, ita corporaliter, interesse Pontifices.* His, aliisque in eamdem rem præmissis, lecta est Bonifacii Primatis ad Messorem epistola, qua rogabat, ut pro ecclesiæ utilitatibus ad concilium mitteret Firmum Tipassensem, Marianum Tulliensem, Felicem Zactarensem. His addebat, Paschale festum tertio Kalendas Aprilis anniversaria solemnitate celebrandum esse. Data erat IV. Idus Januarii, anno secundo imperantis Hilderici. Peracta hujus epistolæ lectione, Messoris responsionem, rogante Bonifacio, Notarius Redemptiolus legit, qua narrabat, rebelles Antistites nonnullos reperiri, qui calcatis Canonum statutis, Bonifacio contumeliam intulerant, prioribusque sese anteponere voluerant. Quam Bonifacius injuriam patienter tulerat, licet multa Carthaginensi Ecclesiæ privilegia concessa fuissent. Nunciat etiam præter Episcopos, quorum præsentiam requirebat Bonifacius, se insuper misisse Florentianum, plebis Vicopatansis Præsulem, Provinciæ Numidiæ, ut quæ ad ordinem Ecclesiæ conducerent, peragerent; *Age ergo*, inquit, *nunc nostri decus honoris, ut Ecclesiastici ordines erigantur, qui variis oppressionibus longa intercapedine temporum jacuerunt. Tuis itaque privilegiis vindica quod debetur, & redde ceteris, quod te debere non nescis.* Messor Numidiæ Primas erat. Postea Redemptiolus epistolam ab Proconsularis,

ris, & Tripolitanæ Provinciæ Antiſtitibus ſcriptam legit, qua ad Concilium vocabantur: *Date operam, dilectiſſimi Fratres, ut 19. Cal. Febr. die, Matris veſtræ Secretario præſentati, generali feſtinetis adeſſe tractatui, quidquid emendare volumus, pia nobiſcum ſollicitudine diligentius audituri. Data 3. Cal. Januarii anno ſecundo*. Peracta lectione epiſtolarum, Bonifacius ſynodi Præſes, coram congregatis Epiſcopis, de eorum præſentia Deo gratias egit, iiſque gratulatus eſt, ſed de Liberato, quem ſemel, & iterum ſcriptis ſuis invitaverat, ut ſynodo una cum quatuor, aut quinque comitantibus fratribus adeſſet, conqueſtus eſt, quod venire, vel diſtulerit, vel recuſaverit. Sed Epiſcopi dixerunt *ſerva Beatiſſime Pater patientiam, quam reſervaverunt ſemper hujus ſedis Antiſtites, expectetur adhuc, ſicut priſca conſuetudo demonſtrat, memorati fratris adventus: qui ſi etiam craſtino minime cognoſcitur ſuam adhibere præſentiam, de tanto inobedientiæ vitio erit cum tua beatitudine poſtmodum pertractandum*. Jesu Chr. an. 525.

Ordo præeminentiæ proviaciarum Africæ.

6. Deinde hortante Felice Zactarenſi Epiſcopo, & legato provinciæ Numidiæ, ordo provinciarum Africæ juxta antiquos canones præfinitus eſt; itaut Proconſularis prima eſſet, deinde Numidia Bizacenæ, ſequebatur Mauritania Sitifenſis, hanc Tripolitana. *Hinc cautum, ut quiſquis perturbare ſtatutum ordinem quandocumque tentaverit, honoris ſui judicabitur pati jacturam*. Deinde proponente Bonifacio, ſubſequuta eſt lectio Nicæni ſymboli, ex canonum Codice ab Attico in latinum translati, & per Innocentium Presbyterum miſſi: concilii actis ſymbolum inſertum eſt, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmatum. Quibus peractis Epiſcopi rogarunt, ut definitiones eccleſiaſticæ a ſuperioribus conciliis editæ legerentur. Bonifacius vero dixit: Ad profectum pertinet ſcientiæ ſemper quærere augmenta doctrinæ; & quoniam ſanctiſſimæ voluntati reſpondere celeriter decet, proferantur ex ſcrinio hujus Eccleſiæ antiquorum Patrum venerabilia conſtituta: recitetur quid vetuſtas obſervandum poſteris dereliquerit, audiant qui cuſtodiunt, quod ſe cuſtodiſſe gratulentur; audiant qui tranſgrediuntur, quod de reliquo cuſtodire dignentur. Lecti igitur ſunt ab Agileo Diacono canones eccleſiæ Africanæ, ex conciliis præcipue ſub Aurelio Epiſcopo celebratis, quorum plurimi Primatum Carthaginenſi eccleſiæ aſſerebant: tranſacta majore diei parte, cetera in craſtinum dilata ſunt.

7. Die

Jesu Chr. An. 525. Sessio Secunda concilii Carthag.

7. Die itaque nona idus Febr. in secretario Agilei, sedentibus iterum Episcopis, Petrus Abbas cum Monachis nonnullis introductus, Libellum obtulit, adversus Liberatum Byzacenæ Primatem expostulans, quod Liberatus Episcopus primæ Sedis Provinciæ Byzacenæ, congregatione Sacerdotum collecta, Monasterium suum gravi excommunicatione percusserat . . . . *Succurrite igitur*, ajebat Petrus, *& a nostris cervicibus jugum, quod neque nobis, neque Patribus nostris quisquam superponere aliquando tentavit, excutite*. Præceps temerariaque fuit Liberati excommunicatio, cum Monachi nil contra fidem, nil contra bonos mores, aut contra Canones admisissent. Contendebat Liberatus, quod a proprio Subdiacono Monasterium fundatum fuisset. At ad rem nil hæc facere contendebant monachi. Displicuit Bonifacio, ceterisque Episcopis, quod Monasteriorum silentia Liberatus turbasset. Ut vero jurgia extinguerentur, causam sibi ante oculos omnem exponi jusserunt Episcopi, ac Petrus Abbas, suo, & monachorum nomine rogavit, ut Monasterium Carthaginensis Episcopi ditioni subjiceretur: *Tui Apostolatus orationibus nos commendantes poscimus, ut nostrum Monasterium facias tuæ beatitudinis regimini subjacere &c.*, ac addidit Monasterium suum sumptu parentum nostrorum, vel aliorum religiosorum fundatum esse, ac a Sancto Reparato Episcopo Puppianensi Provinciæ Proconsularis fuisse dedicatum. Quid in hac causa statuerit Carthaginense concilium ignoratur, cum mutila sint MScripta Vaticana, quibus usus est Holstenius, qui hanc synodum primus edidit. In Alio tamen vetustissimo Codice Longobardico ejusdem Bibliothecæ, hoc decretum huic concilio adscribitur: *Erunt igitur omnia omnino monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantum, & Deo placentia*. Quod decretum cum ab eruditissimis viris pro legitimo habeatur, id concedi facile potest, dummodo ab Episcoporum jurisdictione non omnino monasteria subtrahantur, contra expressam concilii Chalcedonensis auctoritatem, qua Episcoporum potestati, & curæ monasteria concredita sunt: & sane, etsi Petrus Abbas de injusta excommunicationis sententia adversus monasterium suum a Liberato Episcopo lata conquestus sit, ut ab Episcopi jurisdictione eximeretur, nequaquam postulavit, quin ut Carthaginensi Episcopo monesterium suum subderetur, rogavit; sed de his hactenus.

JESU CHRISTI AN. 526. FELICIS PAPÆ 4. AN. 1.
JUSTINI IMP. 9. ATHALARICI REGIS 1.

1. Anno vigefimo fexto cum quingentefimo, folum Olybrium Confulem fafti retinent, quo Joannes Pontifex, peracta apud Juftinum legatione, ditatus muneribus in Italiam rediens, a Theodorico Italiæ Rege five tyranno, eo quod perfectam Arianis non obtinuerat libertatem, ut diximus, vel ut habent Adonis Martyrologium, & auctor Mifcellæ, eo quod perhonorifice, atque gloriofe a Juftino exceptus fuiffet, in carcerem miffus, ibi poft aliquot dies, laboribus, ac ærumnis confectus, vivere defiit, quinimmo vitam æternam, ac beatam adeptus eft. *Eodem tempore*, ait Anaftafius, *revertens Joannes venerabilis Papa, & Senatores cum gloria, dum omnia obtinuiffent a Juftino Augufto, Rex Theodoricus hæreticus, cum grandi dolo fufcepit eofdem, Papam Joannem, & Senatores, quos etiam gladio voluit interficere; fed metuebat indignationem Juftini Augufti: quos tamen in ea cuftodia omnes afflictos cruciavit, ita ut Beatiffimus Joannes Epifcopus primæ fedis Papa, in cuftodia deficiens moreretur. Qui defunctus eft Ravennæ in cuftodia XV. Kal. Junii martyr.* Hæc Anaftafius, deinde addit, quod cum corpus ejus ad fepulturam deferretur: *Subito unus de turba abreptus dæmonio cecidit, & dum perveniffet cum lectulo ubi lectus erat ufque ad hominem, fubito fanus furrexit, & præcedebat in exequias*, quod videntes populi, & Senatores, cœperunt reliquias de vefte ejus tollere. Sic cum fummo honore deductum eft corpus ejus Ravennam, unde poftea Romam tranflatum, in Bafilica B. Petri fub die fexta Kal. Junii fepultum eft, ait Anaftafius. Fallitur ergo Agnellus, dum fcribit Ravennæ in marmorea arca ejus corpus conditum fuiffe.

Joannes Papa martyr. occubuit.

Anaft. pag. 148.

Agnell. rerum Ital. part. 1. tom. 2.

2. De geftis ab eo in Pontificatu, hæc inter cetera narrat Anaftafius. *Fecit Cœmeterium Beatorum Martyrum Nerei, & Achilei via Ardeatina, renovavit Cœmeterium Felicis, & Adaucti, renovavit Cœmeterium Prifcillæ via Salaria. Eodem tempore pofitum eft ornamentum fuper Confeffionem Beati Pauli Apoftoli de gemmis prafinis, & hiacyntinis. Item hujus temporibus Juftinus Imperator obtulit Patenam auream cum* gem-

Joannis Papa gefta & epiftolæ.

Anaft. in Joan. pag. 149.

JESU CHR. AN. 525. *gemmis pensantem libras 20. Calicem aureum cum gemmis, pens. libr. quinque. Scyphos argenteos quinque. Pallia auro texta quindecim, quae ipse Joannes detulit Apostolis Beatissimo Petro, & Paulo, & ad Sanctam Mariam, & ad Sanctum Laurentium. Hic ordinavit Episcopos per diversa loca numero* 15., ejusque nomini epistolæ duæ extant, quas etsi pro genuinis habuerint Binnius, Petavius, Baronius, Natal. Alex., unam ad Zachariam Archiepiscopum de non accusandis Episcopis, alteram ad Italiæ Episcopos de consecrandis Arianorum ecclesiis, quæ apud Labbeum legi possunt, apocriphas eas tamen esse eruditi contendunt, & ex Mercatoris officina proditas, ut indicant falsæ temporis, & consulum notæ, ut stili barbariem prætereamus, quas etiam ex verbis epistolarum Innocentii, Zosimi, Symmachi, & Ennodii consarcinatas esse patet.

Felix 4. Pontifex eligitur. *Pag.not. 5.an. 526. Blanch. not. in Felicem.*

3. Mortuo Joanne, post interpontificium dierum 52., vel 55. (sic legendum apud Anastasium asserunt Pagius, & Blanchinius, ut etiam Anastasius indicat, dum tradit fuisse Felicem *a die* 4. *iduum Juliarum, usque in quarto idus Octobris*: a die enim 18. Maji, quo Joannes Ravennæ animam Deo reddidit, usque ad diem 12. mensis Julii, qui hoc anno in Dominicam incidebat, sicque intercurrunt dies 55., alioquin in feriam quartam incidisset Felicis ordinatio, quod nemo persuadebit, cum ordinationes Romanorum Pontificum nonnisi die Dominico celebrarentur) *Felix* quartus dictus *natione Samnius, ex patre Castorio*, in Joannis locum est ordinatus: *sedit annos quatuor*, sequitur Anastasius, menses duos, dies 14.. Fuit autem temporibus Theodorici Regis, & Justini Augusti, a consulatu Mamertini usque ad consulatum Lampadii & Orestis (Consulatu Olybrii supradixit Anastasius obiisse Joannem, ideoque eodem Consule ordinatus est Felix; sed huic Mavortium Coss. tribuit, qui sequentem annum signavit, ex consuetudine Bibliothecario familiari, qua tribuit sedi Pontificiæ eos Coss., quorum in magistratu Pontifex Pascha celebravit) *a die* 4. *idus Juliarum, usque in quarto idus Octobris*.

4. In Felicis Pontificis electione, eligentium suffragia discordantia fuisse, eaque de causa magnos in ecclesia Romana motus excitatos fuisse scimus, qui nonnisi Theodorici Regis auctoritate componi potuerunt, prout ex Athalarici epistola mox subji-

ſubjicienda videbimus, ſed majus inde detrimentum eccleſia Romana accepit, quam ex diſcordia eligentium metuebatur, ac vix ſanabile vulnus libertati, qua Romana eccleſia hactenus fruebatur, quamque ſub Gentilibus etiam Imperatoribus obtinuerat, factum eſt. Nam quod nullus ex Ethnicis Principibus auſus fuerat, Theodoricus perfecit, ut captivam duceret ipſam Romanam Eccleſiam, dum Apoſtolicæ Sedis Epiſcopi electionem atque nominationem ipſe ſibi procaciter arrogavit: ut autem ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet occaſio reſiſtendi, quem in Romano Clero probatiſſimum novit virum Felicem, Romanum Pontificem nominavit. Fatale (ſi ita liceret dicere Chriſtiano) quodammodo videri potuit, ut quem delegit Conſtantius Arianus Imperator, & quem Arianus pariter Princeps ad tantam dignitatem aſſumpſit, Felix uterque appellaretur.

Athalarici epiſtola ad Senatum de Felicis electione. Caſſiod lib. 8. epiſt. 15.

5. Rem geſtam narrat Athalaricus in epiſtola ad Senatum Rom. ſcripta, cum jam Theodorico ſucceſſiſſet hoc anno, cujus hæc ſunt verba: *Gratiſſimo noſtro profitemur animo, quod glorioſi Domini avi noſtri reſpondiſtis in Epiſcopatus electione judicio. Oportebat enim arbitrio boni Principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem viſus eſt Pontificem delegiſſe, ut nulli merito debeat diſplicere; ut agnoſcatis illum hoc optaſſe præcipue, quatenus bonis Sacerdotibus Eccleſiarum omnium Religio pullularet. Recepiſtis itaque virum, & divina gratia probabiliter inſtitutum, & Regali examinatione laudatum. Nullus adhuc priſtina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cujus votum contingit a Principe ſuperari. Ille quinimmo ſuum efficit, qui eum ſub puritate dilexerit. Nam quæ ſit cauſa doloris, quando hoc & in iſto reperit, quod alteri in partem ductus optaverit? Civica ſunt iſta certamina, pugna ſine ferro, rixa ſine odio, clamoribus, non doloribus res iſta peragitur. Nam etſi perſona ſubmota ſit; nihil tamen a fidelibus amittitur, cum optatum Sacerdotium poſſidetur. Quapropter redeunte Legato veſtro, illuſtri viro Publiano, rationabile duximus, ad cœtum veſtrum ſalutationis apices deſtinare. Magna enim jucunditate perfruimur, quoties cum noſtris Proceribus verba miſcemus. Et hoc quoque ſuaviſſimum vobis minime dubitamus, ſi quod illius feciſtis imperio, nobis etiam cognoſcitis eſſe gratioſum.* Hactenus Athalaricus ad

JESU CHR. AN. 525. ad Senatum. Sed hæc, quæ conciliandæ pacis prætextu a Theodorico tentata sunt, ceteris exemplum fuerunt, ita ut Romani Pontificis electio, quæ per tot sæcula libera omnino fuerat, & a clero peragebatur, id detrimenti accepit, ut ex pristino usu, clerus quidem eligeret Romanum Pontificem, postea Rex suo confirmaret assensu, quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus usurpatam auctoritatem, iis de medio sublatis, Orientis Imperatores sibi pariter arrogarunt, de quibus S. Gregorius conquerebatur.

Quales esse soleant oppressores Rom. Ecclesiæ. *Bar. an. 526. n. 25.*

6. In hanc rem annalium Pareus hæc adnotat. Vidisti lector quinam auctor fuerit redigendi sub servitute Romanam Ecclesiam, ut electioni, vel nominationi Romani Pontificis immiscerent se Reges? nonnisi sævus barbarus, dirus tyrannus, & impius Arianus: quem Deus absque dilatione, dissimulationeve, qua frequentius uti solet cum peccatoribus, repentina immissa cœlitus vindicta prostravit, & post acceleratum dirum exitum, ad inferos perpetuo relegavit. Talem qui æmulantur Principem, expectent pari cum eo sententia judicari: nimirum ut dum inconcessa præsumunt, jura Ecclesiæ invadentes; & vitæ præsentis, & æternæ dispendium sentiant, & regnum haud diu ad posteros propagent, sed exteris cedere cogantur inviti: quo nihil justius dici possit, ut a terrenis excidant, qui divina temerarie præsumunt.

Theodorici Regis interitus. *psalm. 2.*

7. Post quam hæc, aliaque superius dicta egerat Theodoricus, vindice Deo, qui Reges in virga ferrea, tamquam vas figuli confringit, repentino interitu, ante quam ea, quæ in catholicos improbo consilio meditabatur, executioni mandaret, extinctus est. *Post hoc factum* (Joannem scilicet) *Pontificem in carcere necatum, nutu Dei omnipotentis nonagesimo octavo die, postquam defunctus est Beatissimus Joannes in custodia, Theodoricus Rex hæreticus subito interiit, & mortuus est.* Ait Anastasius. Tempus quo Theodoricus interiit, ceterasque circumstantias, clarius Valesii Anonymus narrat his verbis. *Igitur Symmachus scholasticus Judæus, jubente non Rege, sed Tyranno, dictavit præcepta die quarta Feria septima Kalendas septemb. Indictione quarta, Olybrio Consule, ut die Dominico adveniente Ariani Basilicas Catholicas invaderent. Sed qui non patitur fideles cultores suos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum sententiam Arii Auctoris Religionis ejus: fluxum ventris incurrit, & dum intra triduo evacuatus fuisset,*

Anonym. Vales. pag. 671.

set, eodem die quo se gaudebat Ecclesias invadere, simul Regnum, & animam amisit: Ergo antequam exalaret, nepotem suum Athalaricum in Regnum constituit. Se autem vivo fecit sibi monumentum ex lapide quadrato, miræ magnitudinis opus, & saxum ingentem, quem superponeret, inquisivit. Quibus verbis egregiam suam Epitomen stylo barbaro scriptam Anonymus claudit, quam hoc tempore edidisse, extra dubium est. Atque in vindictam sanguinis Symmachi, & Boetii consularium, quem injuria effuderat Theodoricus, e vivis cito sublatum fuisse refert Procopius hujus temporis scriptor, qui, narrata Boetii & Symmachi nece, subdit. *Paucis post diebus cœnanti ipsi, cum piscis grandioris caput ministri apposuissent, visum est id Symmachi caput esse, recens obtruncati: quod dentibus inferiori labro impressis, & oculis torve truculenterque tuentibus, graviter minantis haberet speciem. Ingenti prodigio territus, rigensque frigore extra modum, ad cubile properat, complures imponi sibi lacernas jubet, & sub iis tenet sese: deinde exposita rei serie Elpidio Medico, commissum in Symmacum, ac Boetium scelus deflevit. Id lamentatus, & animi dolore progressus, quem calamitas afferebat, paulo post obiit.*

JESU CHR. AN. 525.

Procop. de bello Goth. lib. 1 cap. 1. pag. 310.

8. Quia vero mortem sequitur judicium, ut ait Apostolus, quale subierit Theodoricus, quove modo divinitus id ostensum fuerit, ex S.Gregorio accipe, quæ ni tanto constarent teste, vix fidem invenirent, sic enim habet. *Julianus namque hujus Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, secundus Defensor, qui ante septem ferme annos defunctus est, ad me adhuc in monasterio positum crebro veniebat, & mecum alloqui de animæ utilitate consueverat. Hic itaque mihi quadam die narravit, dicens: Theodorici Regis temporibus, pater Soceri mei in Sicilia exactionem Canonis egerat, & jam ad Italiam redibat: cujus navis appulsa est ad insulam, quæ Lyparis appellatur. Et quia illic vir quidam solitarius magnæ virtutis habitabat; dum nautæ navis armamenta repararent, visum est prædicto Patri soceri mei ad eumdem virum Dei pergere, seque ejus orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia collocutus dixit: scitis quia Rex Theodoricus mortuus est? Cui illi protinus responderunt: Absit: nos eum viventem dimisimus, & nihil tale ad nos de eo nunc usque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit, dicens:*

Theodorici anima ad inferos deducta. Greg. dialog. lib. 4. cap. 30.

JESU CHR. AN. 525. *Etiam mortuus est, nam hesterno die, hora nona inter Joannem Papam, & Symmachum Patricium distinctus, & discalceatus, & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam jactatus est. Quod illi audientes, sollicite conscripserunt diem; atque in Italiam reversi, eodem die Theodoricum Regem invenerunt fuisse mortuum, quo de ejus exitu, atque supplicio Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Joannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachumque Patricium ferro trucidavit, ab illis juste in ignem missus apparuit, quos in hac vita injuste judicarat.* Hæc Gregorius de visione Liparitano solitario ostensa de infelici Theodorici exitu,

De ædificiis a Theodorico excitatis vel refectis. *Apud Cassiod. Var. l. 1. ep. 25. & l. 4 ep. 30.*

9. Inter cetera autem præclare gesta a Theodorico Rege dum viveret, ejusdem sollicitudo & cura in ædificiis excitandis, vel veteribus instaurandis merito commendatur. De his extat epistola ad Sabinianum, ubi ad finem hæc habet: *Quis enim dubitet fabricarum miracula, hac provisione servata, & pendenti saxo formatas cameras, tegularum tegmine custodias? ut antiqui Principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem; ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute facta.* Et Epistola ad Senatum, de formis aquarum læsis, & de plumbo, & ære, ornatus causa muris affixis, ac hominum

Apud Cassiod. Var. l. 3. ep. 31. rapacitate sublatis, hæc adnotat: *Æs præterea non minimum pondus, & quod facillimum direptioni est, mollissimum plumbum, de ornatu mœnium referuntur esse sublata. quæ auctores suos seculis consecrarunt &c.* Hinc hodie etiam in Amphitheatro, & aliis publicis ædificiis apparent inter petrarum juncturas celte excavata foramina, ut æs, vel plumbum iisdem hærentia tollerentur. Sed de his diversæ sunt eruditorum virorum opiniones, quas hoc loco referre non vacat. Quantus in his fuerit Theodoricus, ex Epistola, quam dedit ad Symmachum, patet, qua ei injungit ut theatri Pompei jam prope vetustate collabentis restaurationem perficiat. At non ea tantum, quæ super terram essent visui patentia ædificia, sarcienda, & instauranda curavit; sed etiam quæ subtus terram essent cloacæ publicæ: quas adeo ipse admiratus est, cum de his scripsit

Apud Cassiod. l. 2. ep. 30. ad Urbis Præfectum Argolicum verbis istis. *Romanæ Cloacæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum Civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios quasi montis concavis clausos, per ingentia stagna decurrere;* vi-

videas structis navibus per aquas rapidas cum minima solicitudine navigari, ne præcipitato torrente marina possint naufragia sustineri. Hinc Roma singularis, quanta in te sunt, potest colligi magnitudo. Quæ enim urbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire? Hæc de his ipse magnopere admiratus. Certe quidem tales oportuit esse Cloacarum amplissimos fornices, in quas præter pluvias, omnium ferme Thermarum aquæ derivantes in tiberim confluebant. Curavit præterea Theodoricus, ut Romana suburbana essent irrigua. Extat de his epistola ad Apronianum. Sed quæ in urbe præstitit, in aliis quoque exhibuisse civitatibus, ejus ad diversos datæ epistolæ indicant. Ravennam vero potissimum, ubi degere consuevit, egregiis ædificiis illustravit, inter cætera Basilicam forensem erexit, ut ipsius ad Agapitum epistola docet. Nobilia quæque ex vetustis collapsisque ædificiis sublata marmora Ravennam transferri, magna licet impensa, conatum esse, monumenta testantur: ibique voluit in vase porphiretico sepeliri, in sepulchro, quod sibi dum viveret extraxerat.

Jesu Chr. an. 525.

Apud Cassiod. l. 3. ep. 53.

Apud Cassiod l. 1. ep. 6.

Apud Cassiod. l. 3. ep. 9. 10. 19.

10. Cum autem absque liberis decessisset Theodoricus, Amalasuntha filia, pro Athalarico suo filio annum dumtaxat octavum agente, regnum administrandum suscepit, qui natus est ipsi ex Patre Eutharico cognomento Cillica, cui nupta fuit sub Consulatu Florentii, & Anthemii, anno Domini quingentesimo decimo quinto, ut Cassidiorus in Chronico tradit. Porro de ipsa matre, magni ingenii fæmina, hæc narrat Procopius: *Amalasuntha itaque filii procuratione suscepta regnum administrabat; prudentia, & æquitate mirifica pollens viridem præseferebat naturam: quippe quamdiu hæc Imperio præfuit, Romanorum neminem, vel corporis pœna affecit, vel rerum jactura; quin etiam nec Gothos ipsos, etsi laceßendi Romanos percupidos, his quoque pacto injuriam permittebat inferre: quin potius Symmachi, & Boetii liberis paterna bona restituit. Animo præterea destinarat, Romanorum ex institutis, ac Principum more vitam de cetero ut filius duceret; jamque ad litterarum ludum, hunc, ut ventitaret, coegerat; tribus Gothorum e senioribus lectis, qui sapientia ceteris, & humanitate præstarent, jussique Athalarico continenter assistere, & una victitare.* At Hæc Gothis displicebant, ac puerum barbarico more, & usu educari cupiebant. Unde conventu

Athalaricus. Rex Italiæ.

Procopius de bello Goth. l. 1.

fa-

JESU CHR. AN. 525.

facto, & in unum contractis, qui pollerent facundia viris, cum Amalasuntha acrius questi sunt, quod nec recte Regem, nec decentius erudiret; siquidem litteris, & seniorum consiliis effeminari potius, & ad timiditatem flecti animos ajebant. Quocirca addiderunt pædagogos dimittendos esse, & Athalarico, qui secum vivant, coævos dari. His auditis Amalasuntha, etsi minus quæ dicerentur probaret; verita tamen barbarorum insidias, quæ petierant, admisit. Senioribus itaque ab Athalarico remotis, pueri quidam Regi coætanei vitæ comites dati sunt, ut una cum iis educaretur: at quam potiora fuerint Amalasunthæ consilia, exitus declaravit, nosque suis locis pro temporis ratione dicemus.

Amalasuntha Gothis acquiescit.

Athalarici epist. ad Gothos, & ad alios.

11. Athalaricus igitur, sive potius Amalasuntha ejusdem mater, ut adeptum Italiæ Regnum filio suo stabiliret, ac in fide Senatum populumque Romanum contineret, ab eisdem fidelitatis (quod dicitur) juramentum exegit. Extant de his ipsius Athalarici Regis litteræ ad Senatum, aliæ etiam ad Populum datæ, & ad alios Romanos per Italiam, Dalmatiamque dispersos: quod etiam a Gothis præstitum fuit, ut Athalarici litteræ ad eos datæ testantur, quarum hæc est inscriptio. *Universis Gothis per Italiam constitutis Athalaricus Rex. Voluissemus quidem domni avi nostri longævæ vitæ gaudia nunciare. Sed quoniam diligentibus dura conditione subtractus est, nos heredes regni sui, Deo sibi imperante, substituit, ut successione sanguinis sui beneficia vobis a se collata faceret esse perpetua, dum nos illa & augere, & tueri cupimus, quæ ab illo facta esse cognoscimus. Cujus ordinationi, adhuc eo superstite, in regia Civitate, ita Sacramenti interpositione cunctorum vota sociata sunt, ut unum crederes promittere, quod Generalitas videbatur optare. Credimus enim de Divinitate propitia, quæ majores nostros dignanter adjuvit, nunc quoque gratiam dignationis impendere, ut nobis regnantibus bonarum rerum fructus dulcissimos afferatis, qui sub nostris parentibus copiosa virtutum laude floruistis.*

Apud Cassiod. Var. lit. 8. ep. 2. 3. Apud Cassiod. l. 8. ep. 4. Apud Cassiod. l. 8. ep. 5.

Athalarici epist. ad Episcopos.

12. Hucusque Athalarici epistola ad Gothos directa. Epistola altera ad Victorinum Episcopum data, se ipsum, ac commissum sibi Regnum Episcoporum orationibus commendavit his verbis. De fide atque constantia tales sunt commonendæ Personæ, quæ desideriis humanis diversa sorte quatiuntur. Vos au-

autem, quos sapientia firmos efficit, & mens religiosa consolidat, ad provincialium potius convenit adunationem animari, quia juste debitor fiet alieni arbitrii, qui a pluribus meretur audiri. Quapropter salutantes veneratione, qua dignum est, quod vobis quidem mœrorem possit indicere transitum gloriosæ memoriæ domni avi nostri cum dolore maximo nuntiamus: sed inde potest vestra tristitia temperari, quia nos in sede Regni sui, Divinitate propitia, collocavit; ut in totum desiderio vestro non videatur ereptus, qui vobis consurgit in successione reparatus. Favete nunc orationibus sacris, nostris libenter auspiciis; ut Rex Cœlestis humana nobis Regna confirmet, gentes externas atterat, peccata absolvat, consolidet, & conservet propitius, quod parentibus nostris dignatus est præstare gloriosis. Quapropter Sanctitas vestra Provinciales cunctos admoneat, ut inter se concordiam habentes, Regno nostro per omnia debeant esse purissimi. Cupimus enim in subjectis fidem reperiri, quam larga possimus pietate munerari. Hactenus ad Victorinum Episcopum, qui cujusnam Ecclesiæ Antistes fuerit, ignoratur. JESU CHR. AN. 525.

13. At non Italiæ tantum regnum firmari sibi recteque disponi Athalaricus per suos studuit; sed quæ possidebat in Galliis æque reddi sibi tuta per Liberium Patricium procuravit: ad quem extat epistola, qua ipsum admonuit, ut Gallos, petito ab eis juramento, contineret in fide. Hunc vero Liberium Patricium, eumdem cum illo esse existimamus, qui postea erexit in Campania monasterium, cui præfecit S. Servandum Abbatem, cujus est mentio apud S. Gregorium in Dialogis; ad quem etiam plures extant Ennodii epistolæ, & inter alias ea, qua ejus probitas plurimum commendatur, cujus est exordium: *Datum est mihi cœlestis*. Quod autem attinet ad ea, quæ in Gallia antea possederat Theodoricus: ipso mortuo, ita transactum est inter Athalaricum, atque Amalaricum Gothorum Reges, ut Athalaricus possideret, quæ cis Rodanum essent loca, ille autem quæ trans Rodanum civitates extarent, ut Procopius tradit. *Amalaricus autem & Provincias recepit, quas in Hispaniis Theodoricus tamquam tutor, & moderator administrandas acceperat*. Hunc etenim annum Regni Amalirici in Hispania primum fuisse; inde patet, quod Isidorus in chronico, ad hunc annum, seu ab æra quingentesima sexagesima quarta ejusdem initia alligavit.

Aliæ Athalarici epistolæ. *Apud Cassiod. lib. 8. ep. 6. Idem lib. 8. epist. 7. Greg. dialog. l. 2. c. 35. Procop. de bello Goth. l. 1.*

14. Ju-

Jesu Chr. an. 525. Athalarici ad Justinum legatio, & epistola. Apud Cassiod. lib. 8. epist. 1.

14. Ad Justinum vero Imperatorem perhonorifica legatione missa, pacem ab eo, & amicitiam Athanaricus rogavit, hæc præfatus. *Juste possem reprehendi, Clementissime Principum, si pacem vestram quærerem tepide, quam parentes meos constat ardentius expetiisse; aut in qua parte dignus hæres existerem, si auctoribus meis impar in tanta gloria reperirer? Non vos majorum purpuratus tantum ordo clarificat: non sic Regia sella sublimat, quantum longe lateque potens gratia vestra nobilitat. Omnia enim Regno nostro perfecte consiure credimus, si hanc nobis minime deesse sentimus. Sed & pietati vestræ peculiare est diligere, quorum patres contigit vos amasse* &c. ac ut Regnum sibi pacifice tenere permitteret, quod Avo suo ex summa clementia concesserat, precatur. Unde post aliqua. Vos avum nostrum in vestra civitate celsis Curulibus extulistis: vos Genitorem meum in Italia Palmathæ claritate decorastis. Desiderio quoque concordiæ factus est per arma filius, quamvis vobis pene videbatur coævus. Hoc nomen adolescenti congruentius dabitis, qualia nostris senioribus præstitistis. In parentelæ locum noster jam transire debet affectus; nam ex Filio vestro genitus, naturæ legibus vobis non habetur extraneus. Atque ideo pacem non longinquus, sed proximus peto; quia tunc mihi dedistis gratiam nepotis, quando mei parenti adoptionis gaudia præstitistis &c. *Quaptopter ad serenitatem vestram illum, & illum legatos nostros æstimavimus esse dirigendos; ut amicitiam nobis illis conditionibus concedatis, quas cum divæ memoriæ domno avo nostro inclitos decessores vestros constat habuisse. Aliquid forsitan, & amplius mereor sinceritatis, cujus nec ætas videtur esse suspecta, nec generatio jam probatur extranea. Quædam vero per suprascriptos Legatos nostros serenissimis sensibus verbo intimanda commisimus, quæ clementiæ vestræ more ad effectum facite pervenire*. Hactenus Athalarici epistola ad Justinum Imp. aut ad Justinianum, ut aliis placet, & epistolæ inscriptio præfert. At ut ab Alemanno in notis ad historiam arcanam Procopii adnotatum est, frequenter in nominibus Justini, & Justiniani a librariis erratum est, ceterum ad Justinum hanc epistolam scriptam fuisse, hæc Athalarici verba indicant. *Primordia itaque nostra, et solatia mercantur Principis longævi habere*; initio ergo Regni sui hanc scripsit Athalaricus, & ad Principem longævæ ætatis; quæ Justino, non Justiniano conveniunt, ait Muratorius.

15. Ingen-

15. Ingenti clade Antiochia, Deo vindice, hoc anno percussa est, horribili scilicet terremotu, quo superba civitas pro majori parte subversa est. Cum enim Nestorianorum, ac Eutychianorum discordiis jamdiu exarsisset, eorumque hæresibus fœdata esset, erroris schola, ac Asylum facta, suscepit de manu Domini duplicia pro peccatis suis. Lamentabilem hujus civitatis cladem, & tempus, Marcellinus consulatu Olybrii sic narrat: *Totam Antiochiam Syriæ civitatem repens inter prandendum terræmotus invasit, alioquin occiduam urbis magnamque ejus partem, sinistris mox ventis undique flantibus, flammasque coquinarum pro tempore æstuantes, ruentia in ædificia miscentibus, duplex horridumque exitum importavit: Euphrasium quoque totius urbis Episcopum adempto ejus capite, combusto simul obruit sepulchro, obelisco Circi inverso, & humi defosso*. Sub eodem coss. eadem habet Theophanes *Olybrio Romæ consulatum gerente Anthiochia civitas &c.* Hanc ruinam anno septimo Justini Imperatoris die 29. maji feria sexta accidisse narrat Evagrius; verum mendum in Evagrio esse, & loco anni septimi legendum octavi, dies 29. maji cum feria sexta concurrens probat, quibus non elapsus, sed labens annus indicatur. His de tempore notatis, luctuosam tragædiam prosequimur. Quam affuturam Dominus magno sanctitatis viro Theodosio ostendit coenobiarchæ, adimplens illud psalmidici: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, sæpe etenim cum irascitur Deus, misericordiæ recordatur, ut sic peccatores ad pœnitentiam convertantur, evasuri si non temporale, saltem æternum supplicium. Cum itaque Theodosius cælestibus charismatibus floreret, ait Cyrillus, ut futura etiam prævideret, quadam die jussit, ut ante statutam horam pulsaretur lignum, quo fratres ad orationem, & Sinaxim vocabantur; cum autem fuissent congregati, rogabant, cur convenissent ante tempus. Ille autem flebiliter lugens, *Orandum est*, inquit, *o Patres, orandum est: Video enim iram Domini, quæ jam movetur adversus Orientem*. Sexto autem, aut septimo die postquam prædixerat, auditum est Antiochiam magno terræmotu eversam fuisse, illo tempore quo Sanctus vir futuram calamitatem prædixerat. Antiochenam quoque cladem eadem hora, qua accidit, vidit Zosimus monachus; cum etenim, teste Evagrio, cum eo Cæsareæ esset nobilis quidam vir Patricius no-

JESU CHR. AN. 525.
Antiochia terræmotu concutitur.
Marcelli in chron Sirmond. tom. 2
Theoph in chron.
Evag. lib. 4. cap. 5.
Theodosius prævidet Antiochenam cladem.

JESU CHR. AN. 523.

mine Archesilaus, ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subito ingemiscere, graviter lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit Zosimus, tantamque vim profudit lacrymarum, ut terram madefaceret. Sciscitante autem Archesilao, quid esset, quod eum tantopere perturbaret? *Respondit, fragorem ruentis Antiochiæ jam tum ejus auribus circumsonuisse: adeo ut Archesilaus, & alii, qui forte aderant, præ admiratione obstupescentes, ipsam horam, qua res gerebatur, litteris mandarent, reperirentque postea ita se habuisse, ut Zosimus declaraverat.*

Quam gravis fuerit Antiochen. calamitas. *Evagr. lib. 4. cap. 5.*

16. Quam luctuosa hæc strages fuerit, paucis verbis exponit Evagrius. Iisdem temporibus, regnante Justino, gravia crebraque incendia Antiochiæ contigerunt, velut prænuncia terræmotuum valde terribilium in ea civitate statim consecutorum, & aliarum etiam calamitatum prævia. Nam brevi tempore post, anno septimo regni ejusdem Justini, Artemisio videlicet, id est Majo, quarto Kalendas Junii, die Veneris in ipso meridie, conquassatio, & terræmotus urbem occupant, parumque aberat, quin totam penitus evertissent: quæ duo sequebatur incendium, quasi calamitatem cum illis partiturum. Nam quas res illa non attigisset, incendium eas depascens, prorsus absumsit, & in cineres redegit. Quæ autem civitatis partes hac clade labefactatæ fuerint, & quot mortales incendio, & terræmotu (sicut verisimile fuit) extincti, quam præterea graves casus, quamque miri, qui certe nulla dicendi facultate existimari possunt, id temporis contigerint, tam luctuoso orationis genere a Joanne Rethore explicantur, ut cuique animum magnopere commovere possint. Ad infelicis civitatis cladem accessit Euphrasii ejusdem civitatis Episcopi obitus. Verum salutaris Dei erga humanum genus providentia Euphraimum Orientis Præfecturam gerentem ad curam de urbe illa suscipiendam excitavit. Qui etiam hoc, vel sequenti anno Episcopus Antiochenus est ordinatus. Antiochenam ruinam, *cum Justinus Imperator audivit, præ dolore sacco induitur, aspergiturque cinere, exutus purpura, & diademate, multos dies in luctu sedens solitarius transegit, etiam si dies festi adessent, quibus solitus esset cum splendore procedere ad Ecclesiam: postea vero magna vi auri miseris præsto fuit, ut Miscellæ auctor narrat.*

De obitu Euphrasii Episc. Antiocheni.

Miscell. lib. 17. cap. 3.

Clades diversarum Civitatum.

17. De aliis Orientis civitatibus, quæ eodem terræmotu

motu concussæ sunt, hæc addit Evagrius. *Oppidum, quod jam Dyrrachium, olim Epidaurus appellatum fuit, terræmotu graviter concussum est; similiter & Corinthus, quæ est in Græcia sita: adde his Anazarbum, urbem minoris Ciliciæ primariam, quæ jam quarto illud cladis genus pertulerat: quas urbes Justinus magna pæcuniæ summa suppeditata refecit. Iisdem temporibus Edessa Vrbs Osrænorum amplissima, & beata, undis Scirti torrentis præterlabentis sic obruebatur, ut multa ædificia aquæ impetu abriperentur, & infinita hominum multitudo, quos flumen secum evexerat, interiret. Edessa igitur, & Anazarbum ab ipso Justino nova nomina accepere, & utraque urbs Justinopolis appellata est.* Hactenus Evagrius de his, ex quo Nicephorus, & alii accepere. Jesu Chr. an. 525.

18: Sed ad Zosimum iterum nos revocat Evagrius, cujus, inquit, tot sunt ab eo edita miracula, ut *maximam partem silentio præteriens (quippe vix, aut ne vix quidem numerari possunt) quædam hoc loco percensebo*. Eo tempore quo Zosimus in magna nominis celebritate erat, maxima cum virtutum excellentia præditus vixit Joannes in Chuzubica laura, qui locus positus est in extrema valle ad aquilonarem partem viæ regiæ, quæ Hierosolymis recta ducit ad urbem Hierico. Hic Joannes Chuzubites, postquam uxori Archesilai alterum oculum radio effossum audivit, ad illam statim contendit, plagam quam acceperat conspicaturus. Ubi autem vidit pupillam penitus excidisse, ac oculum sede dilapsum, cuidam ex medicis, qui eo commearant, jussit, ut spongiam afferret, oculumque dilapsum in sedem, quam commode posset, induceret, & spongiam appositis fasciolis alligaret. Archesilaus vero tunc temporis cum Zosimo erat in ejus monasterio, quod est locatum in oppido Suidena, quod Cæsarea abest ad summum quingenta stadia; cum maxima igitur celeritate, ut de his rebus certior factus est Archesilaus, flebiliter ejulare cœpit, Zosimo vero causam roganti, cur ita fleret, Archesilaus quid acciderat, lamentis, & lacrymis crebris interpositis, exposuit. *At Zosimus, illo relicto, solus ad cubiculum propere accurrit, in quo Deum (sicuti fas est id genus hominibus) familiariter compellat. Paulo post egressus, gestiens, & modeste ridens, dixit: Abito domum lætus, abito: gratia Chuzubitæ tributa est: uxor tua sanata, utrumque oculum habet integrum: nam calamitas ista nihil ei*

De S. Joanne Episc. Cæsariensi.

Ingens miraculum deoculo restituto.

Jesu Chr. an. 524. Prat. Spirit. c. 23. 24. & 25.

hil ei potuit adimere, quandoquidem ita Chuzubitæ placuit: Quæ duo miracula ab utrisque viris illis justis uno eodemque momento edita fuere. Est mentio de Cœnobio Chuzuba dicto in prato Spirituali; ubi & de eodem Joanne, antequam fieret Cæsariensis Episcopus, mira narrantur.

De Leone exhibente Zosimo asini ministerium.

19. Mirabiliora sunt, quæ de Zosimo subdit Evagrius. *Porro isti Zosimo iter quodam tempore Cæsaream facienti, secumque asinum, cui res quasdam sibi necessarias imposuerat, adducenti, occurrit leo, & asino Zosimi abrepto discedit. Zosimus per silvam usque eo insequitur, quoad leo voratis asini carnibus satur esset. In quem hilari vultu, & subridenti intuitus, dixit: at vero, o amice, iter jam mihi penitus interruptum est: quippe cum annis plurimis onustus sim, & ætate admodum provectus, nec valeam, ea, quæ asino erant imposita humeris portare: quare tu hoc onus contra naturæ tuæ consuetudinem gestes, necesse est, si modo Zosimum ex hoc loco discedere volueris; postea autem ad pristinam feritatem, naturamque propriam redibis. Tum leo furore prorsus oblitus, sublandiri, & placidus ex tempore ad Zosimum accurrere, & ipso corporis habitu obsequii significationem dare cœpit. Cui Zosimus onus, quod asinus gestaverat imponit, eumque ad portas usque Cæsareæ deduxit, quo declararet tum virtutem, & potentiam Dei, tum quod omnia tamdiu hominibus inserviant, obtemperentque, quamdiu secundum ejus voluntatem vitam instituimus, & gratiam nobis donatam nequaquam depravamus.* Hucusque de Zosimo, pauca ex multis referens Evagrius, ac sui temporis res gestas conscribens. Eademque Nicephorus, qui paulo post de Zosimo altero Palæstinæ monacho mira narrat, cum præsertim Mariam Ægyptiacam, ex meretrice pœnitentem, in deserta Jordanis deduxit, ibique sepelivit; de quibus plura apud Bollandum in ejus vita videri possunt die 20. Februarii.

Euphremius ex Comite Orientis Episcopus Antioch.

20. Hoc vel sequenti anno Euphremius Orientis Comes, quem Justinus Imp: Antiochiam ad restaurandam urbem terræmotu dirutam, miseriasque sublevandas, miserat, præter spem ejusdem urbis Episcopus est ordinatus. Cum etenim operi sibi delegato instaret, accidit ut hominem cæmentarium dormientem videret, super quem ignis columna ad cœlum usque pertingens exurgebat, quod cum non sine admiratione non semel vidisset, die quadam eum accersivit, ut ab eo disceret quisnam esset, cœpitque seorsum percontari de illo, cujus esset, & cujus

cujus nominis. At ille: Unus ego sum istius civitatis pauperum, nec habens unde me alam, in operas incumbo, & nutrit me Deus e laboribus meis. At Euphremius subdidit: Non te dimittam donec cuncta, quæ ad te spectant, ex veritate enarraveris. Quocirca cum non posset ulterius occultare se, ait illi: Hoc mihi promitte, quod quamdiu vixero, nemini meas res declarabis, & ego illa tibi explicabo, præter tamen nomen meum, & civitatis. Tunc juravit ei Euphremius: Nemini tua referam, quamdiu Deo placuerit manere te in hac vita. Tum ille ad eum: Ego Episcopus sum, & propter Deum relinquens Episcopatum meum, huc veni, ut ad ignotum locum: ærumnis afficio me, operi insto, & ex labore meo panem mihi comparo. Verum tu, quantum potes adjice ad eleemosinam. Hisce enim diebus Deus attollet te ad Apostolicum Thronum hujus Theopolitarum Ecclesiæ, ut pascas populum suum, quem suo sanguine adquisivit Christus verus Deus noster &c. Prædictionem confirmavit exitus, nam paulo post Euphremius ex Comite Episcopus Antiochiæ ordinatus est, ut narrat Sophronius loco supracitato. Theophanes vero: Hoc anno terræmotu continuo invalescente, Euphrasius Antiochiæ Episcopus ea agitatione obrutus interiit; deinde post aliqua: *Euphremius Amidenus ea tempestate Comitem Orientis agens, in ejus locum ordinatus est, qui divinum prorsus fervorem adversus Schismaticos exercuit.*

Detegitur Cæmentarius Episcopus.

21. Creatus Episcopus muneri suo quam diligentissime Euphremius satisfecit, ac ignoti Episcopi, & cæmentarii consilia sequens, afflictam urbem eleemosinis sublevavit, ac pro catholica fide certavit. Quanto autem fidei zelo ferveret, hoc uno constabit exemplo, cum scilicet Hyerapolim advolavit, ut Severianum hæreticum, qui Simeonis Stylitæ exemplo columnam ascenderat, ex qua tamquam ex Cathedra hæresim docebat, fidei catholicæ redderet, quæ sic a Sophronio narrantur. *Narravit nobis quidam Patrum de sancto Ephreem Antiocheno Patriarcha, quod ipse valde fuerit zelator, & fervens circa Orthodoxam fidem. Quadam ergo die, cum audiisset de Stylita in Hierapolis partibus commorante, quod e numero esset Severianorum non communicantium, & Acephalorum, profectus est ad illum, persuasionis gratia. Ut autem adstitit; cœpit divinus Ephræmius admonere, & rogare Stylitam, ut accurreret ad Apostolicam sedem, & communicaret sanctæ Catholi-*

Quid in Episcopatu Euphremius egerit.

Soph. prat. spirit. apud Cotel. tom. 2. pag. 361. *Ingeniumiraculum Ephremi Episcopi.*

cæ,

JESU CHR. AN. 525. *cæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. At stylita respondit ei in hæc verba: Ego Synodo non communicabo temere. Excepit beatus Ephræmius: Et quo modo vis, ut curans te ostendam Sanctam Ecclesiam gratia Christi Jesu, & Domini Dei nostri liberam esse ab omni sorde hæreticæ doctrinæ? Ait illi Stylita: accendamus ignem, Domne Patriarcha, & ingrediamur ego, atque vos, quique illæsus exierit, is Orthodoxus est, eumque sequi debemus. Hoc autem prolocutus est, ad terrendum Patriarcham. Responsum dedit Stylitæ Sanctus Ephræmius. Oportebat te fili, obtemperare mihi tamquam Patri tuo, nec quidquam amplius a nobis exigere. Quandoquidem vero postulasti rem, quæ me miserum excedit, confido in misericordia Filii Dei, quod propter salutem animæ tuæ, id etiam facturus sim. Tunc dicit adstantibus divinus Ephræmius; Benedictus Dominus, afferte huc ligna. Quibus allatis, succendens illa ante columnam Patriarcha, dixit Stylitæ: Descende, & juxta decretum tuum ingrediamur ambo. Cum autem Stylita ob Patriarchæ inDeum fiduciam consternatus esset, nec vellet descendere, sic eum compellavit Patriarcha: Nonne ut id fieret proposuisti? & qua ratione nunc recusas facere? Tunc exuens Archiepiscopus quod gestabat humerale, & veniens prope ignem oravit his verbis? Domine Jesu Christe Deus noster, qui propter nos dignatus es ex Domina nostra Sancta Deipara semperque Virgine Maria vere incarnari, ostende nobis veritatem, & completa oratione, superhumerale suum in medium ignem projecit. Cumque ignis per horas circiter tres durasset, & ligna consumpta essent, tulerunt illud ex igne salvum, illæsum, integrum, nulla inhærente per ignem noxa. Tunc Stylitas rem conspiciens, plene persuasus est, atque anathema pronunciavit in Severum, ejusque hæresim, nec non ad Sanctam Ecclesiam accessit, & de manibus Beati Ephræmii communicavit, gloria, & laudibus Deum prosequutus.* Hucusque Sophronius. Quamplurimos tractatus ediderat Ephremius Antiochenus Episcopus, & licet Syrus genere esset, græce tamen multa scripserat, quæ ad Photii manus pervenerunt, eorumque non sine laude meminit, in quibus Euthychianam hæresim sæpe confutat, ac Chalcedonensem synodum, & S. Leonis epistolam vindicat. At de ejus operibus, si lubet, vide Dupinium, aliosque de Scriptoribus Ecclesiasticis agentes.

Per ignem probata Catholica Fides.

Phot. biblioth. Cod. 228. & sequentibus.

Dupin. saecul. 6. pag. 113.

JE-

JESU CHRISTI an. 527. Felicis iv: Pp. 2. Justiniani Imp. 1. Athalarici Regis 2.

Athalarici constitutio pro Rom. clero.

1. Anno quingentesimo vigesimo septimo, Mavortio consule sine collega, cum Romana Ecclesia barbarico Gothorum jugo premeretur, ac Ecclesiæ jura violarentur, ita ut passim & levissima de causa Clerici ad secularia tribunalia traherentur, ac vinculis, & carceribus traderentur, Felix quartus, cui hæc vix ferenda erant, una cum clero, supplici libello Athalaricum Regem adiit ab eo expostulans, ut sæcularium judicum licentiam comprimeret. Quos Rex benigne excepit, editoque decreto sancivit, ne clerici ad sæcularem judicem traherentur, nisiprius a Pontifice eorum causa fuerit cognita. Ipsa autem constitutio his fere verbis concepta erat: Clero Romanæ Ecclesiæ Athalaricus Rex. Tanto divinitati plurima debemus, quanto a ceteris mortalibus majora suscepimus. Nam quid simile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idonee; ipsi tamen gratia redditur, dum inservientibus honoratur. Itaque flebili additione causamini, hoc fuisse longæ consuetudinis institutum, ut si quis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientem aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictæ civitatis Antistitem negotium suum dicturus occurreret: ne Clerus vester forensibus litibus profanatus, negotiis potius sæcularibus occupetur: addentes, Diaconumquoque vestrum, ad contumeliam Religionis, tanta executionis acerbitate compulsum, ut Sajus eum propriæ custodiæ crederet mancipandum. Presbyterum quin etiam Romanæ Ecclesiæ pro levibus causis asseritis criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reverentia, quam nostro debemus auctori, displicuisse profitemur; ut qui pridem sacris meruerant inservire ministeriis, conventionis irreverenter nefariis injuriis subjacerent. Sed aliorum plectenda subreptio nobis obtulit plenissimæ laudis eventum; ut causa contingeret præstandi, quæ nos cœlestibus commendaret auxiliis. Atque ideo considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desideriis supplicantium, præsenti auctoritate, moderato ordine definimus; ut si quispiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet causa probabili crediderit

JESU CHR. AN. 526. rit actione pulsandum, ad Beatissimi Papæ judicium prius conveniat audiendus; ut aut ipse inter utrosque more suæ Sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam; & si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad sæcularia fora jurgaturus occurrat, quando suas petitiones probaverit a supradictæ Sedis Præsule fuisse contemptas. Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit judicio sacrilega mente damnatus, qui reverentiam tantæ Sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum; ante alicujus conventionis effectum, decem librarum auri dispendio feriatur, quæ a Palatinis Sacrarum largitionum protinus exactæ, per manus sæpe memorati Antistitis pauperibus erogentur: carensque impetratis, negotii quoque sui amissione mulctetur. Dignus est enim duplici pœna percelli, qui, & divinam reverentiam, & nostra jussa temerarit. Sed interim vos, quos judicia nostra venerantur, Ecclesiasticis vivite institutis. Magnum scelus est, crimen admittere, quos nec conversationem decet habere sæcularem &c.

Athalarici epistola ad Hildericum de Amalafrida.

2. Hoc quoque tempore inter Hildericum, qui in Africa post Trasamundum regnabat, & Athalaricum Italiæ Regem dissidia exorta sunt; cum etenim Amalafrida, quæ Trasamundi uxor fuerat, & Theodorici Regis neptis, in custodia detineretur, gravissime id Theodoricus tulerat. *Minime tamen ultum ivit, suas opes intelligens non sufficere comparandæ ingenti classi, qua bellum in Africam portaret*, ut habet Procopius. Sublato autem Theodorico, Hildericus Amalafridam extremo affecit supplicio, qua de causa Athalaricus cum Hilderico datis epistolis graviter conquestus est. *Hilderico Regi Vandalorum Athalaricus Rex. Durissima nimis forte constringimur, ut quos ante dulces parentes diximus, nunc eis causas amarissimas imputemus; quas nemo potest relinquere, qui pietatis noscitur monimenta cogitare. Quis enim nesciat, divæ recordationis Amalafridam, generis nostri decus egregium, violentum apud vos reperisse lucis occasum; & quam habuistis pridem Dominam, passi non estis vivere nec privatam? Hæc ei contra fas parentelæ gravis esse videbatur; remitti ad nos debuit honorabilis, quam magnis supplicationibus expetiistis. Parricidii genus est, ut quam vobis fecerat affinem conjunctio Regis, nefandis ausibus in ejus vos interitum misceretis. Quid tantum mali a suo Con-*

Conjuge relicta promeruit? Si succeſſio debebatur alteri; numquid fœmina in eo ambitu potuit inveniri? Mater quinimmo haberi debuit, quæ vobis regna transfudit. Nam & hoc nobilitati veſtræ fuiſſet adjectum, ſi inter Haſdirigorum ſtirpem retinuiſſetis Amali ſanguinis purpuream dignitatem &c. Quem exitum hæc diſſidia habuerint, videbimus anno 530, quando Hildericus per Gilimerem Regno ejectus eſt, ac cuſtodiæ traditus. Cum enim Hildericus, teſte Procopio, tunc temporis Juſtiniano eſſet amiciſſimus; aperto bello eum Athalaricus aggredi non eſt auſus, ſed ad eum e throno dejiciendum, Gilimerem poſtea adjuvaſſe vero proximum eſt.

Juſtinianus Imp. creatur.

3. Interim hoc anno, cum Juſtino Imperatori ob ingraveſcentem ætatem, ac morbum, ultimus inſtaret dies, Juſtinianum ex ſorore nepotem, quemque nobiliſſimum declaraverat, rogata prius Senatus ſententia, ſucceſſorem declaravit, & Auguſtea dignitate exornatum, Imperio ſociavit, ut narrat Zonaras. *Juſtiniano poſt Vitaliani coedem magiſtro Militum creato, rerum omnium adminiſtratio ei incumbebat. Cum autem Principes aliquando Imperatorem orarent, ut Magiſtrum Militum Collegam aſciſceret, purpura prehenſa, vobis, inquit, optandum eſt, ne hanc junior aliquis induat. Ac tum quidem preces eorum ſic eluſit. Illi vero parvo tempore interjecto, nobiliſſimi titulum Juſtiniano decreverunt, & ab Imperatore impetrarunt, ut id decretum ſuis litteris comprobaret. Neque multo poſt in valetudinem incidit ex vulnere cruris, morboque in ſpe vitæ dubia invaleſcente, Patriarcha Epiphanio, & primoribus advocatis, Juſtinianum Nepotem Imperatorem decernit, & ſuis manibus ejus capiti diadema imponit.* His addit Procopius, minis adhibitis Senatum ac Populum coactum fuiſſe, ut Juſtinianum Imperatorem ſalutaret. *Nam metu ac minis Senatus populuſque perterritus in eam ſententiam impellitur. Suſcepere dominationem Juſtinianus, ac Theodora tertio ante Paſchatis die, quando ſcilicet nulli dicere ſalutem, vel pacem fas eſt. Paucis poſt diebus morbo Juſtinus abſumptus eſt, annis in Principatu novem exactis.* Paſcha hoc anno die quarta Aprilis celebratum eſt, ideoque die prima ejuſdem, ac feria quinta in Cæna Domini, Juſtinianus Auguſtus nuncupatus eſt, ut etiam tradunt Evagrius lib. 4. cap. 9. Marcellinus in Chronico, & Auctor Chronici Alex.. Atque ab eo die annos Imperii ſui Juſtinianus numeravit, ut conſtat ex lege edita Kal. Sep-

Zonaras annal. lib. 14. cap. 6.

JESU CHR. AN. 527. tembris, post coss. Belisarii anno secundo, Imperii sui undecimo, Dominicæ incarnationis 537. in qua hæc habet. *Palam namque est, quia nunc quidem annum undecimum nostri scribunt Imperii. Inchoante vero Aprili mense* (sequentis anni) *& prima die, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, duodecimum annum scribent*. Hæc de die inaugurationis suæ ad Imperium, ut de his nulla dubitatio esse possit.

Novell. 47. col. 5. tit. 2.

Justinus Imp. obiit. Chron. Alex. pag. 334.

4. Postquam Justinianum in Imperii societatem Justinus admisit, *quarto ab hoc mense, e vita discessit, annis imperatis novem, & mensibus duobus*, & quidem die prima Augusti. Unde auctor chronici Alex., cum dixisset Justinianum die 1. Aprilis coronatum fuisse Mavortio coss., subdit: *Accidit ut Imperator Justinus ex ulcere pedis, quod ex ictu sagittæ in bello contraxit, extingueretur mense Leo: idest Augusti die primo, sub horam diei tertiam, indict. V.* Cyrillus quidem Schytopolitanus scribit eum mortuum die 2. qui fortasse ejus Sepulturæ fuit: die enim primo e vita migrasse Justinum testatur etiam Evagrius; cum itaque Justinus Imperium inierit anno 518. die 9., vel 10. mensis Julii, imperavit annos novem dies 23, solus vero annos octo, totidem menses dies 23.. In Evagrio quoque error, vel mendum corrigi debet, dum ait in universum, tam solus, quam cum collega per annos novem, ac dies tres imperium obtinuit, addendi enim sunt dies 20., qui fortasse duodenarii numeri a librariis per oscitantiam omissi sunt. Annum agebat Justinus 77. ætatis suæ dum obiit, teste chronico Alex. Princeps quidem multarum virtutum, qui Imperium æquitate summa, ac religione ad nonum usque annum administraverat, & quod admirationem auget, Princeps litterarum omnino expers, ita ut Analphabetus dici meruerit, sed naturalis quædam sagacitas ac prudentia litterarum vices mirifice supplevit, quod & Theodorico Italiæ Rege acciderat. De Justino quidem id novum ac inauditum videbatur, donec Procopii historia arcana in lucem prodiret, in qua hæc de eo adnotavit. *Et quod Romanis ante hac non evenit, adeo litterarum expers, & quod dicitur Analphabetus, ut cum sui soleat nominis apices libellis indere Princeps, cum quid imperat faciundum*; per incisas tabulas, quæ primas sui nominis litteras quatuor repræsentabant, eademque tabella libello superposita, calamus attramento, quo utebantur Imperatores, tinctus tradebatur, sicque per tabulæ incisuras

Cyrill. vita Sabæ cap. 68. Evagr. lib. 4. cap. 9.

Procop. hist. arc. cap. 6.

Justinus Analphabetus.

ras paginas subsignabat. Eadem fere de Theodorico refert Anonymus Valesii. *Igitur Rex Theodoricus inlitteratus erat, & sic obruto sensu, ut in decem annos Regni sui, quatuor litteras subscriptionis edicti sui discere nullatenus potuisset. De qua re laminam auream jussit interasilem fieri, quatuor litteras Regis habentem, Theod.; ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam, per eam pennam duceret, & subscriptio ejus tantum videretur.* Nihilominus, ut diximus, etsi illiteratus esset Justinus, per plures annos optime Rempublicam administravit, ex quibus patet pietatem, religionem, prudentiam, magis in Principibus requiri, quam litterarum scientiam.

JESU CHR. AN. 527.

Anonym. apud Valesium in appendice ad hist. Marcellini pag. 669.

Theodoricus Italiæ Rex & ipse illiteratus.

5. Ante quam Justiniani Imperium exordiamur, quod per annos 38. menses aliquot tenuit, quodve magnis rebus gestis nobilitavit; de ejusdem genere, moribus, ingenio nonnulla sunt adnotanda: quem adeo varium in omni vitæ genere fuisse scimus, ut mirum sit in uno homine tantam dissimilitudinem, tamque diversam fuisse indolem; adeo ut & magnis virtutibus eluceret, & maximis vitiis obrueretur, ut res ab eo in Imperio gestæ satis declarabunt. Natus itaque Sabbatio Patre, Matre Biglinsa, Taurensii in Dardania illustri genere, Sabbatium Patrem, Biglinzam Justini sororem Matrem habuit. Annos ætatis suæ 44. Imperatorem ab avunculo fuisse dictum tradit Zonaras, juniorem fuisse Procopius innuit, dum ait admodum juvenem ad Rempublicam gerendam accessisse, ac omnes fere militiæ gradus gessit usque ad magistri militum dignitatem, quod & Fortunatus cecinit. *De Tyrone duces veniunt, de milite Princeps, ut reliquos taceam, Justinianus erat.* Cum vero Justinus liberis careret, ad Imperium obtinendum alebatur, quod, ut supra diximus, hoc anno obtinuit. Cujus ingenium his verbis describit Zonaras: *Fuit hic Imperator aditu facillimus, ad pœnam irrogandam æque promptus, atque ad accusationes audiendas: pecuniam temere profudit, & per fas ac nefas comparavit: aliam in ædificia, aliam ad exequenda consilia sua, aliam in rem bellicam, & contentiones eorum, qui voluntati ipsius aversabantur, insumendo. Ita factum, ut cum pecunia semper egeret, eam rationibus parum honestis compararet, ac gratiam haberet iis, qui colligendi argenti vias ostenderent.* Acres etiam ad pietatem impetus habere videbatur, quod innumeris Edictis testatum

De Justiniani origine, & moribus.

Procop. hist. arcana lib. 1. cap. 6. 9.

Fortun. lib. 10 carm. 25.

Jesu Chr. An. 527.

Procop. de Ædif. Justin. l. 1. cap 7.

Justiniani Imp. jejunia.

reliquit, quibus Ecclesiæ, & Fidei, & disciplinæ consuluit. Quin etiam cultor Religionis adeo vehemens fuit, ut ex jejuniis & vigiliis suis, morbos, & invaletudinem sibi contraheret. Omnibus illis diebus, qui Paschalem solemnitatem præcedunt, jejunio addictus, duram quamdam vitam egit. Per duos dies cibis abstinebat. Summo mane identidem e lecto surgens, Reipublicæ invigilavit, cujus negotia verbo & opere petractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus impendit. Nam in feram noctem lectum petens, mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit. Agrestes dumtaxat erbas, longo tempore, sale & aceto maceratas edebat. Potus aqua erat sola, neque iis ad saturitatem utebatur. Hæc Procopius, qui eadem de Justiniano in historia arcana adnotat; addens hæc in Romanorum perniciem cessisse. Numquam amavit otiosum negotium, potus cibusque illi numquam ad satietatem fuit, sed pene extremis digitis ut dici solet delibatis ferculis, mensam tolli jussit. Quare infrequens ei non erat unum aut alterum diem, noctemque cibo abstinere; præsertim in pervigiliis, quæ Paschalem præcedebant festivitatem, quando biduum brevi aqua, & agresti olere victitans, & horam somno indulgens, reliquum tempus continuis terebat deambulationibus. Quod si rebus insumsisset bene gerendis, pervenisset profecto Respublica ad summam felicitatem; nunc vero his naturæ viribus utebatur ad Romanorum perniciem, illorumque penitus res affligendas: cujus perpetuæ vigiliæ, labores, conatus in eo vertebantur, ut atrocior in dies fieret subditorum calamitas; præsertim cum ad excogitanda scelera, uti addit Procopius, peracri esset ingenio, ad patranda festinus. Hactenus Procopius de jejuniis ac vigiliis Justiniani, qui etsi exaggeratione usus sit; a vero tamen omnino non recessit, ut ex dicendis constabit.

Justinianus in scientiis eruditus.

6. Quantum vero in liberalibus disciplinis excelleret Justinianus, res ab eo gestæ declarant; de studiis Philosophiæ testis est Agapetus Justiniani contubernalis, & ecclesiæ CPolitanæ Diaconus in Parænesi, quam Baronius integram recitat anno 527., ubi num. 12. hæc adnotat: *Nostris temporibus ostensum est prosperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cum vel philosophi regna-*

gnarent, vel Reges philosopharentur. Nam philosophando digni habiti Regno estis, & regnando a Philosophia non descivistis. De musicæ peritia Theophanes refert, Græcum Troparium, idest Hymnum, de Christi Virginitate, & Æconomia ad Ecclesiasticos modulos eum concinnasse, quem Græci canunt inter Missarum solemnia. Architecturam vero ita callebat, ut multorum ædificiorum Iconographias, & Sciographias ipse fecerit, ut narrat Procopius variis in locis, cum de Ædificiis Justiniani agit. Quam exercitatus fuerit in Jurisprudentia, demonstrant Constitutiones & Novellæ ab eo editæ. Procopius in hist. Arcana cap. 14. refert, Justinianum sibi plerumque sumpsisse munus, non solum quæstoris, (quod in eo situm erat, quod is edendarum legum formas componeret, & pleraque in Senatu ore tenus pronuntiaret;) sed etiam: *Judicum, & sententias tulisse: Eorum qui sunt a secretis etiam antiquissimum est Principis arcana scribere, concessum id tamen illis non fuit; sed ipse cum reliqua plane omnia scribebat, tum quæ Magistratus municipiorum sententias ferentes decernere oporteret; nulli in Orbe Romano libera juris dicendi potestate permissa. Sibi omnia imprudenti fastu arrogavit, temperavitque sic judicia, ut alterutro litigatorum audito sententiam diceret, idque judicatum esse vellet.* De Justiniano Imperatore hæc adnotat Isidorus etiam horum temporum scriptor, *Justinianus Imperator quosdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diversas misit Provincias. Condidit quoque & Rescriptum contra Synodum Illyricianam, & adversus Africanos Episcopos, in quo Tria Capitula contendit damnare.* Præterea Eustathius in Vita Sancti Eutychii Episc. Constantinop. apud Bollandum ad diem 6. Aprilis: *Nostris omnes quotquot meministis, quam curiose piæ memoriæ Justinianus in Divinorum dogmatum investigatione, quodque diu noctuque posthabitis omnibus aliis curis, illam unam & solam numquam intermitteret, qua ad disputandum omnes provocabat hæreticos, & rationes in medium proferendas, quibus ille valde prævalebat, cum ut plurimum eos hæreticos probabilibus modo ratiocinationibus, modo demonstrationibus, modo denique Sacrarum testimoniis litterarum confutaret.* Denique Victor Episcopus Tununensis, una cum collegis, se cum Justiniano disputasse tradit in chronico, ad annum hujus Imperatoris 38., his verbis: *Imperatoris ejusdem Musicus, Brumatius, Donatus,*

Jesu Chr. an. 527.

JESU CHR. AN. 527.

tus, & Chrisonius Episcopi de Africa, & Victor, ac Theodorus Episcopus, similiter ex Ægypto ad Urbem Regiam Imperiali præcepto evocantur. Qui dum eidem Justiniano præsentes præsenti, & postea Regiæ urbis Episcopo altercanti, novæ superstitioni resistunt, ab invicem separati, per monasteria ejusdem urbis custodiæ mittuntur. Postremo ipse Justinianus in suo adversus tria capitula edicto hæc habet: *Hæc quidem sufficiebant supra memoratas, & aliis nostris libris insertas probationes, quas protulimus, ostendentes, quod oportet etiam post mortem hæreticos condemnari*. Quare eum omni disciplinarum genere edoctum fuisse extra dubium est. De Theodora Justiniani uxore, quam Augustæ titulo exornavit, & quidem maximo Imperatoris, & Imperii damno, adnotant scriptores, eam ex scena, & meretricio ereptam in thalamum suum ab Justiniano receptam fuisse, de qua in historia arcana, tam fœda exageravit Procopius, ut ea in annales referre jam pigeat. Quæ vero uterque Justinianus scilicet, & Theodora in Imperio gesserint, suo loco, & tempore adnotabimus.

De Theodora Justiniani uxore.

7. Ex Oriente in Gallias transimus, ubi hoc anno Carpentoractense concilium celebrarunt Episcopi duodecim, quibus Cæsarius præfuit, *sub die VIII. idus Novemb. Mavortio Coss.*, ut inscriptio præfert, Unum canonem in eo concilio Patres ediderunt, his verbis conceptum, de oblationibus, quas fideles Parochiis offerunt. *Et ideo quia Carpentoracti convenientes hujusmodi ad nos querela pervenit, quod ea quæ a quibuscumque Fidelibus Parochiis conferuntur, ita ab aliquibus Episcopis præsumantur, ut aut parum, aut prope nihil ecclesiis, quibus collata fuerant, relinquatur: hoc nobis justum, & rationabile visum est, ut si Ecclesia civitatis ejus, cui Episcopus præest, ita est idonea, ut Christo propitio nihil indigeat; quidquid parochiis fuerit derelictum, Clericis, qui ipsis parochiis deserviunt, vel reparationibus Ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si vero Episcopum multas expensas & minorem substantiam habere constiterit, Parochiis, quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantum, quod Clericis, vel sartis tectis rationabiliter sufficiat, reservetur: quod autem amplius fuerit, propter majores expensas, Episcopus ad se debeat revocare: ita tamen ut nihil de facultatula ipsa, vel de ministerio, Clerici loci ipsius licentiam habeant minuendi*. Hactenus concilii canon: admonen-

Concilium Carpentoratense. De oblationibus fidelium canon unicus.

Labb. tom. 4. pag. 1663.

nentur deinde Episcopi de synodo anno sequenti celebranda in Vico Vasensi octavo idus Novemb.

Chlodomiris filii a Patruis occiduntur.

8. Luctuosam tragædiam in Galliis hoc, vel elapso anno peractam ingredimur, cum scilicet Chlotarius, & Childebertus, Chlodomeris demortui fratris Regno inhiantes, fratris filios, nepotesque suos crudeliter occiderunt. Rem gestam sic Turonensis narrat: Childebertus invidia ductus, ac timens ne Crothildis opera ad Regnum nepotes promoverentur, misit clam ad Fratrem suum Chlotarium dicens: *Mater nostra filios fratris nostri secum retinet, & vult eos regno donari; debes velociter adesse Parisiis, & habito communi consilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat: utrum incisa cæsarie, ut reliqua plebs habeatur, an certe his interfectis, regnum germani nostri inter nosmetipsos æqualitate habita dividatur. De quibus ille verbis valde gavisus, Parisios venit: jactaverat enim Childebertus verbum in populo: ob hoc hos conjungi Reges, quasi parvulos illos elevaturos in Regno. Conjuncti autem miserunt ad Reginam, quæ tunc in ipsa urbe morabatur, dicentes: Dirige parvulos ad nos, ut sublimentur in Regno. At illa gavisa, nesciens dolum illorum, dato pueris esu potuque, direxit eos dicens: Non me puto amisisse filium, si vos videam in ejus regno substitui. Qui abeuntes, adprehensi sunt statim, ac separati a pueris, & nutritoribus suis, custodiebantur utrique seorsum pueri, & seorsum hi parvuli. Tunc Childebertus, atque Chlotharius miserunt Archadium, cujus supra meminimus, ad Reginam cum forcipe, atque evaginato gladio. Qui veniens ostendit Reginæ utraque dicens: Voluntatem tuam, o gloriosissima Regina, filii tui Domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas, utrum incisis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari. At illa exterrita nuncio, & nimium felle commota, præcipue cum gladium cerneret evaginatum, ac forcipem, amaritudine præventa, ignorans in ipso dolore quid diceret, ait simpliciter: satius enim mihi est, si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre quam tonsos. At ille parum admirans dolorem ejus, nec scrutans, quid deinceps plenius pertractaret, venit celeriter nuncians ac dicens; Favente regina opus cœptum perficite: ipsa enim vult expleri consilium vestrum. Nec mora, apprehensum Chlotharius puerum seniorem, brachio elisit in terram, defigensque cultrum in axillam crudeliter interfecit.*

Greg. Tur. hist. Franc. lib. 3. cap. 18.

Quo

JESU CHR. AN. 527.

Quo vociferante, frater ejus ad pedem Childeberti prosternitur, adprehensisque ejus genibus, ajebat cum lacrymis, succurre piissime Pater, ne & ego peream sicut frater meus. Tunc Childebertus lacrymis respersa facie ait: Rogo dulcissime frater, ut ejus mihi vitam tua largitate concedas, & quæ jusseris pro ejus anima conferam, tantum ne interficiatur. At ille furore actus, ait, aut ejice a te, aut certe pro eo morieris. Tu, inquit, es inceptator hujus causæ, & tam velociter de fide resilis? hæc ille audiens, repulsum a se puerum, projecit ad eum, ipse vero accipiens transfixum cultro in latere, sicut fratrem prius fecerat, jugulavit: deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Quibus interfectis Chlotharius ascensis equis abscessit, parvipendens de interfectione nepotum: sed & Childebertus in suburbana concessit. Regina vero compositis corpusculis feretro, cum magno psallentio, immensoque luctu usque ad basilicam S. Petri prosecuta, utrumque pariter tumulavit; quorum unus decem annorum erat, alius vero septennis.

Chlotarius, & Childebertus Nepotum Regnum occupant.

9. Sicque Chlotarius, & Childebertus nepotum sanguine adhuc madidi eorum Regnum æqua lance inter se diviserunt. Extabat adhuc Chlodebertus defunctorum frater, quem cum Patrui occidere non potuissent, ut facilius eorum insidias declinaret, tonso capite clericus, deinde Presbyter ordinatus est, ac bonis operibus intentus, ex hac vita migravit, ait Gregorius, cujus memoria idibus Septembris ab ecclesia Parisiensi celebratur, extatque ejus nomine Parisiis insignis Basilica. Chlotildis vero tanto percussa vulnere, *Talem tantamque se exibuit*, prosequitur Turonensis, *ut ab omnibus honoraretur, assidua in eleemosinis, pernox in vigiliis, atque omni honestate pura se semper exibuit: prædia ecclesiis, monasteriis, vel quibuscumque locis sanctis necessaria providit, larga, ac prona voluntate distribuit, ut putaretur eo tempore non Regina, sed propria Dei ancilla ipsi sedulo deservire. Quam non Regnum filiorum, non ambitio sæculi, nec facultas extulit ad ruinam, sed humilitas evexit ad gratiam*, sed de his hactenus.

Chrotildis laudes.

JESU CHRISTI AN. 528. FELICIS IV. PAPÆ 3. JUSTINIANI IMP. 2. ATHALARICI REGIS 3.

1. Insequens annus quingentesimus vigesimus octavus Justiniani Augusti consulatu inscribitur, quo tempore *Tantam vim pecuniæ sparsit, quantam nullus alius Imperator in consulatu sparserat*, ait chron. Alex., sed præclariora sunt, quæ Imperii sui initio gessit, dum editis legibus catholicam fidem, ecclesiæ disciplinam, & Reipublicæ statum sartum tectumque custodire curavit. Sed quæret aliquis, cur Justinianus, cui Imperii cura demandata erat, non solum hoc anno, sed singulis fere, tot leges ediderit, quæ vel ad Fidem, vel ad ecclesiæ Æconomiam pertinent, quorum cura ad Sacerdotes commissa est. At ut ad rem adnotat Annalium parens, multa in ejus excusationem afferri possunt, maxime si consilium ejus intueamur. Cum enim animadvertisset, nullam tunc temporis ecclesiasticorum canonum viguisse observantiam, id sibi arrogandum putavit, quod alias illicitum fuisset, ut plures scilicet leges ederet de personis, rebusque ecclesiasticis, quibus coerceri possent infrænes hæretici, petulantesque schysmatici. Dum ergo eas vulgavit leges, non tam Imperatoria auctoritate agebat, sed tamquam canonum custos & vindex, quæ optimo cuique Principi convenire possunt, hancque sibi mentem fuisse, testatur in rescripto ad Dacianum Concilii Bizaceni Metropolitam his verbis: *Semper nostræ Serenitati cura fuit servandæ vetustatis maxime disciplinæ, quam nunquam contemsimus, nisi ut in melius augeremus; præsertim cum de ecclesiasticis contingit quæstio, quæ Patrum regulis constat definita, immo adventu superni Numinis inspirata, quia constat esse cælitus constitutum, quidquid Apostolica decernit auctoritas*, & infra, *nos tutores sumus vetustatis, & vindices*. Hæc ibi, hisque similia alibi passim; atque utinam tale propositum mente semper tenuisset, non enim imprudens in hæresis barathrum incidisset. Quapropter sobrie modesteque hæc curare Principes christiani debent, ne Justiniani Imperatoris exemplo, dum docendi officium præsumunt, in errorem ruant. Vetus est Regum morbus, inquit Baronius, ut dira istiusmodi prurigine urgeantur, ut appe-

Justiniani munificentia, & leges.

Chron. Alex. pag. 331.

Qua ratione excusetur Justinianus, ob leges ad ecclesiæ statum spectantes ab eo editas.

Bar. an. 528. num. 1.

JESU CHR. AN. 528.

Ambr. ep. 21.

appetant; quæ sunt Sacerdotum. Hinc Ambrosius ad Valentinianum Augustum: *Si*, inquit, *docendus est Episcopus a laico; quid sequatur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat: Episcopus discat a laico. At certe si, vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus; quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?*

De fide catholica Justiniani edictum.

2. His prænotatis, nunc singulis annis gesta adnotamus, & ut a dignioribus exordiamur, hoc anno edictum Justinianus edidit, quo catholicam fidem profitens, hæresesque omnes, præsertim Nestorianam, & Eutychianam damnabat, eorumque sectatores *justæ, & idoneæ animadversioni subjiciebantur*; Cujus edicti initium est: *Cum recta & inculpata religio &c.* ejusque Victor Tunonensis his verbis meminit. *Justiniano Augusto Coss., Orientales ecclesiæ, ejusdem Principis jussione, quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, & Chalcedonensem, præsentibus sacrificiis publica voce suscipiunt.* Hoc pietatis posito fundamento, ut cunctis justitia administraretur, alia lege decrevit, atque Episcoporum curæ id esse voluit, iisque Provinciarum Præsides subesse jussit. *Ex quo nos Deus* (en legis verba) *Romanorum præposuit Imperio, omne habemus studium, universa agere ad utilitatem subjectorum commissæ nobis a Deo Reipublicæ.* Et paulo post: *Si vero dum aliquis adierit Judicem Provinciæ, non invenerit justitiam: tunc jubemus eum adire suum sanctissimum Episcopum; & ipsum mittere ad clarissimum provinciæ Judicem, aut per se venire ad eum, & præparare eum, ut omnibus modis audiat interpellantem, & liberet eum cum omni justitia secundum leges nostras, ut non cogatur peregre de sua Patria proficisci. Si vero etiam sanctissimo Archiepiscopo compellente Judicem, cum justitia determinare interpellantium causas, Judex differat discernere negotium, & non servet litigantibus justitiam; jubemus sanctissimum civitatis illius Episcopum dare ad nos litteras ei, qui non meruerit quod jussum est, insinuantes quia coactus ab eo Judex distulit audire interpellantem, & judicare inter eum, & qui ab eo conventus est. Ut hoc cognoscentes nos, supplicia inferamus Judici Provinciæ, qui interpellatus ab eo, qui injustitiam passus est, & coactus a Sanctissimo Archiepiscopo, non judicaverit, quæ in dubitationem venerunt.* Subjicit iis insu-

Lege 5. Cod. de Summa Trinit.

Episcopi a Justiniano declarantur justitiæ vindices.

insuper, ut quotiescumque Judex suspectus habetur, eamdem ad causam finiendam Episcopus addatur, qui cum ipso definiat: sed etiam ut qui læsum se a Judice queratur, interpellatus ab eo Episcopus causam illam judicare possit; cujus si justæ latæ sententiæ non steterit, novissimis suppliciis affici Judicem jussit. His adjecit, ut si quis plus egerit, quam quæ legibus jussæ sunt sportulæ solvi, de his Episcopi moneant Imperatorem.

De Episcoporum Residentia Justiniani edictum.

3. Lege altera Episcopos nisi Imperiali jussione vocatos ad Regiam urbem transire prohibuit. *Ne ex Episcoporum absentia liturgiæ impedirentur, aut non convenienter curentur, ac ne ecclesiarum consumantur res, tam propter itinerum, quam etiam huc commeantium Sacerdotum, ac comitantium clericorum impensas*. Quod si negotium in Regia urbe habeant, unum, aut duos ex subjectis sibi clericis mittant, qui rem ad Imperatorem per se, vel per CP. Patriarcham, deferant, qui hanc legem violaverit, a Patriarcha si Metropolitanus est, vel a Metropolitano si Episcopus, excommunicatione feriatur, data ea est Epiphanio Regiæ urbis Patriarchæ, Justiniano Aug. Coss. II. hoc anno decimo, Kal. Martias, & post paucos dies Kal. scilicet Martii, alia lege lata ad Arabium Præfectum Prætorio de Episcoporum ordinationibus, ac de bonis ecclesiæ ista sancivit: Ut scilicet, quotiescumque Sacerdotalis sedes vacare contigerit, *decretum fiat ab his, qui eam civitatem incolunt, super tribus personis rectæ fidei, & honestæ vitæ, aliarumque virtutum testimonium habentibus, ut ex ipsis idoneus ad Episcopatum promoveatur*. Insuper is eligatur, qui neque liberos, neque nepotes habeat, pro filiis, & nepotibus pauperes habeat. Neque de rebus ecclesiæ, vel post adeptum Episcopatum acquisitis testandi facultatem habeant. Eadem lege teneantur, & administratores Xenonum, Nosocomiorum, Ptochiorum, Orphanotrophiorum, & Drephotrophiorum, qui & rationes, æque ac ecclesiarum Æconomi reddere debent: Simonia in omnibus vitetur, clerici per se administrent, & per se ipsos psallant nocturna, & matutina, & vespertina officia. *Ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei. Turpe enim est, pro ipsis scriptos, necessitate ipsis inducta psallere. Si enim multi laicoram, ut suæ*

Lege 43. Cod. de Episcopis & clericis lib. 1. tit. 3

Qui ad Episcopatum sint eligendi.

Clerici per se ipsos psallant.

JESU CHR. AN. 528.

animæ consulant, ad Sanctissimas Ecclesias confluentes studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit clericos ad id ordinatos non implere suum munus? Quapropter omnimodo clericos psallere jubemus, & ipsos inquiri a Deo amantissimis pro tempore Episcopis, & duobus presbyteris in singulis Ecclesiis, & ab eo, qui vocatur archos, vel exarchos, & ab ecdico, sive defensore cujusque Sanctissimæ Ecclesiæ: & eos, qui inventi non fuerint inculpate in liturgiis perseverantes, extra clerum constitui. Nam qui constituerunt, vel fundarunt Sanctissimas Ecclesias pro sua salute, & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias: ut per eas debeant sacræ liturgiæ fieri, & ut in illis a Ministrantibus piis clericis Deus colatur.

Justiniani lex adversus raptores.
Lege unica Cod. de raptu virg. lib. 9, tit. 13.

4. Lege altera virginum raptores severissima pœna affecit. *Raptores virginum honestarum, vel ingenuarum, sive jam desponsatæ fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum feminarum, licet libertinæ, vel servæ inventæ sint, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus, & maxime si Deo fuerint virgines, & viduæ dedicatæ, quod non solum ad injuriam hominum, sed etiam ad ipsius Omnipotentis Dei irreverentiam committitur: maxime cum virginitas vel castitas incorrupta restitui non possit &c.*, eademque pœna eos etiam teneri jussit, qui nuptas, vel desponsatas rapuerint, raptamque raptori nubere vetuit, confirmavitque Novella 143., & 150.

Justinianus circum exornat.
Marcell. in chron.

5. Eodem anno, teste Marcellino, Justinianus & ædificiis publicis Regiam exornavit urbem. *Regium vestibulum priscumque in eo solium ob aspicienda probandaque in Circo certamina structum victor Justinianus Princeps, eminentius clariusque quam fuerat, & utramque Senatorum ex more spectantium porticum, solita magnanimitate reintegravit, bonis quidem agitatoribus proemium, ignavis autem severitatem innuens*. Imperii etiam provincias magnificentiæ suæ monumentis exornavit; nam *Suburbanum Siccas prius appellatum, quodque e regione Constantinopoleos situm est, instauravit, ut & ejus theatrum, & muros, concessoque eidem jure civitatis, Justinianopolim noncupavit. Ædificavit etiam pontem, per quem ab opposita regione in felicem urbem transiretur. Absolvit & Balneum publicum, quod prius Imperator Anastasius in Dogilei tractu inchoaverat*, ait chron. Alex.

De aliis ædificiis a Justiniano excitatis.

6. Dum

6. Dum instaurandis ædificiis intentus esset Justinianus, Antiochia, quæ biennio elapso terræmotu concussa fuerat, quæque Euphemii diligentia, surgere inceperat, nova concussione atteritur. Hujus cladis meminit Evagrius. *Elapsis triginta mensibus, terræmotibus Antiochia denuo quassatur; quo quidem tempore, tum Theophilis pro Antiochia noncupata fuit, tum aliis rebus Imperatoris providentia locupletata.* Adfuit miseris civibus Dei protectio, ne penitus ea strage subrueretur: *Unusquisque enim civium Christi nomen pro foribus inscribens, eo modo terræmotum dispulit; cum Deus religioso cuidam homini oraculo hæc verba foribus inscribere præcepisset: Christus nobiscum state*, ait Nicephorus, & cum eo Cedrenus, & Miscellæ auctor. Hinc factum, ut Theopolis nomen Antiochiæ datum fuerit, quo nomine in constitutionibus Justiniani deinde appellatur, scilicet civitas Dei, eo quod per eam inscriptionem foribus appositam, velut agni sanguine, quo Hæbrei in Ægypto fores asperserunt, ab extremo eoque imminenti excidio, quamplurimi evaserint. Diuturna tamen nequaquam fuit Antiochensium civium prosperitas. Nam sub eodem Imperatore Justiniano, sub quo omnia ubique in tutum esse videbantur, cum & longe positas, a fortissimis possessas barbaris Provincias Romano recuperasset Imperio, ipsa civitas ab irruente Cosrhoe Persarum Rege capta, & incendio tradita est. Ut plane cognitum sit, haud fuisse satis mutasse nomen, & ex Antiochia Theopolim appellari, nisi & morum esset subsecuta correctio; quin majorem Dei provocant iram, si sub sancto nomine iniquitas nutriatur.

Jesu Chr. an. 528.

Antiochia terræmotu iterum concutitur.

7. Quæ sunt reliqua hujus anni prosequamur. Felix quartus Pontifex, epistola ad Cæsarium Arelatensem data, ejus sententiam confirmavit, de laicis ad Sacerdotale officium non promovendis, nisi post legitimam probationem. *Legi quod inter fraternitatem vestram est constitutum non licere ex laica conversatione ad officium Sacerdotale ante probationem temere promoveri, de qua re etiam ad nos pervenit opinio, aliquos post ordinationem ad vitæ sæcularis mores fuisse transgressos. Et licet sit talis nefanda præsumptio, plus tamen est periculosa neglectio. Qui enim potest venienti malo resistere, & hoc dissimulans fieri permittit, ipse magis mali auctor operis approbatur. Nemo itaque &c.* Deinde post plurima: *Sit in omni-*

Felicis 4. Papæ epist. ad Cæsarium Arelat.

De laicis cito non promovendis.

JESU CHR. AN. 529.

1. Tim. 3.

omnibus Clericis, & in his maxime, qui sunt ad Sacerdotia deligendi, apostolicæ monitionis eloquium, qui ait: Oportet & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. *Quapropter communi consensu, sub observatione venerabilium canonum, ordinandum eligite Sacerdotem; ut & de nostra simus salute soliciti, & illorum utilitatibus consulamus, qui fuerint ad hunc ordinem diligenter adsciti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data III. Nonas Februarias post Consulatum Mavortii viri Clarissimi.* Hanc epistolam auctori suo restituit ex Arelatensi Codice Sirmondus; quæ hactenus Felici 3. adscribebatur, data postCss. VC. Boetii, quando adhuc Cæsarius monachus erat, qua falsa inscriptione deceptus Baronius, aliiqui anno 448. eam retulerunt.

JESU CHRISTI AN. 529. FELICIS PAPÆ 4. AN. 4.
JUSTINIANI IMP. 3. ATHALARICI REGIS 4.

De Arausicana synodo.

1. Annus quingentesimus vigesimus nonus Decii junioris consulatu insignitus, illustria gesta, scituque dignissima exhibet. Ut a dignioribus exordiamur, Arausicana synodus secunda hoc anno habita est, qua Semipelagiana hæresis, quæ in Gallicanis provinciis hactenus grassata fuerat, prostrata tandem cecidit, Romanæ etiam ecclesiæ gladio percussa, dum Felix quartus Romanus Pontifex capitula quædam, ac sententias S. Augustini de divina gratia, & libero arbitrio ad Cæsarium transmisit, deinde Bonifacius secundus, Felicis successor, epistola sua eamdem synodum confirmavit; sed singula prout gesta sunt, videamus. Hanc autem Arausicanam synodum hoc anno celebratam fuisse Cæsarii subscriptio indicat. *Cæsarius in Christi nomine Episcopus, constitutionem nostram relegi & subscripsi: not. sub die V. nonas Julias, Decio juniore VC. Coss.*

Liberii Patricii elogium.

2. Arausici convenerant Episcopi plurimi, & illustres viri ad dedicationem ecclesiæ, quam Petrus Marcellinus Felix Liberius Præfectus Prætorii Galliarum, atque Patricius extruxerat, vir moribus illustrior, quam dignitate, de cujus laudibus extat Theodorici epistola ad urbis Romæ Senatum, dum Venantium ejus filium Domesticarum Comitem creavit. Eidem Liberio scripsit Athalaricus, ut Romanos, & Gothos in

Cassiod. variar. lib. 2. epist. 16., & lib. 8. epist. 6.

in Galliis versantes ad fidelitatem Regno suo servandam, jurejurando hortaretur. Extant etiam Ennodii epistolæ quamplurimæ ad eumdem. Hic primum sub Odoacre adversus Theodoricum fideliter militaverat. Eo devicto sub Theodorico summis togæ, militiæque honoribus perfunctus, multa in Italia, & Gallia cum laude gesserat, eademque sub Athalarico, deinde Theodati Regis legatus ad Justinianum Imperatorem, tandem ab ipso Justiniano militaribus copiis adversus Gothos in Italia præfectus. Arimini obiit, sepultusque est cum hac inscriptione, quam ex Petro Pithæo refert Baronius, his versibus.

Humano generi natura creatrix
Hanc dedit, ut tumuli membra sepulta tegant.
Liberi soboles, matri, patrique superstes
Triste ministerium mente dedere pia.
Hic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna;
Nam durat titulis nescia fama mori.
Rexit Romuleos fasces currentibus annis,
Successu parili Gallica jura tenens.
Hos non imbelli pretio mercatus honores,
Sed pretio majus detulit alma fides.
Ausoniis Populis Gentiles rite cohortes
Disposuit, sanxit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente Pater toto venerabilis ævo;
Ter denis lustris proximus occubuit. (vel Ter senis.)
O quantum bene gesta valent? Cum membra recedunt,
Nescit fama mori: lucida vita manet.

Liberius itaque, cum a lœthali vulnere, quo vita periclitabatur, sanitatem obtinuisset, Arausici ecclesiam extruxerat, quo convenerant, non solum sacri Antistites, sed etiam nobilissimi viri. Hac occasione utens S. Cæsarius, acceptis a Felice Romano Pontifice de divina gratia quibusdam sententiis SS. Patrum, ac præcipue a S. Augustino desumptis, quibus Semipelagianorum hæresis confodiebatur, his inquam armis instructus Cæsarius eidem hæresi bellum indixit, ut ex synodi Præfatione constat. *Cum ad dedicationem basilicæ, quam Illustrissimus Præfectus, & Patricius filius noster Liberius in Arausica Civitate fidelissima devotione construxit; Deo propitiante, & ipso*

Cæsarii vita lib. 1. cap. 5.

JESU CHR. AN. 529. *& ipso invitante convenissemus, & de rebus, quæ ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio; pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio per simplicitatem minus caute, & non secundum fidei catholicæ regulam, sentire velint. Unde id nobis, secundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apostolicæ, justum ac rationabile visum, ut pauca Capitula ab Apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis patribus de sanctarum scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos eos, qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus; quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.*

3. Quæ autem de divina gratia, ac libero arbitrio Romanæ ac catholicæ ecclesiæ sententia esset, canonibus octo ab ea acceptis declarat. 1. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, idest secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus est. 2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ; per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. 3. Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant*. 4. Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas a Domino*, & Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. 5. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium Fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo

in

in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, ideft per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur, beato Paulo dicente: *Confidimus quia qui cœpit in nobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi &c.* iterum *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt. 6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* &: *Gratia Dei sum id quod sum.* 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, ideft evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere*: & illud Apostoli: *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 8. Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater

Philip. 1.
Ephes. 2.
Cor. 4. & 5.
Joan. 15.
2. *Cor.* 3.

JESU CHR. AN. 529. attraxerit. Hactenus Arausicanæ synodi canones, quibus contraire sine fidei dispendio nemo potest. Nihil igitur præter ea (addit Cardinalis Baronius) sibi vindicet novitas, & præsumptio humana præsumat. His addidere Patres alias sententias ex Patribus, & præcipue ex Augustino desumptas, quibus magis magisque Semipelagiana hæresis confutatur, inter quas toto orbe celeberrima ea est, cap. 22.. De suo neminem habere nisi mendacium, & peccatum, ex S. Augustino desumpta tractatu quinto in Joannem, ac ab ejus discipulo S. Prospero adoptata, carm. de ingratis 323.

Synodus Valentina. 4. Cum autem nonnulli adversus Arausicanæ synodi decreta obmurmurarent, ad retundendam Semipelagianorum audaciam, alteram synodum indixit Cæsarius, Valentinam scilicet, ut numerosioribus suffragiis doctrina catholica confirmaretur. Hoc vel sequenti anno eadem celebrata est, ad eamque Sanctus Cæsarius valetudine detentus adesse non potuit, sed ejus vices gessit Cyprianus Tolonensis Episcopus, de quibus hæc auctor vitæ Cæsarii. *Multi quidem æmuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ, de gratia prædicanti. Sed o felicitas æmulanda! Etenim susurris, & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis frustra sinistra suspicio. Ob hoc Antistites Christi ultra Isaram consistentes charitatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt, ubi etiam beatus Cæsarius infirmitatis causa solicitans, sicut disposuerat, properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de Episcopis cum Presbyteris, & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tolonensis Episcopus Antistes magnus, & clarus enituit, omnia, quæ dicebat de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus &c.. Quorum intentionibus vir Dei Cæsarius dedit veram, & evidentem ex traditione Apostolica rationem. Nam beatæ mem. Bonifacius Rom. Ecclesiæ Papa, eadem colluctatione comperta, calcata intentione jurgantium prosecutionem Sancti Cæsarii Apostolica auctoritate firmavit.*

Boll. die 27. Augusti to. 4. concil. p. 1678.

Bonifacii 2. epist. ad Cæsarium. 5. Hujus synodi Baronius non meminit, neque epistolæ Bonifacii 2. ad Cæsarium, qua canones de divina gratia in Arausicana, & Valentina synodo editos confirmavit; nondum

dum enim ea epistola lucem aspexerat. Ut igitur quæ his synodis de divina gratia, & libero arbitrio definita erant, omnimodam firmitatem, ac inviolabilem observantiam obtinerent, ab Apostolica Sede voluit ea confirmari Cæsarius; quamobrem per Armenium Presbyterum, & monachum litteras suas, una cum epistola cujusdam Sacerdotis Galli ad se missa Semipelagiana lue aspersa, ad Felicem quartum misit, sed Armenii adventus Romam contigit, cum Felix e vivis abierat, ejusque locum tenebat Bonifacius 2., qui Cæsarii acceptis epistolis, fide, doctrinaque ejus laudata, Semipelagianorum damnatis erroribus, ad eum his verbis rescripsit. *Per filium nostrum Armenium Presbyterum & Abbatem litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos ut apparet, inscius adhuc sacerdotii mihi commissi, sub ea qua in Deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras postulandum, ut id quod a beatæ recordationis decessore nostro Papa Felice pro catholicæ fidei poposceras firmitate; mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, a nobis potius impetrares: petitioni tuæ quam laudabili fieri solicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim, quod aliqui Episcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ, & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans, ut pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, qua vos e diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus. Atque ideo, cum de hac re multi Patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri Apostolicæ Sedis Antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici; maxime cum secundum eas, quas ex Apostolo direxisti sententias, quibus dicit:* Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem; *& alibi:* Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro eo patiamini; *evidenter appareat fidem,*

JESU CHR. AN. 529.

Tom. 4. pag. 1687.

1. Cor. 7.
Philip. 1.

JESU CHR. AN. 529. *dem, qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ; non ex humanæ potestate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt fidem, qua in Christo credimus, gratia divinitatis præveniente conferri: adjicientes etiam, nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia, aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: Sine me nihil potestis facere. Certum est enim atque Catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos adhuc misericordia divina præveniat, ut velimus; insit nobis cum volumus; sequatur etiam ut in fide duremus &c.*, quod etiam multis auctoritatibus sacræ scripturæ confirmat. Data 8. Kal. Februarias, Lampadio, & Oreste viris clarissimis Consulibus, idest anno sequenti, ex qua Felicem quartum Pontificem hoc anno mortuum, eique Bonifacium successisse contendunt Holstenius in serie chronologica Rom. Pontificum, & Card. Norisius. Sed cum omnia Anastasii exemplaria, catalogique Romanorum Pontificum, annos quatuor Felici tribuant, & duos Bonifacio, hinc eam consularem notam vel adscititiam esse, vel corruptam, legendumque postCoss., cum Pagio, aliisque dicimus, eamque epistolam anno 531. a Bonifacio scriptam credimus, cujus ordinationem anno sequenti narrabimus.

Fides, & cetera bona ex gratia non ex natura proveniunt.

Noris. hist. Pelag. cap. 23.

6. Carpentoratensi synodo anno superiori habita, indicta fuerat Vasensis celebranda *octavo idus Novembris*, hujus anni, cui adfuere Episcopi undecim una cum Cæsario Præside, cui in hunc modum subscripsit: *Cæsarius in Christi nomine Episcopus, chartulam hanc definitionis nostræ relegi, & subscripsi. Nota sub die nonas Novembris, Decio juniore VC. Consule*. In ea primum Episcopi gratias Deo agunt, eo quod relectis Patrum regulis, neminem eas ignorasse, aut violasse constabat, ne vero sine aliqua definitione e sancta Congregatione discederent, canones quinque condiderunt. Quorum primo cautum est, ut presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, juniores Lectores in domum suam recipiant, ac in lege Domini, & divina Psalmodia erudiant. Sic ædes Parochorum erant Ecclesiastica seminaria, eamque ex Italia saluberri-

Synodus Vasensis.

Tom. 4. pag. 1681.

berrimam disciplinam acceperant Gallicani Episcopi. Secundus Canon permisit, non solum civitatum, sed etiam Parochiarum, idest, ruris Presbyteris, ut in Ecclesiis suis verbum divinum prædicarent: si vero Presbyter infirmitate præpeditus, per se ipsum prædicare non posset, ut Sanctorum Patrum Homiliæ a Diaconis recitarentur, jubet. Tertius Canon statuit, ut Kyrie eleison ad Matutinum, ad Missas, & ad Vesperam dicatur: & Sanctus in omnibus Missis, sive matutinis, sive Quadragesimalibus, sive pro Defunctorum commemoratione, dicatur eo ordine, quo in Missis publicis, & solemnibus dicebatur. Quartus Canon nomen Domini Papæ, qui Sedi Apostolicæ præfuerit, in Ecclesiis, recitari jubet. Quintus, sicut erat in principio post Gloria Patri, dicendum esse statuit. Hactenus canones Vasensis synodi.

De bello a Regibus Francorum adversus Hermenefridum gesto.

7. Antequam Gallia excedamus, de bello his temporibus a Theodorico, & Clotario, Clodovei filiis gesto, adversus Hermenefridum Thuringiorum Regem addenda sunt aliqua, de quibus præter Gregorium Turonensem agunt Procopius, & Aimonius. Mortuo Theodorico Italiæ Rege, cujus potentia fovebatur Hermenefridus Thuringiæ Dux, qui ejusdem Regis neptem uxorem duxerat, ut ad eum datæ epistolæ indicant, Theodoricus, & Clotarius Francorum Reges Thuringiam invadunt, fugatoque Hermenefridi exercitu, & ad internecionem deleto, ipsum, data fide, ad se securum venire Theodoricus jussit. *Dum autem quadam die per muros civitatis Tublacensis confabularentur, a nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram corruit, ibique spiritum exhalavit. Sed quis eum inde dejecerit, ignoramus: multi tamen asserunt Theodorici in hoc dolum patuisse*, ait Gregorius. Ex ea victoria Clotarius captivam duxit Radegundam, filiam Bertharii Regis Hermenefredi Fratris, quam postea uxorem duxit, quæque sanctitate magis, quam Regno illuxit.

Cassiod. lib. 4. epist. 1.

S. Radegundæ origo, mores, & nuptiæ cum Clothario.

8. De Radegundæ ortu, moribus, & gestis hæc narrat Fortunatus. *Beatissima igitur Radegundis natione barbara, de regione Thuringa, Ævo Rege Basino, patruo Hermenefredo, patre rege Berethario; in quantum altitudo seculi tangit; regio de germine orta, celsa licet origine, multo tamen celsior fuerat actione. Quæ dum cum suis summis parentibus brevi mansisset tempore, tempestate barbarica, Francorum victoria regione vastata, vice Israelitica exiit, & migrat de*

pa-

JESU CHR. AN. 529. *patria. Tunc inter ipsos victores, cujus esset in præda regalis puella, fit contentio de captiva; & nisi reddita fuisset transacto certamine, in se reges arma movissent; quæ veniens in sortem regis Clotarii, in Veromandensem ducta Ateitas villam regiam nutriendi causa custodibus est deputata. Quæ puella inter alia opera, quæ sexui ejus congruebant, litteris est erudita; frequenter loquens cum parvulis, si conferret sors temporis, martyr fieri cupiens. Indicabat adolescens jam tunc merita senectutis, obtinens pro parte quæ petiit. Denique dum esset in pace florens Ecclesia, ipsa est a domesticis persecutionem perpessa. Sed adhuc teneræ ætatis Deo dicata puella id agere studii habebat, ut quidquid sibi remansisset edulii, collectis parvulis, eorumque capitibus mundatis, ipsa inferebat: ipsa miscebat infantulis*, religionis etiam officia edidisse adnotat. *Suessionis cum eam direxisset, ut reginam erigeret, illa evitabat pompam regalem, ne seculo cresceret; sed cui debetur etiam humana gloria, non mutatur. Nupsit ergo terreno Principi, non tamen separata a cœlesti. Ac dum sibi accessisset secularis dignitas, plus se inclinavit voluntas, quam permittebat dignitas, subdita semper Deo, sectans monita Sacerdotum, plus participata Deo, quam sociata conjugio. Illo vero sub tempore tentamus patefacere de multis pauca, quæ gessit*; largas deinde eleemosinas, quas pia Regina pauperibus distribuebat, enarrat, quibus etiam manibus suis inservire non dedignabatur. Hæc de Radegundæ virtutibus delibasse sufficiat, quæ fusius in ejus vita, a Fortunato primum, deinde a Baudonivia moniali narrantur. Quomodo autem a Rege dimissa, ad monasticam transierit vitam, eamque propagaverit, suo loco dicemus.

S. Benedictus Casinum petit. 9. Nunc ad aliud monasticum institutum, ejusque institutorem oratio convertitur, & una cum S. Benedicto e Sublacensibus saltibus Casinum migrare juvat, ubi prostratas profanæ superstititionis reliquias, iisque superstructas sacras ædes, adolescentem ordinem toto orbe venerandum, fusa oracula, miracula edita, ac demum Regulam Sanctam divino afflatu scriptam licebit intueri. Migrationis causam paucis accipe. Post edomitos intestinos hostes, vir sanctus, quasi securus sui, atque intima pace gaudens, sibi suisque alumnis intendebat animum; & desertis, qui sibi mortem propinare voluerant, adulterinis monachis, docilem piorum filiorum gregem

gem apud Sublacum lætus pascebat: cum inimica virtuti invidia novum ipsi] bellum, novasque insidias per Florentium quemdam struxit. Invidiæ materiam forte præbuere facta admiranda, quæ per Benedictum iis in locis edita, omnium ora, oculosque in eum convertebant. Nam, ne superiora repetamus, ad ejus imperium Maurus, Placidum puerum ex imminenti periculo erepturus, siccis pedibus super lacum accurrit: quod etsi Benedictus discipuli obedientiæ tributum volebat, magistri tamen benedictioni, ac meritis Maurus, assentientibus universis, adscripsit: narrantur hæc, aliaque miranda, quæ ibidem gesserat, a S. Gregorio Magno libro Dialogorum in vita S. Benedicti. Cum itaque S. Benedicti fama undique clarescceret, multique idem vitæ genus amplectérentur, Florentius quidam vicinæ ecclesiæ presbyter, invidiæ stimulis actus, venenatum panem pro benedictione Benedicto misit. quem vir Dei acceptum cum gratiarum actione, non ignorans pestem, quæ in eo latebat, per corvum, qui statis in dies horis ad eum annonæ causa accedere solitus erat, longius asportari jussit. Florentius vero sua spe frustratus, ad aliud nequitiæ genus se convertit; & quia magistro corporalem vitam adimere non potuit, discipulorum animas perdere instituit, ac puellas in monasterii hortum immisit, quæ obscænis nutibus ac signis spectantium oculos ad libidinem inflammarent. Quod ubi vir Sanctus animadvertit, de animarum sibi commissarum profectu aut detrimento sollicitus, paucis secum assumptis monachis, Sublaco recessit, ac inde excedens Benedictus, ad Casini montis juga pervenit, ubi cum profanæ gentilitatis Delubra, Aras, lucosque invenisset, accolasque insanis ritibus adhuc addictos; lustrato monte, vir Sanctus Fanum Appollinis evertit, contrivit idolum, subvertit aram, succidit lucos, ubi infidelium insana multitudo sacrilegis ritibus usque dum inserviebat, atque in ipso templo Apollinis (Gregorii verba sunt) *Oraculum seu oratorium Beati Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum S. Joannis construxit, & commorantium circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat*. Erectis templis, ad monasterii ædificationem manum admovit, collaborantibus alumnis, qui eversæ gentilitatis rudera in monasterii fabricam convertebant. Frendebat interea humani generis hostis, quod Regno suo cedere cogebatur, nul-

Greg. Dialog. lib. 2. Dialog. cap. 6. 7. sequentibus.

Florentius Presbyter Benedicto insidiatur.

S. Benedictus Casinense monasterium ædificat.

Jesu Chr. An. 529. nullumque non movebat lapidem, ut ſurgentia ædificia prohiberet. Verum omnes ejus artes ludebat pius artifex, & vires precibus ſuis, ac nutu infringebat. Ut pluribus narrat auctor vitæ Sancti Benedicti. Sic invito dæmone, fabrica tandem ad cumulum perducta eſt, ea ſimplicitate, quæ monachos, nonniſi cæleſtem patriam aſpirantes, deceret; ea opportunitate, quæ religioſis conveniret exercitiis; eo denique ſeceſſu, qui ſæculares ſic arceret a conſuetudine monachorum, ut tamen hoſpites admitteret, ac peregrinos, & quod mirum eſt, non alio architecto, quam Benedicto, non aliis fere artificibus, quam Monachis abſoluta fuit.

De regula S. Benedicti.

10. Sancti viri in Caſinum montem adventus jam inde a multis ſœculis anno 528., aut 529., alligatur, ait Mabillonius, qui de ſcripta per S. Benedictum regula ſubdit. Confluentibus undequaque diſcipulis, cum multitudo hæc coaleſcere in unius ſocietatis corpus nulla re, præterquam legibus ac certis ritibus, poſſet, Regulam præſcripſit Benedictus, quæ ita a poſteris probata fuit, ut Gregorio teſte a Patribus, & Conciliis, Sancta atque eodem Spiritu, quo Sacri Canones, condita haberetur. Hæc nullo diſcrimine quoſvis admittit, pueros, adoleſcentes, adultos; pauperes æque ac divites, nobiles, & ignobiles, ſervos & ingenuos, doctos pariter & litterarum expertes, laicos, & Clericos. Pueros oblatio Parentum; monachos adultos ſua uniuſcujuſque profeſſio faciebat. Serius, nec ante ſæculum undecimum admiſſi fratres illi, quos converſos vocamus, ſolis externis addicti miniſteriis: cum alias converſi dicerentur adulti quique, qui ad profeſſionem monaſticam matura ætate accedebant: *In regulam proinde peccant illa monaſteria*, adnotat Mabillonius, *quæ nonniſi nobiles admittunt, excluſis aliis, qui ſunt ſervilis aut inferioris conditionis. Grave hoc delictum vocat Auguſtinus in hæc verba: Nunc veniunt plerumque ad hanc profeſſionem ſervitutis Dei, & ex conditione ſervili: vel etiam liberti, vel propter hoc a Dominis liberati ſive liberandi, & ex vita ruſticana, e plebejo labore, tanto utique felicius, quanto fortius educati: qui ſi non admittantur, grave delictum eſt. Multi enim ex eo numero vere magni, & imitandi extiterunt; nam propterea infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia, & ſtulta mundi elegit, ut confunderet Sapientes; & ignobilia mundi, & ea quæ non ſunt, tanquam ſint,*

In regulam S. Benedicti peccant, qui nonniſi nobiles admittunt. S. Auguſtini ſententia.

sint, ut ea quæ sunt evacuentur: ut non glorietur omnis caro coram Deo. Hactenus ex Augustino, quæ vice commentarii esse possunt in hunc regulæ nostræ locum. Cetera quæ ibidem de puerorum institutione, de monachorum habitatione, victu, vestitu, psalmodia, lectione, manuum operibus, aliisque exercitationibus adnotat, brevitatis studio, consulto prætermimus, quæ copiosius exposita apud eum, vel apud Calmetium, qui eamdem regulam commentariis exornavit, videri possunt.

Monachismus propagatur.

11. At quis Dei consilium summopere non admiretur, dum considerat, eodem ferme tempore, quo in Oriente Monachismus magna ex parte collapsus esset, compluresque ex iis a Fide catholica ad diversos hæresum errores deficientes, alii vero a vetere instituto in delicias prolapsi essent: eodem inquam tempore in Occidente instauraretur, atque longe lateque diffunderetur observantia monasticæ disciplinæ. Unde temporis lapsu, veluti ex tenui surculo exortæ sunt frugiferarum arborum silvæ, quæ universam repleverint Occidentalem Ecclesiam; extiteritque locuples seminarium, ex quo plurimi progressi sint sanctissimi diversarum Ecclesiarum Episcopi; nec defuerint ex iis, qui in throno Apostolico considentes, universam Catholicam Ecclesiam, cum vehementiores urgerent fluctus, sanctissime gubernarint; progressique ex eodem monachorum ordine, qui Apostolico munere complures barbaras nationes, Christi jugum ferre impatientes, tandem ad christianam Fidem sponte capessendam converterint; prodierintque alii, qui ob suscepta pro Christi Religione certamina, victoriam consecuti sunt ac coronam martyrii: prætermimus modo illos, qui sacrarum rerum scientia nobiles inter Scriptores Ecclesiasticos floruere; nec numeramus ea, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum: sicut nec facile sit recensere, quot ex hoc uno fonte immensa sint derivata agmina monachorum, qui ex benedictina propagine exorti, licet diverso nomine in Ecclesia Dei circumamicta varietate vocentur, instituti tamen se esse S. Benedicti, & ab ipso progredi glorientur.

Nicetius Trevirorum Episcopus ordinatur.

12. Nunc alterum monachum sanctitate illustrem adeamus, qui e monastica cellula ad Episcopalem cathedram evectus est. Is est Nicetius, quem Theodoricus Francorum

 Rex

JESU CHR. AN. 529. Rex in Trevirensem Episcopum eligi curavit, multis quidem titulis Episcopatu dignus, sed præcipue Sacerdotali constantia, & libertate, qua viros Principes, aut potentes arguebat, unde cum regio psalmista dicere poterat: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*. Cujus res gestas ex Aradio Abate, & Nicetii discipulo narrat Gregorius Turonensis. Cum itaque a parentibus primum in litteris eruditus fuisset, postea Abbati cuidam commendatus est. In Monasterio autem ita se devotum Deo exhibuit, ut migrante Abbate ipse succederet. Jam vero assumpto Abbatis officio, tantum se talemque ad instructionem atque districtionem fratrum exhibuit, ut non modo agere, verum etiam nulli liceret aliquid vel loqui perverse, iis quippe dicebat cavenda est scurrilitas, dilectissimi, & omne verbum otiosum, ut sicut corpus omne purum exhibere debemus Deo, ita etiam & os non ad aliud aperire, nisi ad laudem Dei &c.. Rex autem Theodoricus eum magno honore habebat, eo quod sæpius vitia ejus cum libertate arguerat, ob hanc itaque gratiam, decedente Trevericæ Urbis Sacerdote, eum ad Episcopatum jussit accersiri: accedente itaque consensu populi, ac decreto Regis ad ordinandum summo honore adducebatur. *Verumtamen, cum propinqui ad urbem cadente sole fixis tentoriis mansionem pararent, illi confestim laxatos equos, per segetes pauperum dimiserunt, quod cernens beatus Nicetius, misericordia motus ait: expellite quantocius equos vestros a segete pauperis, alioquin removebo vos a communione mea: at illi indignantes dixerunt, quænam est hæc causa quam loqueris? adbuc enim Episcopalem apicem non es adeptus, & jam excommunicationem minaris? & ille, vere (inquit) dico vobis, quia destinavit Rex, ut me avulsum a Monasterio huic oneri consecrari juberet, fiet quidem voluntas Dei, nam Regis voluntas in omnibus malis me obsistente non adimplebitur: tunc cursu rapido abiens ejecit equos a segete, & sic cum admiratione hominum illorum ad urbem deductus est: non enim honorabat personam potentis, sed Deum tantum, & in corde, & in operibus metuebat*. At hæc etsi levia videri poterant, maximi tamen ponderis a prudentibus existimata fuerunt. Quomodo enim passurus esset a potentibus opprimi personas pauperum, qui nec segetem a jumentis depasci permisit. Hæc aliaque de eo Gregorius, de cujus

gestis

gestis non semel sermo redibit, quem etiam suis versibus Fortunatus celebravit, uti aqud Nicolaum Hothein in hist. Trevirensi Tom. 1. videre est. Jasu Chr. an. 529.

13. Nunc in Oriente gesta hoc anno videamus, quo Justinianus Imperator æternæ memoriæ nomen suum dicavit, edito novo legum Codice, quem Justinianeum hactenus dicimus. Codicis emendationi anno proximo præfecerat viros decem, prudentia, & dignitate illustres, Joannem scilicet Patricium consularem virum, & exquœstorem, Leontium Magistrum militum ex Præfecto prætorio, Phocam Patricium & magistrum militum, Basilidem Patricium expræfectum prætorio Orientis, Thomam exquœstorem sacri Palatii, Tribonianum magistrum officiorum, Constantinum Comitem sacrarum largitionum, Theophilum Comitem sacri consistorii, Dioscorum, & Præsentinum judices togatos sacri Prætoriani, ac edita constitutione ad urbis Senatum hæc præfatus est. *Hæc quæ necessario corrigenda esse multis retro Principibus visa sunt, interea tamen nullus eorum ad effectum ducere ausus est: in præsenti rebus donare communibus auxilio Dei Omnipotentis censuimus, & prolixitatem litium amputare, multitudine quidem Constitutionum, quæ tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, atque Theodosiano continebantur, illarum etiam, quæ post eosdem Codices a Theodosio divinæ recordationis, aliisque post eum retro Principibus, & a nostra etiam Clementia positæ sunt, resecanda: uno autem Codice sub felici nostri nominis vocabulo componendo, in quem colligi tam memoratorum trium Codicum, quam Novellas post eos positas Constitutiones oportet. Ideoque ad hoc maximum, & ad ipsius Reipublicæ sustentationem respiciens opus efficiendum, elegimus tanto fastigio laborum, tantæque solicitudini, Joannem virum excellentissimum, exquæstorem nostri Palatii, consularem atque Patricium.* Decemviri suo perfuncti munere, emendatum Codicem hoc anno Imperatori obtulerunt. Is vero 7. idus Aprilis, Mennæ Præfecto prætorio ex præfecto urbis CP., ac Patricio mandavit, *ut ad omnium populorum notitiam edictis propositis pervenire faciat, ipso etiam textu Codicis in singulas provincias Imperio subjectas mittendo; omnia enim, quæ iis mandavimus* (decemviris scilicet) *cum sedula, & pervigili industria* (verba sunt rescripti) *moderataque digestione, cum Dei auxilio ad prosperum tulerunt terminum,*

Justiniani lex de Codicis correctione.

Lege 1. de novo Cod. faciendo.
Justiniani lex de Codicis confirmatione.

JESU CHR. AN. 529.

num, & eumdem novum Justinianeum Codicem nobis obtulerunt ita compositum, ut & rebus profuturus esset communibus, & nostro convenisset imperio. Hunc igitur in æternum valiturum judicio tui culminis intimare perspeximus, ut sciant omnes tam litigatores, quam disertissimi advocati, nullatenus eis licere de cætero Constitutiones ex veteribus tribus Codicibus, quorum jam mentio facta est, vel ex iis, quæ Novellæ Constitutiones ad præsens tempus vocabantur, in cognitionalibus recitare certaminibus, sed solum eidem nostro Codici insertis Constitutionibus necesse uti: falsi crimini subdendis his, qui contra hoc facere ausi fuerint: Cum sufficiat earumdem Constitutionum nostri Codicis recitatio, adjectis etiam veterum juris interpretatorum laboribus ad omnes dirimendas lites, nullaque dubitatione emergenda, vel eo quod sine die & Consule quædam compositæ sunt, vel quod ad certas personas rescriptæ sunt: cum omnes generalium Constitutionum vim obtinere procul dubio est. Sed & si quæ earum Constitutionum detractis, vel additis, vel permutatis certis verbis (quod & ipsum prædictis excellentissimis viris specialiter permisimus) compositæ sunt: nullis concedimus ex libris veterum juris interpretatorum aliter eas habentes recitare, sed solam juris interpretatorum sententiam commendare: ut tunc teneat, cum minime adversetur ejusdem nostri Codicis Constitutionibus.

De Codicibus antiquis.

14. Circa Constantini tempora duo Codices emerserant, Gregorianus, & Hermogenianus: qui etsi temporum injuria interciderint, eorum tamen etiamnum rara quædam fragmenta supersunt. In utrumque Codicem relatæ fuerant Imperatorum Constitutiones ab Hadriano Imperatore usque in Tetrarchiam Diocletiani. Gregorius, & Hermogenes eorum Conditores Gentiles fuere, eamdemque operam executi fuerant ita ut alter alterius operæ & industriæ aliquid adjecisse videatur. Ad utriusque exemplum, seculo ferme post integro, Codex Theodosianus editus est; in quem conjectæ Imperatorum Christianorum Constitutiones; a Constantino Magno videlicet, qui primus ex Imperatoribus Christianam Religionem amplexus est. Justinianus nonaginta post annos e tribus illis Codicibus, per decem viros ad id electos, suum concinnavit, promulgavitque currenti anno. Nulla juris publici pars est, quæ hoc Codice non contineatur; proindeque quotquot legum peritiam profitentur, Justinianeo indigent Co-

Codice : Totius enim Imperii Romani faciem ; & historiam illorum temporum exhibet: quam fcilicet late diffufum effet, fub quibus Imperatoribus, quænam ejus divifio; quæ Diœcefeon ratio, qui tum hoftes Imperii Romani, qui amici, quo milite, quibus caftris, claffibufque limes defenderetur; quæ Magiftratuum genera, quis Dignitatum ordo, quæ officia Domus Auguftæ, quæ Urbium præcipua Corpora & Collegia; quis operum publicorum ornatus publicus; ac tandem quæ Ecclefiæ tunc facies, quæ Principum per ea tempora circa fidem catholicam, & Perfonas Ecclefiafticas leges; quæ Ecclefiarum, & Ecclefiafticorum privilegia, quomodo habiti tunc hæretici, & Schifmatici, quomodo Apoftatæ, & Judæi, quomodo intelligendi ejufdem ævi fcriptores omnes, oratores, Poetæ, hiftoriæ Auguftæ, Græci, Latini, notitiæque Magiftratuum; hic etenim Codex fax quædam, dici poteft, quæ tenebras hiftoriæ difcutit.

Quam laudem ex Codice Juftinianus

15. Conftitutiones, inquit Alemannus in notis ad Hiftoriam arcanam Procopii, ab eo fapientiffime conditæ, vel veterum Imperatorum leges uno in Codice ordine diftributæ, vel antiquorum fapientum refponfa ex immenfa congerie fumma ftudiorum facilitate, ac brevitate digefta; vel hæc eadem ad Inftitutionis modum enucleata, eam Juftiniano gloriam pepererunt, ut undecim jam & amplius hominum ætates, eamdem quafi per manus acceperint, foverint, & magis ac magis ampliaverint. Nec fane facilius Juftiniano quidquam fuit, quam vel hanc folum ob rem, gloriæ ac nominis laude reliquos omnes Romanos Principes infra fe reliquerit, cum illi pro fuorum quifque facinorum præftantia, in Romana Republica, velut in theatro, alius alio, vel humiliore, vel editiore loco titulos, nomenque fibi ftatuiffe videantur; ipfe vero qui Romanis legibus fuum præfixit, eminentiffimum locum, atque æternum invenit. Nonnulla tamen nec levia in tanto Juftiniani opere reprehenfione digna, eruditorum plurimi adnotant; atque imprimis nimiam Juftiniani licentiam in legibus vulgandis, quæ vel chriftianæ religionis dogmata, vel ecclefiæ difciplinam fpectant. Triboniano vero id præcipue vitio tribuit Gothofredus in prolegomenis ad Codicem Theodofianum, quod innumeras ex eo leges in Juftinianeum translatas mutilaverit, unam in plures

JESU CHR. AN. 529.

res distraxerit, aut plures in unam mutaverit, rationes sæpe, & verborum elegantiam detraxerit. Notare etiam licet, ne leges quidem ipsas satis Trebonianum assecutum videri, & ideo vel abdicasse, vel eas mutilasse; & post hæc tamen omnia eorum ipsorum Principum seu Imperatorum titulos, sive nomina legibus inscripsisse, quasi ab initio, ita scriptæ eæ fuissent. Quæ omnia sigillatim demonstrat Jacobus Gothofredus in Prolegominis Codicis Theodosiani cap. 4.. De Triboniani etiam moribus & ingenio adnotat Procopius, eum quidem ingenii acie omnes suæ ætatis homines superasse; at inexplebili quoque avaritiæ inserviisse, ita ut: *Jura*, apud eum, *venalia essent*. Justiniani autem Imperatoris, eousque assentabatur, ut Miletius hæc de Triboniano scribere non dubitaverit. *Tribonianus Justiniano Imperatori adulans, ei persuasit, non moriturum ipsum, sed una cum corpore receptum in Cœlum migraturum, erat autem Paganus, & impius*. Eademque de turpi Triboniani assentatione, qua facilem ad Cælum viam Justiniano promittebat, referunt Procopius, & Suidas.

Gothofredus in proleg. Cod Theod. cap. 4. Procop. de bello Persi. lib. 1. cap. 24.

Joannis mores corruptissimi.

16. Triboniano sceleſtior erat Joannes, qui in exornando Justinianeo Codice inter decemviros primus nominatur, hic enim, cum neque Deum, neque homines revereretur, teste Procopio, improbitate mortales omnes superabat, ac accumulatis cædibus, & urbium excidiis, magnam pecuniæ summam brevi tempore sibi comparavit, quam in crapulis obscœnisque corporis voluptatibus explendis insumebat. *Semper quidem ad corradendum aurum paratus*; *sed ad prodigendum multo etiam comparatior*, ait Procopius, Triboniani, atque Joannis Cappadocis exauctorationem narrans, de quibus infra sermo fiet.

De belli Persici ortu, & causa.

17. Bellicas res exordimur. Dum Imperator in novo condendo Codice vacaret, Imperii fines a Persarum incursionibus tuendos suscepit; cum etenim jamdiu, (vivente scilicet adhuc Justino) inter utrumque Imperium dissidia exorta essent, hoc vel superiori anno bellum inter utrumque Imperium exarsit, quod post quinquennium, Persarum damno, tandem sopitum est, Decio VC. Coss. (hoc scilicet anno) habet Marcellinus. *Persis bella moventibus, arma Romanus paravit exercitus, finesque suos rebellans tutatus est.*

Hæc

Hæc expeditio nostrorum pene per quinquennium tenuit. Belli causas Procopius sic narrat. Primo quod Justinus Chosroen Cabadis Persarum Regis filium, quem Cabades prætermissis Carse, & Zame natu majoribus, in Persicum Imperium successorem sibi delegerat, more Romano per tabulas adoptare recusavit, sed tantum per arma, ac belli instrumenta, cum eo tantum adoptionis genere barbari adoptarentur; sperabat enim Cabades hac adoptione Imperium Chosroi firmandum, Romanosque auxilio adfuturos, si qnid contra eum Persæ molirentur. Hæc fusius narrat Procopius capite undecimo, deinde addit, jam tunc in Romanorum fines arma illaturum Cabadem, nisi bellum, quod adversus Gurgenem Lazorum Regem susceperat, prohibuisset. *Continuo post, cum maxime vellet Cabades in fines Romanorum irrumpere, minime potuit, suborto hoc impedimento. Iberum Asianorum sedes Portas Caspias contingunt a Septentrione, sinistra Lazicam ab occasu, dextra ab ortu populos qui Persis parent. Christiani sunt, inter omnes, quos eo nomine censeri scimus, sacrarum Legum ac cæremoniarum tenacissimi, quamvis Regi Persarum jam inde antiquitus subditi fuerint: Eos Cabades cum ad Religionis suæ instituta vellet adigere, Gurgeni ipsorum Regi mandavit, ut cum ceteros Persarum ritus amplecteretur, tum in primis ne mortuos tumularet, sed in prædam avibus canibusque projiceret. Movit ea res Gurgenem, ut fidem Justini concederet. Eam igitur imploravit, petiitque ut sibi promitteretur, nunquam Iberes a Romanis Persarum potestati permissum iri. Fidem ille perlubens dedit: mox* Probum *Imperatoris Anastasii a sorore nepotem, virum patricium, misit Bosporum cum ingenti pecunia, qua Hunnorum auxilia Iberibus adjungeret*. Misit tunc Justinus Sittam, & Belisarium, ambo tum adolescentes, qui Persameniam late vastarunt. Hæc de hujus belli origine Procopius, quod hoc anno latius grassatum est, ut ex Marcellino notavimus, de quo chronicon Alex. & Theophanes, hæc habent. *Eodem anno Persarum Rex Tzatum Lazium quod in Romanorum partes transiisset, bello lacessivit. Porro Justinianus Imperator militares copias in ejus auxilium, & Magistros militiæ tres Belisarium, Cyricum, & Petrum, qui inito prælio inferiores evaserunt. Quare indignatus Imperator in Duces, quod invidia ad invicem moti*,

JESU CHR. AN. 529.

Procop. de bello Pers. lib. 1. cap. 11.

Iberes optimi Christiani.

Chron. Alex. pag. 335. Theoph. pag. 149.

JESU CHR. AN. 529.

moti, certam prodidissent victoriam. Ipsis revocatis; Petrum Notarium militiæ Magistrum in ipsorum locum subrogavit: His adjunctis sibi Lazis, adversus Persas conserta pugna, quamplurimos Persas delevit.

Tzanorum gens ad Christi fidem convertitur.

18. De Tzanorum moribus, eorumque ad fidem conversione, hæc etiam Procopius adnotat. Tzani antiquitus liberi, nullique Principi subditi vivebant ferarum ritu. Lucros, volucres, & alias cujusque generis animantes pro Diis habebant, ac venerabantur. In altissimis degentes semper & nemorosis montibus, non arvorum cultu, sed raptu & latrociniis vitam sustentabant. Quos etiam ob locorum difficultates, locique asperitatem, aut neglectos, aut invictos fuisse adnotat. *Tandem sub Principe nostro Justiniano a Romanis acie victi, nostras ducente copias Tzita Magistro militum, cum se resistendo impares viderent, statim omnes concesserunt in ejus fidem, servitutem tranquillam libertati, periculorum metu sollicitæ, præoptantes. Nec distulit eorum quisquam convertere animum ad pietatem, & cum fide Christiana mitiorem vitæ cultum amplecti. Remisso latrociniis nuntio, Romanis militant; eosque semper in expeditiones sequuntur. Porro veritus Imp. Justinianus, nequando Tzani, mutato instituto, in pristinam morum feritatem relaberentur*, intricabiles regionis illius silvas excidit, vias aperuit, ut cum ceteris Romani Imperii gentibus, commercio & moribus sociarentur. Alias quoque nationes, earumque Reges Romano sociavit Imperio, & ecclesiæ lucrifecit. Nam hoc eodem anno, teste Theophane: *Elurorum Rex Gratis nomine ad Romanos se adjunxit, & Constantinopoli una cum gente sua profectus est, & in Christianorum religionem transire ab Imperatore expetiit. Jussitque Imperator in Theophanis virum baptizari, & ex lavacri fontibus suscepit. Senatores porro, & aulici, & affines ejus duodecim una cum eo initiati sunt: Tum vero pactis cum Imperatore fœderibus, & adversus quos indiceret ille, suppetias se laturum pollicitus, domum se recepit.*

Procop. de ædif. Justinl lib. 3. 6.

19. Insuper: *Mulier quædam barbara ex Unnis Saber nuncupata*, nomine Boarex vidua, *adductis secum Unnorum millibus centum, in Romanas partes transiit: Hæc amisso viro suo Balach Unnicis regionibus imperitabat. Duos vero Reges ex alia Unnorum natione, quæ partes interiores habitat, nomen*

men uni Styrax, & alteri Glones, a Cabade Persarum rege ferendis sibi suppetiis, & Romanos bello vexandi accitos, & jam per regionem sibi subditam ad Persarum loca, cum millibus hominum viginti transitum habentes, armis illa excepit, & in frusta concidit: & eorum quidem regum unum Styracem vocatum in bello comprehensum, vinculis alligatum Constantinopoli Imperatori misit: Glonem autem in pugna interfecit. Ita demum armorum societatem, & pacem cum Imperatore Justiniano mulier perpetuo servavit.

20. His adde & alterum Unnorum Regem Gordam nomine. *Qui christianam Religionem amplexus, baptismi lumine illustratus est, & ex lavacro ab Imperatore susceptus: multisque subinde ab eo muneribus acceptis, ad Romanos fines tutandos, & Bosphorum civitatem, a Boum nummorum & pecuniarum vice, annuatim penso tributo ita vocatam, armis propugnandam missus, in propriam regionem secessit. Locavit autem, & militum Romanorum numerum, & Tribunorum, ut custodirent civitatem propter Unnos, & bovum tributa exigerent: magnum quippe in Civitate Romanis cum Unnis commercium intercessit. Unnorum itaque Rex factus Christianus, in propriam regionem reversus, fratri, quem illic offendit, Imperatoris humanitatem, atque liberalitatem, seque Christianum factum esse narravit. Ad hæc direpta undequaque simulacra, quæ venerabantur Unni, cuncta conflavit: erant enim illa argentea, & electrina.* His gestis Unnorum furorem in se concitavit Gordas, & conjuratione inita cum ejus fratre Muagere, quem sibi Regem nuncuparunt, Gordam interemerunt, deinde veriti ne Romani pœnas exigerent, in civitatem Bosphorum convolarunt, & tribunum Dalmatium præsidialesque milites interfecerunt. Sed Imperator per Joannem Exconsulem, Godillam, & Badurium Duces eorum temeritatem compressit, pacemque Bosphoro restituit. Hæc ibidem Theophanes. Felix quidem Justiniani Imperium tot gentium societate firmatum, cujus primordia tot populorum ad Christi fidem conversione illustrata sunt. Felicissimum vero si eadem felicitate, moderatione, & prudentia ad finem usque perseverasset. Sed quod in somnis ostensum est Faraoni, post feracem proventum, exortas esse spicas tenues, percussas uredine, quæ ingentem penuriam præsignarent, ita ut præceden-

Gordas Unnorum Rex Christi fidem amplectitur, cum Justiniano init societatem.

JESU CHR. AN. 529. tium annorum fertilitas penitus comſumpta deficeret; ita fere huic accidit Imperatori, dum plus æquo divina pertractat, Romanorum Pontificum conſilia, auctoritatemque aſpernatus, eouſque progreſſus eſt, ut in errorem lapſus interierit, uti ſuo loco dicturi ſumus.

Beliſarius Perſas in acie vincit.

21. Pace interea cum finitimis gentibus firmata, tot nationibus in Romani Imperii ſocietatem accitis, Beliſarium Ducem adverſus Perſas, cum inſtructiſſimo exercitu Juſtinianus miſit, cui inter alios Procopium conſiliarium junxit, qui præſens cuncta conſpicatus, eadem ſcriptis commendans, poſteris tranſmiſit, ex quo inſigniora delibamus, cum in iis diutius immorari brevitatis ſtudium non patiatur. Antequam vero incertam belli aleam iniret Beliſarius, de ineunda pace cum Mirrhane Perſarum Duce per epiſtolas egit, quibus belli calamitates referebat, econtra pacis dulce nomen, cunctiſque ſalutare. Sed ſuperbus Perſarum Dux pacem ſprevit, reſcripſitque Beliſario: Poſtulatis annuerem, iis inductus, quæ ad me fuerunt præſcripta, niſi litteræ illæ a Romanis venirent: quibus promptum quidem eſt ac ſolemne polliceri; id vero ſpem omnem ſuperat, fore unquam ut promiſſa, vel jurejurando firmata perficiant, ac ſe armis pugnaturum reſcripſit. Unde certamine paulo poſt inito, victoria Romanis ceſſit, tantaque Perſarum ſtrages facta eſt, ut ultra Perſæ cum Romanis in aciem ſtare non ſint auſi. Sed quomodo decem fugient decem millia, niſi manus Domini hæc feciſſet, qui ſuperbis ſemper reſiſtit, ſic Romani hoc prælio, Dei magis quam propria virtute vicerunt. *Cum enim ventus a parte noſtra* (narrat Procopius) *ferens in barbaros exortus eſſet, ſagittarum, quas miſſitabant, vim infringebat*. In eadem cum Perſis expeditione contigiſſe, creditur, aliud inſigne portentum, quod in vita S. Theodoſii Cœnobiarchæ legitur, de Cyriaco Duce, qui Theodoſii cilicio pro thorace indutus, adverſus Perſas fortiter pugnando invictus ſtetit, & victor redivit, poſt victoriam vero ad Theodoſium revertens, gratias egit; pugnæ etenim tempore ajebat Cyriacus: *Te ſolum mihi videbar videre me præcedentem, & manu ſignificantem, & admonentem, ut has quidem prælii partes dimitterem, in has autem pugnarem: & te duce equum agere, donec conſpectus terribilis, & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omni-*

omnibus injecto efficerem, ut se conjicerent in pedes, & turpem fugam lubenter eligerent. Et hæc quidem ille, qui etiam dignus est habitus divina hac apparitione. Hactenus vitæ auctor, hæcque de bello Persico satis.

JESU CHR. AN. 529.

22. Theodosii cœnobiarchæ memoria nos admonet, ut de ejus felici ad Deum transitu agamus, qui hoc anno contigit, qui Sabæ 91. erat. *Ineunte* (ait Cyrillus in vita Sabæ) *anno ætatis Sancti Patris nostri Sabæ nonagesimo primo, Sanctus Abbas Theodosius finem vitæ sortitus est mense Januario, die undecima, senex, ac plenus dierum.* Natus erat Sabas anno 439., Theodosio Aug. XVII. & Festo Coss. Primus igitur & nonagesimus S. Sabæ incepit mense Januario anni 529. currentis, qui Theodosio mortem attulit, his addit Cyrillus, quarto a Theodosii morte mense, obortam Samaritanorum seditionem, de qua infra, quæ hoc anno, & sequenti totam Palæstinam turbavit. Insuper tempus, diemque obitus S. Theodosii cœnobiarchæ didicimus ex ejus vita latine reddita ante Metaphrastis ætatem, in qua sic legitur. *Incipiente autem nonagesimo primo ætatis anno Patris nostri Sabæ, Beatus supradictus Theodosius jam senex, & plenus dierum, vitam hanc terrenam deserens ad Cœlum transiit mense Januario, die undecima, indictione septima. Cui in monasterii regimine Sophronius successit, in monachis actionibus satis perfectus.* Baronius longe post S. Sabam obiisse Theodosium, & anno 536. superstitem credidit, ideoque emendanda ait, quæ de ejus morte narrat Cyrillus in vita S. Sabæ loco laudato. Nam concilio CP. anno 536. celebrato, *inter alios* (verba sunt Baronii) *affuit legatio a magno illo Theodosio Cœnobiarcha. Hesychius enim presbyter ejus monasterii Theodosii legatus subscriptus eidem libello legitur*, item: *Vivebat adhuc Theodosius ipse*, *de* quo in ejus vita hæc leguntur. *Cum de eo* (Theodosio scilicet) *intellexisset, & qui veteris Romæ Sedem pulchre tenebat* (*is autem erat Agapitus*) *& qui Antiochenam sedem regebat Ephreim sive Ephrem, ipsi quoque rectam fidem prædicabant. In quibus multa sunt ad laudem hujus beati composita, quæ non minorem gloriam afferunt iis, qui scripserunt, quam ei qui laudabatur.* Hæc de laudibus Theodosi in concilio CP. anni 536.. Baronii sententiam tuetur Pagius asserens errasse Cyrillum in vita S. Sabæ, dum Theodosium Sabæ demortuum dixit; quia Theodosii fidem celebrarunt

Mors S. Theodosii Cœnobiarchæ.

Boll. die 11. Januari comment. prævio in ejus vita §. 3.

Bar. an. 532. num. 21. 536. num. 51.

Pag. not. 9. an. 536.

JESU CHR. AN. 529. runt Agapitus Romanus Pontifex, & Ephrem Patriarcha Antiochenus. Sed Baronii, Pagiique argumenta facili negotio corruunt, dicimus enim primo cum ipso Pagio, Hesychium legatum fuisse CP. concilio non Theodosii, sed monasterii B. Theodosii a quo nomen acceperat, nec Theodosii nomine, sed Sophronii Presbyteri, & Archimandritæ ipsius monasterii, ut ex ejus subscriptione manifeste patet: *Hesychius divina miseratione presbyter, & monachus monasterii Beati Abbatis Theodosii, locum tenens Sophronii presbyteri, & Archimandritæ ipsius monasterii*. Quare Sophronius Theodosio successerat, ut in ejus vita legimus; unde ergo eruitur vixisse tunc Theodosium, cum de eo nulla mentio habeatur? Sed quomodo inquies, ab Agapeto Romano Pontifice, & Ephrem ejus fides laudata est, si superstes non erat: respondemus, Agapetum, & Ephrem cognitis pro fide catholica susceptis a Theodosio certaminibus, præcipue sub Anastasio Imperatore, ejusdem fidem laudasse, ut qui monasterium a Theodosio fundatum incolebant, ad eamdem tuendam fidem adhortarentur. Quare Cyrillo fidem abnegare non possumus, testi non solum coævo, sed Sabæ discipulo, inter quem & Theodosium magna intercesserat familiaritas, & vitæ communio fuit. Ableganda etiam esset fides auctori vitæ S. Theodosii, qui non solum anno 91. Sabæ, ejus mortem refert, sed etiam indictione septima, quæ hunc annum indicat, sed de his hactenus. Ætatis erat tunc Theodosius annorum centumquinque aut supra, vita quidem longævus, sed meritis clarissimus, & miraculorum gloria præstantissimus; post mortem etiam novis miraculis claruit, dum Stephanus quidam Alexandrinus a Dæmone obsessus, a quo dirissime torquebatur, ad ejus corporis contactum liberatus est. Hinc factum, ut ad ejus funus Episcopi, & clerici cum immensa populorum multitudine concurrerent; ut auctor vitæ ejus narrat, quem Baronius Cyrillum fuisse suspicatur, a quo acta Sanctorum Sabæ Euthymii, & Joannis Silentiarii descripta sunt. Pagius vero ejus vitæ auctorem dicit Theodorum Petræ in Palæstina Episcopum, Theodosii discipulum, qui concilio Hierosolymitano anno 536. subscriptus legitur. Rem incertam cum Bollando in incerto relinquimus.

Tom. 5. concil. pag. 15.

Baron. ann. 491. num. 14.

De rebellione Samaritanorum.

23. De Samaritanorum in Palæstina rebellione, eorumque in christianos sævitia agendum est, quos non semel ex inve-

inveterato odio vexasse constat, unde Procopius: *Zenonis Principatu cojere subito Samaritani. Tum facto Neapoli impetu in Christianos festum in Ecclesia celebrantes, quod Pentecosten vocant, multos conficiunt: illorum Episcopum Terebinthium sacræ mensæ astantem occupant, inter Sacrificium ineffabile gladiis illum feriunt, vulneribus concidunt, manuum digitis truncant, mysteriisque illudentes, piacula perpetrant digna Samaritanis, ac nobis silentio obruenda*. Cum hæc ad Zenonem Imp. Episcopus detulisset, absque mora in tanti sceleris reos animadvertit: & ejectis e monte Garizim Samaritanis, locum illum Christianis addixit; & in culmine Ecclesiam Deiparæ posuit: cui templo in speciem murum, reipsa nihil nisi maceriam circumdedit. *His offensi Samaritani urebantur dolore maximo; & indignatione pleni præsentem sortem aversabantur: metu tamen Imperatoris cohibiti, silentio dissimulabant*. Postea imperante Anastasio iterum Samaritani christianorum occupata Ecclesia, custodes ejus trucidarunt. At provinciæ Præses (is erat Procopius Edessenus, prudentiæ vir singularis) sontes comprehensos morte multavit. Justinianus vero non solum Samaritanorum plerosque ad pietatem Christique religionem traduxit, sed etiam ecclesiæ in monte Garizim positæ veterem murum, altero cinxit exteriori, maceriæ formam, quam ille, ut dixi, habebat, immutatam relinquens; fecitque opus omnino inexpugnabile, ac in eadem Urbe Christianorum templa quinque a Samaritanis incensa restituit. Hæc ibi Procopius. Hoc autem anno cum Justinianus lege lata Gentiles, hæreticosque omnes facultatibus, dignitatibus, honoribus spoliasset, & eorum facultates ærario publico addixisset, ut narrat Theophanes, Ethnicorum plurimi, qui primas in aula, aut in exercitu dignitates obtinebant, aut Christi fidem susceperunt, aut honoribus dejecti, facultatibus etiam spoliati sunt. *Nam Imperator solos Christianos, eosque recta in fide probatos ad communia, & Curialia munera sustinenda admitti, Gentiles, & Hæreticos ab eis amoveri lata lege sanxit; iisdem vero trimestre tempus ineundæ resipiscentiæ terminum ultimum præscripsit*. Unde Procopius in historia arcana, cum Justiniani gesta in malam partem interpretetur, avaritiæ causa id egisse adnotat. Eamque ob causam Samaritanorum plurimos religionis tuendæ causa ad arma concurrisse addit, alii vero plurimi, tum ex Sa-

Jesu Chr. An. 529.

Procop. de ædif. Justini lib. 5. cap. 7.

Justinianus Garizim munit. Templa reficit.

Justiniani lex contra Ethnicos, & Hæreticos.

JESU CHR. AN. 529.

Samaritanis, cum ex aliis sectis, Christo nomen ficta dederunt mente, aut per orbem sponte exules facti sunt. De Samaritanorum autem rebellione, post plurima hæc narrat. *At agrestes agmine facto in Cæsarem arripiunt arma, designatoque sibi Imperatore Sabari filio Juliano prædone, manus cum milite conserunt; pugnatumque marte aliquandiu incerto est: demum prælio victi, cum Juliano duce contrucidati sunt, deletis, ut ferunt, eo conflictu centenis hominum millibus. Agris vero omnium longe feracissimis a cultoribus jam tum destitutis, magnam acceperunt ex ea re jacturam Christiani possessores, quibus opus fuerit nullis terræ bonis repositis, annuum Imperatori vectigal, & quidem insigne, singulis quibusque pendere annis; exactione nullo humanitatis modo imperata.*

Samaritani in Palæstina christianos vexant.

Sabæ vita cap. 70. ex Cotel. tom. 3.

24. De hac tributorum exactione agemus anno sequenti, dum de S. Sabæ ad Justinianum legatione sermo fiet, nunc, quæ in Palæstina egerint Samaritani videamus ex Cyrillo in S. Sabæ vita. *Quarto igitur post Theodosii mortem mense, Palæstinæ Samaritani gens tota, bello aggressi in Christianos, multa nefaria perpetraverunt; dum incidentes Ecclesias deprædantur, ignique tradunt, incurrentes Christianos variis suppliciis crudeliter necant, integras villas incendunt, maxime in locis, quæ Neapolim cingunt, ubi tyrannide assumpta sibi Regem coronaverunt Julianum quemdam suæ gentis hominem. Tunc certe Episcopum quidem Neapoleos Ammonam jugulavere, quosdam vero Presbyteros comprehensos, atque concisos, una cum reliquiis Sanctorum Martyrum frixerunt, multaque hujusmodi atrocitatis perpetrarunt; adeo ut viæ, quæ regiæ vocantur, inaccessæ, ac imperviæ Christianis fierent. Quæ omnia ubi ad aures pervenerunt piissimi Imperatoris nostri Justiniani, jussi sunt Theodorus, & Joannes viri clarissimi, exercitum cogere, & contra Samaritanos bellum gerere. Conflictu igitur facto, occisus est Julianus, pariterque cum eo ingens Samaritanorum numerus.* Hæc Cyrillus de Samaritanorum cæde, quæ anno sequenti facta sunt, Coss. Lampadio, & Orentie, ut narrat auctor chronici Alex.

JESU CHRISTI an. 530. Bonifacii 2. Pp. 1. Justiniani Imp. 4. Athalarici Regis 5.

1. Sequitur annus trigesimus supra quingentesimum, quo Felix 4. Papa, postquam sedisset annos quatuor, menses duos, die aliquot, ex hæc vita decessit. Hic teste Pontificali: *Fecit Basilicam Sanctorum Cosmæ, & Damiani in urbe Romæ ad locum, qui appellatur via sacra juxta templum urbis Romæ. Hujus temporibus consumpta est incendio Basilica Sancti Martyris Saturnini via Salaria, quam a solo refecit: Qui etiam ordinatus est cum quiete, & vixit usque ad tempora Athalarici Regis. Hic fecit ordinationes duas in Urbe Roma per menses Februarii, & Martii, Presbyteros quinquaginta quinque, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca numero triginta novem. Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli 4. Idus Octobris, & cessavit Episcopatus mensem unum dies* 15.. De anno, aut die, quo Felix obiit, vel sepultus est, non una est eruditorum sententia. Anno superiori Felicem 4. vivere desiisse scribunt Holstenius, & Norisius, eidemque Bonifacium successisse, idque ex epistola Bonifacii ad Cæsarium, quæ data dicitur VIII. Kal. Febr., Lampadio & Oreste VV. CC. Coss., ideoque die 25. Januarii hujus anni, quo Felici successerat, sed eam notam adscititiam diximus cum Papebrochio, & Pagio, vel legendum PC. una cum Sirmondo, & Blanchino in notis ad Felicem 4. ne contra omnia exemplaria Pontificalis, & omnes catalogos Romanorum Pontificum dicamus sedisse Felicem annos tres, totidemque Bonifacium, cum quatuor Felici, duo tantum Bonifacio ubique tribuantur. Hæc de anno. De die quoque obitus Felicis 4., & ordinationis Bonifacii 2. eodem modo diffident eruditi, sed has de diebus quæstiones silentio præterimus. Præter Felicis 4. epistolam ad Cæsarium, de qua anno 528. egimus, duæ aliæ ejus nomini circumferuntur, quæ communi eruditorum suffragio suppositititiæ censentur. Prima data est ad omnes Episcopos, qua jubet nonnisi locis Deo dicatis missas celebrari, ni magna necessitas intercedat. Insuper quid agendum cum de ecclesiæ consecratione dubitatur. Altera exhortatoria est ad Sabinam, ejusque in ecclesiam studium laudat.

Felicis Papæ 4. obitus, cui succedit Bonifacius.

Holst. in serie chronog. Rom. Pontif.

Noris. hist. Pelag. lib. 2. cap. 23.

2. De

JESU CHR. AN. 530. Bonifacius 2. Rom. Pontifex ordinatur

2. De sedis vacatione in Pontificali juxta editionem Regiam legitur cessasse Episcopatum mensem unum dies 15., sed ex aliis Anastasii Codicibus (ut etiam legit Baronius) habetur, cessasse tantum dies tres, illudque tempus (mensis scilicet, & dierum 15.) referunt ad schismatis extinctionem; cum ab omnibus legitimus Pontifex est agnitus. Die ergo 18. Septembris, vel 29. ejusdem mensis consecratus est Bonifacius secundus natione Romanus Patre Sygisvultho, quo nomine, Gothum origine eum fuisse patet. At in ejus ordinatione schysma exortum est, nam dum Bonifacius in Basilica Julii ordinaretur, in Basilica Constantiniana Dioscorus Diaconus erectus est, *& fuit dissensio in clero, & Senatu dies 28:.* Hunc Dioscorum eumdem esse credimus, qui sub Hormisda Romano Pontifice functus est legatione ad Justinum Imperatorem una cum collegis Germano, & Joanne Episcopis, Blando Presbytero, atque Felice Diacono. Cito tamen schisma extinctum est, nam ut narrat Anastasius, *Defunctus est Dioscorus pridie Idus Novembris*. Ceterum malis artibus suffragia aucupasse Dioscorum, ut Pontifex fieret, ac simoniaca labe pollutum fuisse, constat ex epistola Athalarici ad Joannem Papam, in qua habet : *Sanctitas vestra, statuisse nos praesenti definitione cognoscat, quod etiam ad universos Patriarchas, atque metropolitanas ecclesias volumus pertinere, ut a tempore Sanctissimi Papae Bonifacii, cum de talibus probibendis suffragiis PC. senatusconsultum nobilitatis suae memores condiderunt; quicumque in Episcopatu obtinendo, sive per se, sive per alium quamcumque personam, aliquid promisisse declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus effcetetur &c.*

Pag. not. 5. Blanch. not. in Pontif.

Dioscori schisma contra Bonifacium.

S. Sabae ad Justinianum legatio.

3. Anno proximo Christianos in Palaestina ob Samaritanorum rebellionem graves calamitates subiisse diximus. Ea de causa, Magnus Saba Petri Hierosolymorum Patriarchae jussu, legationem ad Imperatorem subiit, de qua nunc agendum. De hujus legationis tempore scribit Norisius *circa annum 528. licet imbecilli, & ob senectutem jam in curvitatem declinante, erat enim nonagenarius, ex Palaestina CPolim ad Justinianum Imperatorem profectus &c.* At ex Cyrillo scimus hoc anno, quo indictio nona incepit, vel sequenti, quo ad Kal. Septemb. perduravit, Sanctum Sabam hanc obiisse legationem; *senex hortaminibus summorum Sacerdotum cedens, CPolim pergit ad mensem Aprilem nonae indictionis*, in aliis vitis

Noris. de syn. 5. cap. 1.

vitis legitur octavæ indictionis. Jam legationis causas, seriem, & exitum enarremus. Narrata Samaritanorum strage, sic prosequitur Cyrillus. *Quidam Arsenius incensi Silvani filius, qui illustris dignitatem obtinebat, tuncque Constantinopoli commorabatur, multumque nescio unde aditum habebat apud nostrum a Deo protectum Imperatorem, & Theodoram Imperatricem, utriusque pietatem falsis relationibus circumventam, in iram adversus Christianos Palæstinæ habitatores concitavit. Tunc ergo Archiepiscopus Petrus, eique subjecti Episcopi, hortati sunt sanctum Sabam, ut Constantinopolim proficisceretur, ac preces offerret Imperatori, ut primæ, & secundæ Palæstinæ publicorum tributorum remissionem concederet propter cædes, & vastationes a Samaritis factas. Ac Senex hortaminibus summorum Sacerdotum cedens, Constantinopolim pergit ad mensem Aprilem nonæ Indictionis. Cumque Patriarcha ad Imperatorem litteras præmisisset, divini Sabæ adventus indices; a Deo servatus Imperator noster, lætitiæ plenus, in occursum ejus misit Imperatorios dromones, quibus cum egressi sunt Patriarcha Epiphanius, Eusebius Papa, & Hypatius Episcopus Ephesi, cum suis; atque assumentes eum, ad Imperatorem introduxerunt.*

Quanto honore exceptus Sabas.

4. Quanto autem cum honore ab Imperatore Justiniano, ejusque conjuge Theodora exceptus fuerit S. Sabas, pluribus persequitur, cui accurrens Justinianus reverenter salutavit eum, & cum gaudio, ac lacrymis divinum ejus caput deosculatus est; tum benedictione ab ipso accepta, de ejusdem manu suscepit preces e Palæstina missas; persuasitque ut ingrederetur, Augustamque Theodoram benediceret. Et intravit quidem Senex; Augusta vero excepit eum cum lætitia, & venerabunda salutavit; quem etiam his verbis precata est. *Ora pro me, pater, ut det mihi Dominus Filium. Respondit Sabas, & dixit; Deus gloriæ, in pietate, & victoria Imperium vestrum conservet, mœrore autem affecta est Augusta, quod petitioni suæ non annuisset. Cum ergo ab ea exiisset, qui cum illo erant patres, disceptabant cum eodem, dicentes: Quare Augustam dolore affecisti, nec precatus es quemadmodum postulabat? Senex ait eis; Credite mihi, Patres, Non ex ventre illius fructus egrediatur, ne Severi dogmatibus lactetur, pejusque quam Anastasius Ecclesiam perturbet*, iis verbis indicans, quæ intus Theodora occultabat in

Jesu Chr. an. 530.

corde, nempe ipsam addictam hæresi Severianæ: od idque haud concessum a Deo, ut sobolem pareret, quam eodem morbo inficeret. Ita plane se rem habuisse, ex dicendis infra constabit.

Justiniani contra Samaritas rescriptum.

5. Imperator autem, cum a beato Saba libellos supplices ecclesiarum Palæstinæ accepisset, constitutionem seu legem tulit, ut Samaritarum Synagogæ tollerentur, & ab omni Reipublicæ administratione pellerentur, suorum hæreditatem non adirent, neque per donationes ad se mutuo quidquam transmitterent. Sancivit præterea, ut eorum primores ac seditiosi supplicio afficerentur. Magnam deinde pecuniarum summam ad ecclesiarum restaurationem obtulit, præcipue, ut monasteria, quæ a Samaritanis diruta, & destructa fuerant, restaurarentur, & ut castrum extruerentur in solitudine contra Seracenos, militumque præsidio munirentur, qui monasteria ibidem constructa ab eorum incursionibus tutarentur. *Et credo*, inquit, *atque confido, Deum pro hisce quinque ipsi gratis operibus adjuncturum Imperio vestro Africam, & Romam, omnemque reliquam Honorii ditionem, quam amiserunt, qui ante vestram piissimam serenitatem imperarunt, insuper uti vos Arianam hæresim cum Nestoriana, & illa Origenis e medio tollatis, atque a lue harum trium Hæreseon liberetis Ecclesias Dei.*

Imperator jubet restaurari ædificia, & alia de novo condi.

6. *Cæterum quæcumque Pater noster Sabas petiit, piissimus noster Imperator absque mora fecit; quæ vero ei prædixit, benignus operatus est Deus. Idque manifesto per sequentia edocebimur. Primo siquidem emittuntur divina mandata ad Archiepiscopum Petrum, & Palæstinæ Rectores, quæ decernebant, ut Antonius Episcopus Ascalonis, & Zacharias Episcopus Pellæ inspicerent villas primæ, ac secundæ Palæstinæ a Samaritanis incensas, atque ex pecunia publica Indictionis nonæ & decimæ, juxta damnum unicuique loco obortum, concederent auri centenaria tredecim. Rursusque eosdem inspicere jussit oratorias ædes, quæ combustæ fuerant, & considerare quænam danda essent ad uniuscujusque venerabilis loci instaurationem, eaque aut ex ærario, aut ex Samaritarum facultatibus præberi, per Stephanum clarissimum Comitem, qui etiam jussus est Episcopos, cum eo quo egerent auxilio, tueri. Sed & secundum tertiam divini Senis petitionem præcepit Nosocomium condi in medio sanctæ Civitatis, primo quidem centum grabato-*

batorum; præstituitque ei reditum purum annuum solidorum mille octingentorum quinquaginta, dein vero ducentorum grabbatorum idem valetudinarium fieri imperavit, adjecitque totidem nummorum reditum purum, & non caducum. Multum quoque adhibuit studium in exequendo quarto Senis postulatu, misitque Hierosolymam Theodorum quemdam machinarium & Architectum, qui novam beatæ Deiparæ, semperque Virginis Mariæ Ecclesiam ædificaret, ac præcepit Palæstinæ tractatoribus, uti aurum ad ædificium subministrarent. Tum Petro Archiepiscopo summam ea in re auctoritatem tribuit, Barachum autem Bacathorum Episcopum ædificationis operibus præesse mandavit: atque ita multa manu, & diligentia, spatio annorum duodecim constructa fuit Ecclesia laudatissimæ Dei Genitricis, omnique ornatu instructa. Cujus venerandæ ædis magnitudinem, ac resplendentem gloriam, ornamentorumque magnificentiam, enarrare superfluum est, cum nostris pateat oculis, cunctaque superet vetera spectacula, & monumenta, quæ mirantur homines, quæ Græci in historiis conscripta reliquere. Atque hic quidem quartæ petitionis divini Sabæ fructus extitit. Hoc porro templum in honorem Deiparæ, tantis sumptibus, tantaque magnificentia Justinianus erexit, ut incomparabile a Procopio dicatur, ubi illud per singulas partes describit, cui adjunxit hospitales domos duas, quarum una peregrinis, infirmis altera inserviebat, quæ apud Procopium videre est. Quare cum omnia, quæ petierat, obtinuisset S. Sabas, lætus ad sua monasteria revertitur, uti pluribus narrat Cyrillus.

7. De bello Romanos inter & Persas gesto adnotare juvabit, quod cum Cabades reparandis cladibus instructissimum exercitum in Armeniam misisset, cui Mirmoreum præfecerat, cumque ad arma ventum esset, maxima clade Persæ iterum affecti, castris suis ejecti, & fugati sunt; deinde cum Mirmoroes altero collecto exercitu, ad urbem Gatalam accessisset, ibidem denuo victi sunt Persæ, opera præsertim Florentii Thracis, qui in medios Persas irruens, eorum vexillum abripuerat. Unde bis victi Persæ fugæ se tradiderunt, ac ad sua redierunt. Justinianus vero Imperator, etsi in bello superior hactenus evasisset, honestas nihilominus pacis conditiones Cabadi Persarum Regi obtulit; at a Persis id unum responsi retulit, *Persas arma non posituros, nisi Romani portas*

Romanorum de Persis victoria.

Justinianus Persis pacem offert.

Jesu Chr. An. 531.

tas Caspias, recte atque ordine custodiant, vel urbem Daram evertant. Quare bellum sequentibus annis prorogatum est; hactenus autem gesta hoc anno fuisse Procopius testatur, unde addit. *Abiit Hiems, & annus Imperii Justiniani quartus absolvitur.* Eademque felicitate adversus Getas pugnatum est hoc anno a Romanis Mundone Duce, ut narrat Marcellinus. *Mundo Illyricianæ, utriusque militiæ ductor, dudum Getis Illyricum discursantibus, primus omnium Romanorum Ducum incubuit, eosque haud paucis ipsorum interemptis, fugavit. His autem deinde consulibus, idem dux, audaciæ suæ secundus in Thraciam quoque advolans, prædantes eam Bulgares feliciore pugna cæcidit, quingentos eorum in prælio trucidatos.*

Getæ a Mundone debellantur. *Marcell. in chron. Sirmon. tom. 2.*

JESU CHRISTI AN. 531. BONIFACII PAPÆ 2.
JUSTINIANI IMP. 5. ATHALARICI REGIS 6.

Bonifacius Papa Arausicani concilii canones confirmat.

1. Insequens annus Domini quingentesimus trigesimus primus postCoss. Lampadii, & Orestis inscribitur, eo quod proprios consules non habuerit. Eoque anno, sublato ob Dioscori mortem schismate, Bonifacius Papa octavo Kal. Februarii, Cæsario Arelatensi Episcopo rescribens, Arausicani concilii canones, & sententias contra Semipelagianos latas, calculo suo confirmavit. Quam epistolam anno 529. recitavimus, cum de Arausicano concilio egimus, ibique pluribus conjecturis probavimus eam currenti anno inscribendam fuisse. Tres quoque synodos Romæ Bonifacium celebrasse narrat Anastasius. Quid gestum fuerit in prima his verbis adnotat: *Hic congregavit synodum in basilica Beati Petri Apostoli & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinarent. Quo constituto cum chirographis sacerdotum, & jurejurando ante confessionem B. Apostoli Petri, in Diaconum Vigilium constituit* (scilicet in successorem.) Cum enim (ut superius dictum) Gothorum Reges Italiæ dominantes, Romani Pontificis electionem sibi vindicassent, ac in ejus ordinatione schisma exortum esset, præpostera successoris electione, iis malis occurrendum censuit. At cum hæc ecclesiæ canonibus adversarentur, ac in Romana ecclesia scandalum pareret ipse Bonifacius culpam agnoscens, in altera synodo paulo post habita, editum de Vigilio successore decretum revocavit, ac igni tradidit, unde

De synodis a Bonifacio celebratis.

JESU CHR. AN. 531.

unde auctor Poutificalis, seu Anastasius subdit. *Eodem tempore, facta iterum synodo hoc censuerunt* (sive cassaverunt) *Sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ. Et quia contra Canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, quod Diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi, & ante confessionem B. Apostoli Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio consumpsit*. Reum vero se in synodo confessus est Bonifacius Papa secundus; eo quod Vigilium sibi successorem elegisset, quod sane, ut a congregatis in synodo Patribus dictum est, id contra canones factum fuerat. Nec minor Vigilii, quam Bonifacii culpa fuit; quin eum ad id Bonifacium impulisse, ut Pontificatum obtineret, vero proximum est, nec obscure Silverius in anathematis sententia in eum lata indicavit, cujus hæc sunt verba: *Quia contra jura canonica temporibus S. memoriæ Bonifacii Papæ, ipso vivente designari conabaris, nisi tibi amplissimi Senatus obviasset justitia. Tunc providentia pastorali, ac Pontificali auctoritate, tua execranda jam debuerant auspicia detruncari. Sed dum parvum vulnus in te neglectum est, insanabile acrevit apostbema*, ait Silverius Papa. In eadem Romana synodo Dioscorus, qui schisma contra Bonifacium fecerat, etsi mortuus esset, nihilominus anathemate percussus fuit. *Ipsis diebus Bonifacius, zelo, & dolo ductus, cum grandi amaritudine, sub vinculo anathematis, reconciliavit clerum. Quem chyrographum archivio ecclesiæ retrusit, quasi damnans Dioscorum*. At hoc quoque decretum ab Agapeto Pontifice Joannis successore flammis traditum fuit, cum inauditum hactenus fuisset mortuos anathematizari. *Hic* (Agapetus) *in ortu Episcopatus sui libellos Anathematis, quos invidiæ dolo extorserat Bonifacius Presbyteris, & Episcopis contra Canones, & contra Dioscorum, in medio Ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, & absolvit totam Ecclesiam de invidia perfidorum*. Hæc ibi: Sic igitur vides, non solum quæ per Bonifacium acta sunt in decernendo successore, ab ipso primum, deinde a Successoribus esse damnata, sed etiam quod in Dioscorum veluti simoniacum, damnando eumdem post mortem, egisset. Eo nihilominus exemplo usus est Justinianus Imperator, ut probaret,

JESU CHR. AN. 531.

ret, mortuos anathematis sententia plecti posse, cujus hæc sunt ad Vigilium scripta. *Super hæc autem omnia, quis ignorat ea, quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? qui cum nihil in fidem peccasset, tamen solum propter Ecclesiasticum Ordinem, & propter causam pecuniariam, & post mortem ab eadem Ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fidem peccantes Episcopi, propter solum Ecclesiasticum Ordinem, & propter causam pecuniariam anathemati, & post mortem subjiciuntur: quanto magis Theodorum &c.* Eo exemplo usus est Justinianus, ut sententiam suam, cui acriter inhœrebat, de damnandis post mortem hæreticis confirmaret; sed si mente a præjudiciis libera judicasset, illud exemplum suæ adversari opinioni vidisset, cum eam sententiam in Dioscorum jam mortuum per Bonifacium latam, Agapetus Pontifex utpote contra canones latam, irritam reddiderit, & decretum incendio consumpserit.

De Tertia synodo Rom. in Causa Stephani Larissæ Episcopi.

2. Præter has duas synodos, tertiam etiam Romæ synodum hoc anno Bonifacius Papa celebravit septimo idus Decembris, quam ex Barberina bibliotheca Holstenius vulgavit. Conventui huic occasionem præbuit Stephanus Larissæ civitatis Metropolita, qui misso Theodosio Episcopo conquerebatur, se a Constantinopolitano Patriarcha Epiphanio injuria gradu suo motum fuisse, simulque Bonifacii implorabat auxilium. Ex Episcopis quatuor, presbyteris quadraginta, & Diaconis quatuor constabat hæc synodus, quæ in Concistorio S. Andreæ ad S. Petrum in Vaticano congregata est: synodi verba referimus. *Post Coss. Lampadii, & Orestis VV. CC., sub die VII. iduum* Decembrium *in consistorio Beati Andreæ Apostoli, præsidente venerabili viro Papa Bonifacio, una cum Sabino Canusinæ Civitatis, Abundantio Demetriadæ Civitatis, Cæroso Centumcellæ civitatis, Felice Numentanæ Civitatis Episcopis, residentibus etiam Sanctulo, Mercurio &c. Presbyteris, adstantibus quoque Tribuno, Agapio, Donato, & Palumbo Diaconibus, Tribunus Archidiaconus dixit: Teodosius vir venerabilis Thessaliæ Provinciæ, Echiniensis Civitatis Episcopus, adstans præ foribus ingredi desiderat, quid præcipitis?* Admissus jubente Bonifacio Theodosius, per interpretem dixit, se Stephani Larissei nomine legendum libellum offerre, quem Mennas Notarius præcipiente Papa recitavit. Libelli

his

hic titulus fuit. *Domino meo, ac per omnia beatissimo, & revera venerando Patri Patrum, universali Patriarchæ Bonifacio, Stephanus exiguus Episcopus*. In eo scripto exponit Stephanus, qua ratione Episcopatum obtinuerat, ac in Procli locum Larissæ in Synodo ab Episcopis ordinatus fuerat. At Antonius Presbyter, & dispensator, Probianus & Demetrius quoque Sciatensis Civitatis Antistites, suarum subscriptionum obliti, ad regiam urbem illico profecti, coram sanctissimo ejusdem Civitatis Archiepiscopo Epiphanio querelas deposuerunt, dicentes, Stephani ordinationem Sanctis Canonibus minime convenire. Eam ob causam Epiphanius misso Commonitorio, Stephanum a Sacro ministerio recedere jussit, utpote contra Canones ordinatum, & alimentis ex Ecclesiæ reditibus eum privavit; ac ut hæc exequerentur, Andream quemdam Larissam Epiphanius misit, qui illuc profectus, Stephano, coacto Clero, Commonitorium legit; Thessalonicam deinde profectus Andreas, ibi latam abdicationis sententiam Stephano denunciavit.

Stephanus Larissæ Episcop. ad Apostolicam Sedem provocat.

3. At Stephanus: *Si oportet me ad aliquem accusantem respondere, aut de mea ordinatione aliquid judicare dignatur, causam me dicere necesse est, sed alibi apud quem sacrorum Canonum lex custoditur, & usque hactenus consuetudo servatur, memoriam faciens vestri sancti Capitis, & Apostolicæ Sedis*. At hæc Stephano non fuere præsidio, quem invitum Constantinopolim deduxere. Adhibitis tamen Sponsoribus, qui ipsius præsentiam promitterent, e carcere & vinculis vix liber evasit. Lecto Stephani Libello, Abundantius Demetriadæ Episcopus dixit: *Is de quo agitur Probianus ipse est, qui meam Ecclesiam invasit*. Alterum deinde Libellum Stephanus Theodosii manu obtulit, quo nunciabat, post lectam Epiphanii sententiam ad Bonifacii Tribunal se confugisse. Qua provocatione commotiores Judices facti, quasi de jure Ecclesiæ regiæ urbis aliquid decerperetur. Itaque relicta sententia, mox in custodiam Ecclesiæ defensoribus Stephanus datus est. Quo vero in loco res ipsius forent, his aperit verbis: *Sed aliqui Deum timentes, & meam miserantes miseriam, quod essem undique destitutus, in sua fide susceperunt: multam pro me quantitatem pecuniæ promittentes, quia non recederem, sed observaturum esse in regia civitate*: Nescimus ubi clarissimus Dupinius legerit Stephanum fuga elapsum Rom.

Dupin. sæcul. 6. pag. 106.

JESU CHR. AN. 531. Rom. Sedis auxilium imploraſſe, cum adhibita Theodoſii opera, id executus fuerit. Quare quinto Iduum Decembri, feria IV., dum rurſus Romana Synodus congregata eſſet, Theodoſius interprete uſus Elpidio Thebanæ Eccleſiæ, & Timotheo Dicæſarienſis eccleſiæ Epiſcopo, Stephani Libellum obtulit, quo narrabat, ſe ab Epiphanii ſententia in ſe ipſum lata, ad Romanum Pontificem appellationem interpoſuiſſe. Rogant ergo Bonifacium, ut Sedi ſuæ Stephanum reſtitueret, neve pateretur Provinciam ſuam, Conſtantinopolitano Epiſcopo obnoxiam eſſe. Elpidii dolore manus laborantis nomine ſubſcripſit Joannes Presbyter. Lecto Libello ſubjicit Theodoſius: *Conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet Principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias vindicaſſe*. Prolatæ Pontificum Romanorum Epiſtolæ a Menna Notario recitantur. Damaſi ſcilicet ad Acholium geminæ, Siricii ad Aniſium, Innocentii ad Aniſium binæ, unaque ad Ruffum, tres itidem Bonifacii ad Ruffum, duæ Bonifacii ad Epiſcopos in Theſſalia conſtitutos, exemplar epiſtolæ Honorii ad Theodoſium datæ anno 422. Reſcriptum Theodoſii ad Honorium, Epiſtola Cœleſtini ad Perigenem, ac monumenta ejuſmodi plurima, quibus non Conſtantinopolitanorum quidem, ſed Romanorum utique Præſulum poteſtati Illyricum permittebatur. Quem ſortita ſit exitum lis Stephani, compertum non habemus, cum Synodi Romanæ exemplaria mutila ſint.

Ejuſdem ſynodi ſeſſio ſecunda.

Ex toto orbe ad Rom. Sedem appellatur.

De ſynodo Toleti 2.

4. E Romana ad Toletanam ſynodum tranſeamus, quæ ſecunda dicitur, in cujus titulo hæc leguntur. *In nomine D. N. Jeſu Chriſti ſynodus habita in civitate Toletana, apud Montanum Epiſcopum, ſub die XVI. Kal. Junias, anno quinto Regni Domini noſtri Amalarici Regis Æra* 565.. Sed in æram error irrepſit, legendumque æra 569., qui quintus Amalarici, & ultimus fuit, qui labenti 531. reſpondet. Hanc ſynodum ſub Theode, Amalarici ſucceſſore habitam tradiderunt poſt Garziam Baronius, aliique; ſed præter inſcriptionem, canon quintus, quo Amalarici mentio occurrit, ad hunc annum eam habitam fuiſſe conſtat. Epiſcopi octo adfuerunt, Præſide Montano Toletano, quibus placuit: *Ut ſi quæ in antiquis canonibus minime commemorata ſunt, ſalubri tractatu*,

Bar. an. 531. num. 13.

statu, *at diligenti consideratione instituantur*. *Si quæ vero in anterioribus conciliis sunt decreta*, *sed abusione temporum hactenus sunt neglecta*, *redivivæ ordinationis censuram obtineant*. Hæc in Præfatione Patres, hisque addiderunt canones quinque, quorum summa hæc est: Primus pueros, quos ab infantia parentes clero mancipaverint, in domo Ecclesiæ, sub oculis Episcopi, instituendos esse jubet. Cum vero decimum octavum annum attigerint, optionem illis dandam esse censent vel matrimonii ineundi, vel continentiæ, quam si profiteantur, ordinari Subdiaconi poterunt anno ætatis vigesimo, Diaconi vigesimo quinto. Sin minus, concedendum ipsis est ut nubant, & in inferioribus gradibus maneant, donec forte perfectam ætatem assecuti, cum uxoris consensu, continentiam pariter promittentis, ad Sacros Ordines promoveantur. Secundus, eos qui sic instituti fuerint, ad aliam Ecclesiam, relicta propria, migrare vetat, aut ab alio Episcopo suscipi absque consensu proprii Sacerdotis. Tertius extraneis cum mulieribus, sive ingenuis, sive libertis, sive ancillis, commorari Clericos prohibet: inobedientes a Clero & communione rejicit. Quartus, agellos, aut vineolas, quas sibi Clerici, sustentandæ vitæ causa in terris Ecclesiæ fecerint, ad Ecclesiam, non ad eorum hæredes, ipsis morientibus transmitti statuit. Postremus matrimonia consanguineorum vetat sub excommunicationis pœna, tanto diuturniori, quanto propinquior erit cognationis gradus. Tandem Patres se ipsos, & comprovinciales Episcopos ad horum Canonum observantiam obstrinxerunt sub pœna totius fraternæ Caritatis, idest communionis omnium Coepiscoporum amittendæ. Futuram vero Synodum indixerunt juxta priorum Canonum Decreta, Toleti celebrandam.

De S. Montano Episcopo Toletano.

5. Montani Toletani Episcopi, qui huic concilio præfuit, vitæ sanctitatem, & doctrinam celebrat Idelphonsus in libello de viris illustribus his verbis. *Hic vir*, *ex antiquissima relatione narratur*, *ad explosionem infamiæ*, *tamdiu prunas tenuisse vestimentis ardentes*, *donec coram Sedis suæ altari Sacro*, *totius missæ celebritatem per semetipsum expleret*. *Peractis autem solemnibus*, *nec prunæ ignem*, *nec vestis inventa est amisisse decorem*. *Tum Deo relatis gratiarum actionibus*, *quia per simplicem naturam ignis cognita esset*, *&* *fallacia detestabilis accusantis*, *&* *innocentia beatissimi Sacerdotis*. *Hæc de eo Idelfonsus*. Cujus doctrinam testantur extantes epi-

JESU CHR. AN. 531. stolæ duæ, quarum una ad Palentini territorii fratres, ad Turibium Palentinæ Provinciæ (ut creditur) Præfectum altera inscribitur. Prima presbyteros ejusdem provinciæ arguit, eo quod conficiendi chrismatis licentiam sibi assumerent. *Nova namque præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum nostrorum pulsavit auditus: si tamen nova tantum, & non detestabilis dici possit, quæ ab initio fidei catholicæ nunquam, præter nunc, subrepsisse probatur, ut id, quod per manus summi Pontificis trinæ divinitatis invocatio sanctificare consuevit, Presbyter ignarus disciplinæ, conficere sibi Chrisma præsumeret. Hoc si ignaviæ est, tam demens sacerdos esse non debuit; si præsumptionis est, hunc schismaticum esse quis nesciat, qui inauditam rem, & religioni contrariam, senescente jam mundo, talis temerator inducat?* Eosque ad exemplum Oziæ, Chore, aliorumque provocat, qui ob præsumpta illicita officia, iram Dei experti sunt. *Caveant ergo, caveant*, exclamat Montanus, *hi, qui sibi putant esse licitum, quod aliis non ignorant esse illicitum, ne similes eos, horum quos memoravimus pœna percellat. An forsitan Sanctorum Patrum regulas & constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parochienses Presbyteri, non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per rectores Sacrariorum, annuis vicibus Chrisma a præsidente sibi Episcopo petant? Credo quod qui petere jusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt &c.* Prohibet etiam, ne ad consecrationes ecclesiarum, alienæ diœcesis invitentur Episcopi, ac tandem Palentinos arguit, eo quod perditissimam Priscillianistarum sectam indebito honore prosequerentur. Ut facilius obtineret, quod optabat, Palentinorumque mores corrigeret, ad Thuribium Provinciæ Præfectum ea de causa Montanus epistolam dedit, qua eumdem pluribus exornat laudibus, rogatque ut quæ Palentini contra canones præsumpserant, per ipsius increpationem emendaret. *Quæ tamen ex Palentino conventu ad nos pervenerint, Celsitudini vestræ indicare curavi, quo facilius per vestram increpationem nefanda præsumptio imposterum conquiescat.* Hactenus de Montani epistolis.

Epistola Montani Episcop. Toletani.

Clericis vetitum chrisma conficere.

Montani epistola ad Thuribium.

Amalaricus HispaniæRex occiditur.

6. Toletanæ synodi, ex permissione Amalarici Regis celebratæ, diu superstes idem, Rex non fuit; nam hoc eodem anno, & Regno, & vita excidit, ut narrat Auctor appendicis ad chronicum Victoris Tunonensis hoc anno. *Amalari-*

laricus Rex cum Eidiberto Francorum Rege in Gallia superatus Narbonensi in prælio, Barcinonem fugiens venit, ibique a Franco Angone percussus interiit. Cui consentit, Isidorus in chronico, dum quinto Regni sui anno Amalaricum obiisse narrat. Miseri Principis casum Gregorius Turonensis describit. Chrotildem Clodovei filiam, Childeberti sororem, uxorem duxerat Amalaricus, quam cum nec blanditiis, nec minis, e catholica Fide ad Arianam perfidiam pertrahere potuisset, eousque in eam sæviit, ut plerumque præcedente illa ad sanctam ecclesiam stercora, & diversos fœtores super eam projici imperaret. *Ad extremum autem, tanta eam crudelitate dicitur cæcidisse, ut infectum de proprio sanguine sudarium, fratri transmitteret: unde ille maxime commotus, Hispanias appetiit. Amalaricus vero hæc audiens, naves ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto, cum Amalaricus navem deberet ascendere, ei in mentem venit, multitudinem se pretiosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cumque ad eosdem petendos in civitatem regrederetur, ab exercitu a porta exclusus est. Videns autem se non posse evadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cæpit. Sed priusquam limina Sancta contingeret, unus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit Spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat: quæ nescio quo casu in via mortua est, & postea Parisios allata, juxta Patrem suum Chlodoveum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum pretiosissima detulit; Nam sexaginta Calices, quindecim patenas, viginti Evangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata: sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis, & basilicis Sanctorum dispensavit, ac tradidit.* Hæc Gregorius Turonensis. Eademque Isidorus, & Procopius, qui tamen Amalaricum non in Hispania, sed in Galliis victum, & occisum fuisse scribunt, quem etiam Narbonæ obiisse auctor appendicis ad chronicon Tunonensis scribit. Cum vero tunc temporis Galliarum pars, & Narbonensis provincia Hispanico Visigothorum Regno subdita esset, nil mirum si auctores in Hispania, alii vero in Gallia eum periisse scribant.

Greg. Tur. hist. lib. 3. c. 10.

Chrotildis ob fidem catholicam ab Amalarico marito Ariano divexata.

7. Defuncto Amalarico in Visigothicum Regnum successit Theudis, qui, Theodorici Italiæ Regis nomine eas pro-

Theudis Amalarico in Regno Visigothorum succedit.

JESU CHR. AN. 531. provincias administraverat, & regnandi cupiditate abreptus, Tyrannidem usurpaverat. *Qui cladi superfuerant*, ait Procopius, *ex Gallia cum uxoribus, liberisque egressi, in Hispaniam ad Theudim jam palam Tyrannum se receperunt*. Theudis licet Arianus, catholicis tamen favit, teste Isidoro. *Æra 569. Justiniani Imperatoris tempore, post Amalaricum Theudis in Hispania creatur in Regnum per annos sexdecim, qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit ecclesiæ Dei, ut licentiam catholicis Episcopis daret, in unum apud Toletanam urbem convenire, & quæcumque ad ecclesiasticam disciplinam necessaria existerent, dicere, licenterque disponere*. Ex quibus verbis nonnulli concilium Toleti hoc anno habitum, sub Theude, potius quam sub Amalarico celebratum fuisse scribunt, etsi Amalarici nomen in præfatione, & canone quinto retineatur.

Gelimeres in Africa Vandalorum Regnum occupat. Vict. Tunonen. in chron. Procop. de bello Vand. l. b. 1. cap. 9.

8. Non solum in Hispania, sed in Africa magni motus fuerunt, ubi hoc anno Hildericus Rex Vandalorum, a Gelimere consobrino Regno dejectus, in vincula conjectus est, ut Victor Tunonensis narrat in Africa Episcopus. *Post Coss. Lampadii & Orestis, Gelimer apud Africam Regnum cum Tyrannide sumit, & Carthaginem ingressus, Hildericum Regno privat, & cum filiis custodiæ mancipat, atque Oamerdigum, multosque nobilium perimit*. Rem fusius Procopius describit. *Quidam erat e Gizerici stirpe Gelimer, Gelaridis filius, Genzonis nepos, pronepos Gizerici, jam grandis natu, uno præcedente ætate Ilderico; ideoque ad Regnum, ut existimabatur, propediem perventurus*. Cum autem nimium differri sibi regnum videret; se intra legem, ac præscriptum tenere non poterat: verum sibi munia Regis arrogans, honorem ante diem usurpabat, & Ilderico facili, indulgentique utens, impotentia animi efferebatur. Tandem Vandalorum fortissimis quibusque in suas partes pertractis, suasit ut Regnum Vandalicum sibi traderent, dejecto a gubernaculis Ilderico, tum ignaviam & illatam a Mauris cladem, tum quod Justino Augusto Vandalorum opes eo proderet animo, ne ipse ex alio gentis regiæ ramo editus, regnum obtineret, eoque spectare missam Byzantium legationem addidit. His illi inducti rationibus rem exequuntur. Ita dominatum occupat Gelimer, & Ildericum VII. annos regno potitum, cum Hoamere ejusque fratre Evage in custodiam tradit. Anno 523. Hildericus

cus Trasamundo successerat, unde per annos octo regnavit, non vero septem, ut dicit Procopius, nisi dicamus annos tantum completos a Procopio numeratos fuisse.

Jesu Chr. an. 531.

9. Tunc Justinianus Augustus, qui, teste Procopio, cum Hilderico & phœdere & amicitia conjunctus erat, in Gelimerem iratus, datis litteris, lagationeque missa, ut Hilderico Vandalicum Regnum restitueret, rogavit; at Justiniani legatio, & preces in irritum cessere, quin *Hoamerem luminibus orbavit: Ildericum, atque Evageem arctiori custodia sepsit, peccati insimulatos, quod Byzantium aufugere meditarentur.* Justinianus vero Legatione altera cum epistolis ad Gelimerem missa petiit, ut Ildericum, & Hoamerem cæcum ad se mitteret, addens: *Movet enim nos fiducia, quæ illis in nostra amicitia fuit. Nec nobis obstabit pax cum Gizerico composita: nam ejus legitimo successori non inferemus bellum; sed illatam injuriam ulciscemur. His lectis Gelimer, ita rescripsit: Rex Gelimer Justiniano Imp.. Nec per vim sceptrum obtinui, nec propinquis meis ulla injuria facta est. Etenim Vandali Ildericum in Gizerici domum nova cudentem de dignitatis gradu dimoverunt: me vero ad regnum ætas vocavit, prærogativam mibi jure concedens. Porro is pulchre facit, qui suo Imperio administrando intentus, alieni curas non suscipit. Tibi igitur, cum sis Imperator, nefas est alio distrahi curiositate: fædifrago autem, nosque adorienti pro viribus obsistemus, testantes jusjurandum Zenonis, a quo Imperium ad te devenit. Iratus jam satis Gelimeri Justinianus Aug., cum bas litteras accepisset, ad ultionis cupiditatem exarsit acrius, censuitque, ut consilia acute inveniebat, & impigre exequebatur, bellum sine mora cum Persis dirimendum esse, & in Africam transferendum*, quod anno sequenti perfecit, ait Procopius.

Epist. Justiniani Imp. ad Gelimerem.

Altera Justiniani Epistola

Epistola Gelimeris ad Justinianum.

10. De rebus in Oriente hoc anno, qui quintus Imperii Justiniani numeratur, gestis adnotare sufficiet, vario marte, variaque fortuna Romanos cum Persis bellum gessisse, de quibus plura apud Procopium videri possunt. Interea cum Martyropolim obsiderent Persæ, Cavades Persarum Rex morbo acuto correptus interiit, anno quinto Imperii Justiniani, ait Agathias, cui Chosroes successit. Chosroes autem anno sequenti cum Romanis pacem firmavit, qnæ tamen diuturna non fuit, quin Chosrois Regnum Romanis adeo infaustum fuit,

Belli Persici exitus, Cabadis Persarum Regis obitus, & pax cum Romanis facta.

JESU CHR. AN. 532. fuit, ut teste Agathia, cum eo nemo ex Persarum Regibus comparari potest, *nequidem si Cyrum, Darium, Xerxem nominaveris*, sed de Chosrois gestis, belloque adversus Romanos gesto, sequentibus annis.

JESU CHRISTI AN. 532. JOANNIS 2. PAPÆ 1.
JUSTINIANI IMP. 6. ATHALARICI AN. 7.

Bonifacii Papæ obitus.

1. Insequens Christi annus 532., cum nulli consules creati fuerint, cum nota postConsulatum, Lampadii, & Orestis secundo notatus est, quo anno Bonifacius Papa cum annos duos, dies 26. Romanam sedem tenuisset, mortuus est, & Joannem secundum successorem habuit. De Bonifacio Papa narrat Anastasius: *Eodem tempore venit relatio ab Afris de constitutione, ut cum consilio Sedis Apostolicæ omnia Carthaginensis Episcopus faceret*. Quid hæc verba significent in obscuro est, erudito viro placet his verbis indicari, legationem ad Sedem Apostolicam ab Africanis Episcopis missam, de recipiendis in ecclesia catholica, Arianorum presbyteris, qui hæresim ejurabant. Sed hæc non sub Bonifacio, sed sub ejus successore Joanne contigerunt, cum Gelimero victo, per Belisatium, Africana ecclesia sub catholico Imperatore libertatem adepta est, de quibus inferius. Bonifacii nomine epistola circumfertur ad Eulalium Alexandrinum Episcopum de reconciliatione ecclesiæ Carthaginensis; sed hæc epistola, sicuti & fidei professio per Justinianum ad Bonifacium missa quæ sic incipit *prima salus &c.* tamquam apocrifæ rejiciuntur, totque sunt falsitatis notæ, ut inutile sit iis immorari. De his agens Baronius: *Eant*, inquit, *procul a fidelium cœtu, qui in ecclesiam non habentem maculam, neque rugam ejusmodi conantur inferre quisquillias, longæque longius exulent a catholico orbe, qui, quæ corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur, nam super solidum fundamentum, firmamque petram structa est semper manens numquam casura sincera fides*. Hæc Baronius, sed ad Bonifacium redimus, qui *sepultus est in Basilica Beati Petri, sub die 16. Kal. Novemb.... & cessavit Episcopatus dies sex*, sic in editione Regia. In aliis tamen Codicibus libri Pontificalis legitur cessasse Episcopatum menses duos, dies 15., sicuti Baronius etiam legerat, quam lectionem retinendam multis adductis Codicibus

Bar. an. 530. num. 5.

cibus

cibus censet Pagius. Alii aliorum Codicum fide ducti, mensem unum dies 15. interpontificio tribuunt. Hoc unum inter omnes constat, hoc anno Bonifacium obiisse, & Joannem Petri cathedram ascendisse, quod etiam confirmat inscriptio antiqua, quæ extat in ecclesia S. Petri ad vincula, quam ex prototypo correctiorem damus; in historia Ecclesiæ S. Petri ad vincula a Monsacratio quoque relatam pag. 10.

Salbo Papa. N. JOANNE COGNOMEN
TOMERCVRIO EX SCE ECCL. Rom.
Presbyteris ordinato extit. SCICLEMEN-
TIS ad GloriamPontificalemPromoto Bea-
to Petro AP. PATRONO suo AVINCU-
LIS ejus SEVERVS. PB. ofst
et. it. PC. Lampadi et Orestis. VC. CC. vrbiclus
Cedrinus est.

Hactenus inscriptio, qua constat hoc anno Joannem ordinatum fuisse, etsi dies ordinationis in obscuro sit. Joannes Pontifex secundus hujus nominis, etiam Mercurius dictus est, *natione Romanus, ex Patre Projecto de Cœlio monte fuit*, qui tertio Pontificatus anno vivere desiit.

Joannes 2. Pontifex creatur.

2. Antequam Roma excedamus, de viro pietate, & doctrina illustri, qui ibidem florebat, sermo instituatur. Dionisium cognomento exiguum intelligo, qui, qualis quantusque fuerit, ex Cassiodoro ejus æquali, ac familiaritate & amicitia conjuncto scimus, dum scribit: *Generat etiam hodieque catholica ecclesia viros illustres, probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus, & Dionysius Monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus, in utraque lingua valde doctissimus: reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat, æquitatem. Scripturas divinas tanta curiositate discusserat, atque intellexerat, ut undecumque interrogatus fuisset, paratum haberet competens sine aliqua dilatione responsum. Qui mecum Dialecticam legit, & in exemplo gloriosi magisterij plurimos annos vitam suam (Domino præstante) transegit. Pudet me de consorte dicere, quod in*

De Dionysio exiguo, ejusque gestis.

JESU CHR. AN. 532. *in me nequeo reperire. Fuit enim in illo cum Sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas; ut in nullo se, vel extremis famulis anteferret, cum dignus esset Regum sine dubitatione colloquiis. Interveniat pro nobis, qui nobiscum orare consueverat; ut cujus hic sumus oratione suffulti, ejus possimus nunc meritis adjuvari. Longum est de illo viro cuncta retexere, qui inter reliquas virtutes, hoc habuisse probatur eximium, ut cum se totum Deo tradidisset, non aspernaretur saecularium conversationibus interesse. Castus nimium, cum alienas quotidie videret uxores: mitis, cum furentium vesano turbine pulsaretur. Fundebat lacrymas motus compunctione, cum audiret garrula verba lætitiæ: jejunabat sine exprobatione prandentium. Adeo conviviis gratanter intererat, ut inter epulas corporales inquisitus, spiritales semper copias exhiberet. Quod si tamen aliquando comederet, parvo quidem cibo, sed tamen escis communibus utebatur. Unde summum genus æstimo patientiæ, inter humanas esse delicias, & abstinentiæ custodire mensuram.* Hæc & alia de eodem Cassiodorus, quem Abbatem Romanæ urbis dicit Beda libro de temporum ratione cap. 45.. At Romanum quidem moribus, & Romæ monachum ex Cassiodoro eum fuisse scimus.

DionysiusCyclum Paschalem edit. 3. Cum autem ecclesiasticis scientiis, & linguis Latina, & Græca ita excelleret, *ut quoscumque libros Græcos in manibus acciperet, latine sine offensione transcurreret, iterumque latinos Attico sermone legeret*, a Petronio Episcopo rogatus, ut Paschalem cyclum conderet Romanæ ecclesiæ, qui tot de Paschate controversiis finem imponeret, morem amico suo gerens, Cyclum annorum 95. confecit, qui proxime Cyrilliano succederet. Cyclus Cyrilli anno Æræ Diocletianæ 247., qui Domini est 531. finem accepit suum. Itaque Cyclus Dionysianus incepit anno præsente, qui Domini est 532. Dionysium ipsum audiamus ad Petronium scribentem: *Nonagintaquinque annorum hunc Cyclum studio, quo voluimus expedire contendimus ultimum ejusdem beati Cyrilli, idest, quintum circulum, quia sex adhuc ex eo anni supererant, in nostro hoc opere præferentes. Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum, ab anno Diocletiani 153. cæpit, & ultimum in 247. terminavit: nos a 248. anno ejusdem tyranni potius, quam Principis inchoantes, nolumus circulis nostri*

nostri memoriam impii, *&* *persecutoris innectere*; *sed magis eligimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prænotare*, *quatenus exordium spei nostræ potius nobis existeret*, *&* *causa reparationis humanæ*, *idest*, *Passio Redemptoris nostri evidentius eluceret*. Porro sex annis priusquam Cyclus inciperet, Dionysius eum descripsit, anno scilicet 525., cum sex adhuc anni ad Cyrilliani Cycli exitum superessent, qui anno 531. terminabatur. Eruditissimus Petavius in notis ad epistolam Dionysii observat, se in veteri Codice regio post eamdem epistolam statim legisse: *Incepit cyclus Decemnovennalis .... in præsenti namque tertia Indictio est*. *Consulatu Probi Punionis*, *tertius decimus circulus Decemnovennalis decimus Lunaris est*. Probi vero Junioris Consulatus, & tertia Indictio notæ sunt, vestigiaque anni 525.. Est igitur accurate in cyclo distinguendus annus compositionis, ab anno quo editus est. Prior ad 525., posterior vero ad 532. pertinet, ad labentem scilicet, atque idem initium cyclo Dionysiano assignat MSS. Codex, quo sic legitur. *Dionysius Paschales scripsit circulos*, *incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis* 532., *qui annus est Diocletiani* 248.. Ipsi enim debemus, quod remota computandi ratione ab annis Diocletiani, qua Alexandrina, & Antiochena utebatur ecclesia, per consules, vel indictiones, a Christi Domini Incarnatione, annos cyclo suo numerare cœperit, qui modus hactenus perseverat. *Primi decennalis*, ait Beda, *circuli cursu temporum ordo præfigitur*; *quem Græci calculatores a Diocletiani Principis annis observavere*: *sed Dionysius venerabilis Abbas Romanæ Urbis*, *&* *utriusque linguæ*, *Græcæ videlicet*, *&* *Latinæ non ignobili præditus scientia*, *Paschales scribens circulos*, *noluit eis* (*sicut ipse testatur*) *memoriam impii persecutoris innectere*; *sed magis elegit ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi tempora prænotare*; *quatenus exordium spei nostræ potius nobis existeret*; *&* *causa reparationis humanæ*, *idest Passio Redemptoris nostri evidentius eluceret*; & alio libro: *Dionysius Paschales scribit circulos*, *incipiens ab anno Incarnationis* 532., *qui est annus Diocletiani* 248. *post Coss*., *Lampadii*, *&* *Orestis*, lege, iterum post Coss. Lamp., & Orestis.

JESU CHR. AN. 532.

Beda de temporatione c. 45.

4. Cæterum non una erat Orientalium de anno Incarnationis sententia, ait Pagius, nam Alexandrina ecclesia pri-

Variæ sententiæ de anno Incarnationis.

Jesu Chr. An. 532.

primum Incarnationis annum ab anno Juliano 43., Mundi vero 5501. deducebat. Antiochena vero ecclesia Christi Incarnationem a die 25. mensis Martii anni Juliani 46., & Mundi 5493. auspicabatur: temporis tamen progressu, tam Alexandrini, quam Antiocheni annos Mundi, & Incarnationis a Kalendis Septembris ut plurimum inchoabant. Secunda hæc Orientalium Incarnationis Æra Dionysio magis probata fuit, sicuti & sæculo sequenti Constantinopolitanis, qui Christum die 25. Martii anni Juliani 45. Incarnatum fuisse credebant. Quare Æram Christianam, quæ hodie apud Latinos in usu est, inchoavit Dionysius cum Antiochenis ab anno Juliano 46., dieque 25. Martii, itaut secundus annus Cycli Dionysiani 532. annorum primus Æræ Incarnationis fuerit. Postea Æræ Dionysianæ initium immutatum est. Nam alii, ut Galli annum a die Paschatis: alii, uti alias Angli a die Natali Christi, seu die 25. Decembris anni Juliani 45., alii a Kalendis Januariis anni Juliani 46., uti in plerisque Europæ regionibus, exorsi sunt; alii denique hujus Æræ initium, prout a Dionysio institutum fuerat, retinuere. Imo apud veteres Æra Christiana modo vocatur Æra Passionis Domini, modo adventus Domini, modo Incarnationis, modo Nativitatis, licet neque a passione, neque a Nativitate, sed vel a Kalendis Januariis, vel a Paschate, vel ab Annuntiatione B. Virginis inchoata fuerit Dionysii æra.

Anni initium variis modis sumptum.

5. Dum de Dionysii cyclo agitur, inter eruditos quæstio est, num Dionysius cyclum annorum 532. construxerit, scilicet ab hoc anno ad annum 1063.. Id contendit post Scaligerum Pagius, aliique, quibuscum sentiebat clarissimus Norisius. Primus omnium hoc in dubium vocavit Petavius, cui se adjunxit Norisius, postquam Dionysii cyclum genuinum, qui tot sæculis in angulo delituerat, ex marmore Ravennate illustrandum accepit a Doctissimo Ciampino, idque clarissimis testimoniis demonstrat, Dionysium scilicet alium cyclum non edidisse, nisi annorum 95. Primum ducit ex epistolis Ceolfridi in Anglia Abbatis circa annum 709. datis, quibus testatur Diouysium Cyrilliano cyclo annorum 95., alterum totidem annorum substituisse, pari schemate, idest ex quinque cyclis decemovalibus conflatum, numquam ergo cyclum annorum 532. Dionysius exaravit: quod etiam testimonio Bedæ confirmatur, dum postquam dixisset, post annos

Num Dionysius cyclum annorum 532 confecerit.

Petavius de doctrina temp. lib. 12. cap. 3.

Norisius præfat. de cyclo Ravennate.

Beda de temp. ratione c. 63.

nos 532. cuncta, quæ ad solis, lunæque cursum pertinent, eodem, quo præterierant, ordine restaurari, hæc statim addit: *Quod ut apertius clarescat, placuit eumdem plenario ordine Circulum præsenti opusculo proponere, sumpto exordio a quingentesimo trigesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno, ubi primum Dionysius circulum cœpit, & perducto opere, usque ad millesimum sexagesimum tertium, ejusdem Sacrosanctæ Incarnationis annum; quatenus legentes quique, non solum præsentem, vel futurum prospicere, sed præteritum omnem Paschalis statum temporis inerrabili possint intuitu respicere*. Ex his autem duo colliguntur. In primis Dionysium non descripsisse Cyclum Paschalem ab anno Christi 532. ad annum 1063., sive non composuisse magnum Cyclum annorum 532., alias Beda actum inani opera egisset. Dein ipsum Bedam Paschalem periodum ab anno Christi 532. per totidem insuper annos expansam, ad annum 1063. deduxisse, aliis argumentis id evincit doctissimus Norisius ex cyclo Ravennate, quod legitimum Dionysii exigui opus creditur, quem curiosus lector consulere potest, dum nos ad alia Dionysii opuscula properamus.

JESU CHR. AN. 532.

Norisius dissert. de cyclo Ravennate.

6. Inter Dionysii opera, collectio canonum, eorumque ex Græco in latinum translatio, primum obtinet locum, cujus operis Cassiodorus meminit. *Petitus a Stephano Salonitano Episcopo, ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit, quos hodie usu celeberrimo ecclesia Romana complectitur*. Habebat quidem jam tunc Romana ecclesia suum canonum Codicem, sed mutilum, & interpretum, vel librariorum incuria mendis pluribus scatentem. Extat ejusdem Dionysii epistola in collectione canonum Cresconiana, qua hæc habentur:

De collectione canonum Dionysii exigui.

Domino Venerabili mihi Patri Stephano Episcopo Dionysius exiguus in Domino salutem.

Quamvis charissimus Frater noster Laurentius, assidua, & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas ecclesiasticas de Græco transferre impulerit, confusione credo priscæ translationis offensus: nibilominus tamen ingestum tuæ beatitudinis consideratione suscepi, cui Christus Omnipotens Deus, solita

Dionysii Præfatio ad Stephanum.

JESU CHR. AN. 532. *litâ populo pietate prospiciens, summi Sacerdotis contulit dignitatem &c.*, in cujus laudem multa addit; deinde de collectione canonum. *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum ignorare vestram noluimus Sanctitatem; quamvis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. Deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ antea, seu quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum Centumquinquaginta Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, idest a primo Capitulo usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habentur in Græca auctoritate, digessimus. Tum Sancti Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credamur velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ latine sunt edita, suis a nobis numeris cernuntur esse distincta. Universarum vero definitionum titulos post hanc præfationem strictius ordinantes, ea quæ in singulis passim sunt promulgata Conciliis, sub uno aspectu locavimus, ut ad inquisitionem cujusque rei compendium aliquod attulisse videamur*. Hactenus de sua collectione Dionysius ad Stephanum.

Ubi Dionysiana canonum collectio invaluerit.

7. Dionysianam canonum collectionem, spreta antiqua, ambabus ulnis excepit Romana ecclesia, teste Cassiodoro loco citato. Romanam immitata est Hispana ecclesia, ut liquet ex Concilio Bracharensi 2. anno 562. celebrato, in qua viguit, donec Martinus Bracharensis Episcopus novam edidit, quam ex Codice potissimum Ecclesiæ Orientalis, & nonnullis Occidentalibus Synodis, aliisque Hispanicis decerpsit, dum jam esset Bracharensis Episcopus; ideoque post annum 569., quo Monasterii Dumiensis adhuc Episcopus interfuit Concilio Lucensi eo anno celebrato. Hæc collectio a Concilio Lucensi in Gallæcia probata est anno 571.. Fuit autem Martinus Pannonius, Teste Turonensi lib. 5. cap. 37., qui Græcos ritus sancte, & prudenter ad mores Latinorum accommodavit, & Græca Capitula Latina fecit, ut notat Garsias Loaysa in Præfatione ad Martini Bracharensis Capitula, ubi tamen eum Græcum fuisse perperam scribit. An eadem collectio Dionysii in Gallias statim invaluerit, non una est scriptorum Galliæ sententia. De Marcha Archiepiscopus Pariensis

Marcha de concordia Sacerdotii, & Imp. lib. 3. cap. 3.

ſis id affirmat dum ait. *Tum quia apud Sedem Apoſtolicam vigebat, tum etiam, quod nitore ſuo commendabatur præ ſqualore veteris interpretationis; & ſi hanc omnino Galli non deſeruerint*. Contrariam tamen ſententiam tuentur Chriſtophorus Juſtellus in Præfatione Codicis univerſæ Eccleſiæ, Sirmondus in Præfatione ad antiqua Concilia Galliæ, & Queſnellus tom. 2. Operum S. Leonis Diſſert. 16., de primo uſu Codicis Canonum Dionyſii Exigui in Gallicanis regionibus. Sed quidquid de hac controverſia ſit, Decretales Pontificum Romanorum epiſtolas nonnunquam in uſum vocatas in priſcis Galliarum Synodis, conſtat ex cauſa Contumelioſi Regienſis in ſecunda Provincia Narbonenſi Epiſcopi, quem Joannes 2. Pontifex Maximus, ob ea quibus accuſabatur crimina, Epiſcopatu ſuſpendit, decrevitque, ut in ejus locum viſitator conſtitueretur, datis ea de re ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum litteris, quibus continebantur capita Canonum, qui Judicia Epiſcoporum ſpectabant, & qui in Contumelioſi cauſa uſui eſſe poterant: tranſcripta autem erant ea capita ex collectione, & Interpretatione Dionyſii exigui: *Nemo mihi*, inquit Cæſarius, *alia qualibet contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ aut contra* 318. *Epiſcoporum præcepta, vel reliquorum Canonum ſtatuta objiciat, quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum Sanctum locutum eſſe credimus, dictum fuerit, recipere non ſolum temerarium, ſed etiam periculoſum eſſe non dubito*.

Quibus canonibus Dionyſii collectio conſtet.

8. In nova canonum collectione adornanda, Græcæ collectionis ordinem ſecutus eſt Dionyſius, ita ut canonum per numerorum ſeriem a primo Nicæno uſque ad Canonem tertium Conſtantinopolitanum, qui centeſimus ſexageſimus quintus totius Collectionis recenſetur. Tum omiſſis Canonibus Concilii Epheſini, Canones Concilii Chalcedonenſis ſubjungit adnotans, in his Græcorum Canonum ultimum eſſe. His vero adjunxit quinquaginta Canones Apoſtolicos, deinde Concilii Sardicenſis Canones, & Conciliorum Africanorum, quos latine editos fuiſſe ait. Unde tota collectio conſtat centum ſexaginta quinque Canonibus antiquæ collectionis, deinde 27. Canonibus Concilii Chalcedonenſis, 21. Sardicenſis, & 138. Conciliorum Africanorum, præter quinquaginta Canones Apoſtolicos; tota vero ſumma 394. canonum capita continet. Ut autem Collectioni nihil deeſſet, Pontificum Romanorum

Dc-

JESU CHR. AN. 532.

Decreta, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinebant, a Siricio usque ad Anastasium 2. inclusive, post Canones subjunxit. Canonum collectionem Stephano Episcopo dicavit. Collectionem vero epistolarum Rom. Pontificum Juliano Presbytero, Tituli Sanctæ Anastasiæ inscripsit. Sed de Collectione Dionysiana plura Marca laudatus cap. 4. Beveregius, Justellus, Coutan, Quesnellus, & Fratres Ballerini S. Leonis Papæ editores. Præter recensita hactenus Dionysii opuscula, extat adhuc ejusdem epistola ad Eugippium, de versione tractatus S. Gregorii Nisseni, de hominis creatione, epistolæ quoque duæ de Paschate S. Cyrilli, & Proterii, ac vita Sancti Pachomii, & epistolæ duæ S. Procli, cujus sermonem in latinum Dionysius transtulit.

De collectionibus Ferrandi, & Cresconii.

9. Eamdem provinciam, post Dionysium, inierunt Ferrandus Carthaginensis ecclesiæ Diaconus, & Cresconius, qui collectiones canonum publicarunt, ille Justini, & Justiniani tempore vixit; Cresconius ducentis fere annis posterior fuit. Ferrandi opus, quo ecclesiæ canones collegit, Breviationis Canonum titulum præfert. Cresconii vero collectio duas veluti partes habet, quarum prior Breviarium Canonicum dicitur; posterior integros Canones, ac Decreta eo ipso ordine, quo in Breviario citantur exprimit, inscribiturque in MSS. Codicibus, vel concordia Canonum, vel Liber Canonum, de quibus plura apud supracitatos auctores videri possunt.

Seditio Constautinop. excitatur.

10. Orientalis Imperii res eousque turbatæ hoc anno fuerunt, ut exorta adversus Justinianum Imp. rebellione, urbs Regia rapinis, incendio, cœdibusque repleretur. Rebellionis causam, & seriem his verbis ad hunc annum Justiniani quintum narrat Marcellinus. *Hypatius, Pompejus, & Probus genere consobrini, Divique Anastasii nepotes, Imperium, quod sibi singuli indigna ambitione exoptabant, Idibus Januariis, jam plerisque nobilium conjuratis, omnique seditiosorum turba armis, donisque ministratis illecta, dolis invadere tentaverunt, atque per quinque continuos dies urbem regiam rapinis, ferro, igneque per sceleratos Cives, sine certo interrege discursantes, hostili impietate, ipsi se fideles reipublicæ in palatio dissimulantes, depopulati sunt. Quinta vero hujus infandi sceleris die, dum de foro Hypatius sceleratorum Comitum manibus, torque redimitus aureo, & Pompejus Comes ejus sua sub veste*

Marcell. in chron. p. 380.

veste loricatus, ad invadendum conscendunt palatium; uterque eorum ante fores palatii captus est, statimque piissimi Principis nostri nutu, catenatus, trucidatusque pœnas luit, & ante Imperium perdidit, quam haberet, innumeris passim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuo proscriptis. Ecclesia tunc incensa mox cœpit ab eodem Augusto renovari. Fusiori stylo rem prosequitur Procopius, & chronicon Alexandrinum, ac ex levissima causa, & ex mutuis factionibus Prasinæ partis cum Veneta, seditionem excitatam fuisse adnotant, nam circum ingressa plebs, ex his, qui Prasini studebant acclamarunt. *Acta per Calepodium cubicularium, & Spatharium rescindantur. Multos annos Justiniano. Tu vincas. Injusta patimur*. Deinde Calepodius Spatharius, & Cubicularius is est qui nos injuria afficit. Pluribus inde inter factiones Venetas, & Prasinas jactatis convitiis, ac Imperatore multis probris insectato, descenderunt Prasini, relicto Imperatore, cum Venetis. His clamoribus excitatus Imperator, misit Basilidem Patricium, Hermogenem, & Constantiolum, qui indicto silentio petierunt a populo, qua de causa tumultuaretur, qui illico clamavit contra Joannem Præfectum Prætorii; & Rufinum Quæstorem, & Præfectum urbis. Quibus ad Imperatorem perlatis, utrosque extemplo exauctoravit, iisque Phocam, & Basilidem substituit. His tamen plebis furor non cessit, quin prædæ amore incensa in Palatium irrumpere tentavit. At Belissarius cum Gothorum globo seditiosos invadens, plurimos ex his occidit. Interea exacerbati cives, in barbaros viri ac mulieres testis & lapidibus pugnabant, ii vero ignem ædibus injicientes, urbis maximam partem incendio vastarunt, ut pluribus narrat auctor chronici Alex. singulis diebus gesta exponens. Neque hic tragœdia finem habuit; nam die Dominica, Januarii 18. Imperator progressus in circum, sedit in solio, gestans manu Sanctum Evangelium, quo debitæ erga Principem obedientia rebelles monebantur. Confluenti in Circum plebi, Justinianus adhibito juramento hæc loquitur: *Per hoc Imperium meum condono vobis eam offensam, nec ullum ex vobis jubeo comprehendi. Quiescite modo, nulla enim apud vos culpa residet, sed apud me. Peccata enim mea fecere, uti vobis negarem, quod a me in circo petivistis*. Ad hæc multi ex Populo clamant, *Auguste Justiniane, vincas*. Alii tamen peje-

JESU CHR. AN. 532.

JESU CHR. AN. 532. pejeras inquiunt, & festinantes ad Hypatium, Anastasii ex sorore nepotem, turbido clamore vociferantur, Hypati Auguste, tu vincas.

Hypatius a plebe coronatur, & Imperator consalutatur.

11. Si Marcellino fides sua stat, ipse Hypatius incentor hujus seditionis fuit. At Procopius vi abreptum fuisse dicit. Certe ea displicebant ejus uxori, Mariæ nomine, fœminæ continentiæ, & prudentiæ eximiæ. *Quæ Maritum retentans, nec dimittens inclina, ululantique voce clamabat hominem ad mortem rapi, & amicorum, necessariorumque opem implorabat*. Sed a plebe repulsa, Hypatius invitus reluctansque ad forum Constantini ducitur, ibique Imperator inauguratur, & in Palatium ingressus, cum ei Euphemius dixisset Justinianum fuga sibi consuluisse, confidentius in throno sedere cœpit; Justinianus interea in tanta rerum perturbatione tantoque periculo, quid ageret, pene ignorabat, & triclinium ingressus æreis portis bene obfirmatis, a Mundo, Constantiolo, Basilide, Belisario quæsivit, quid agendum, num scilicet subsistere, an fugere sibi expediret; a capiendo fugæ consilio Theodora excelsi mulier animi obstitit, honestam mortem exilio anteponendam dicens. Una itaque restabat via, ut armis scilicet Imperii Majestatem tueretur; ob quam rem, Narses, Belisarius, Mundus, aliique, qui Justiniano fidem servaverant, seditiosos per diversa loca adoriuntur, eosque sine discrimine concidunt, adeo ut nemini, sive ex civibus, vel ex peregrinis, qui tum in circo erant, parceretur. Inter eos Hypatium e throno raptum, & Pompejum ad Imperatorem ducunt: quos die Lunæ Januarii 19. milites interfecerunt, deinde in mare projecti sunt, ut piscium visceribus sepelirentur. Hypatii vero corpus, cum ad littus appulisset, inter illos collocatur, qui noxii periere: jubenteque Imperatore, defuncto tabula imponitur cum ea inscriptione: *Hic situs est Imperator Luppæ*. Paucis post diebus consanguineis concessum est corpus inferre sepulchro, quod in Æde Sanctæ Mauræ conditum est. Pompei Corpus nusquam apparuit: reorum bona publicata: Thomæ Medico caput amputatum: Patricii, qui Hypatio favebant, arrepta fuga, vel in Monasteria, vel in sacras Ædes se se abdiderunt; deprehensi amissis bonis proscripti sunt: Ephræmius Alexandriam relegatur. Sic Imperium ante perdidit Hypatius, quam habuerit. Triginta millia hominum, & eo amplius in ea seditio-

ditione perierunt, tandem die Januarii vigesima Constantinopolitana seditio extincta fuit, ac apertæ sunt officinæ, ut egentibus alimenta præstarentur: verum cives diu spectaculis, & circo abstinuerunt.

Justinianus Venetos contra Prasinos excitat.

12. Extincta seditione Justinianus sedatior animo factus, Senatores *quos ordine moverat*, *tum Hypatii Pompeiique liberos in pristinum gradum restituit*, *atque e facultatibus*, *quidquid amicis non dederat*, *ipsis restituit*. *Hic fuit Bizantinæ seditionis exitus*, ex insanis Circi factionibus, quæ Venetorum rebellione ac Prasinorum dicebantur exortæ, quæ utinam tam infausto exitu sopitæ fuissent, neque eas imprudentia sua Justinianus ipse fovisset; nam ut ait Evagrius: *Placuit Justiniano ita vehementer in alteram factionem eorum, qui Prasini dicuntur, animo propendere, ut impune possent ipso meridie in civitate adversarios trucidare, & non modo non pœnas metuerent, verum etiam dignarentur honoribus, adeo ut inde multi homicidæ existerent. Licebat autem illis in ædes alienas irrumpere, thesauros diripere in illis reconditos, hominibus suam ipsorum salutem, ac vitam divendere. Et si qui magistratus illos cohibere moliretur, suo ipsius capiti creavit periculum. Unde certe vir quidam, qui gessit in Oriente magistratum, quoniam nonnullos eorum, qui rebus novis studebant, nervis coercere voluit, quo modestiores efficerentur, per mediam urbem circumductus fuit, nervisque graviter cæsus. Callicinus porro præfectus Ciliciæ, cum duo Cilices, Paulus & Faustinus, homicida uterque, in eum impetum facerent, occidereque in animo haberent, quoniam pœna ex legibus constituta eos mulctavit, in crucem actus est, hocque supplicio pro recta conscientia, & legum observatione affectus. Inde factum est, ut qui alterius erant factionis, cum domiciliis suis fugissent, & a nemine usquam exciperentur hospitio, sed velut scelera, ubique exagitarentur: tendere insidias viatoribus, compilare, cædes facere cœperunt, usque eo, uti omnia loca nece immatura, direptione, & reliquis id genus maleficiis redundarent. Interdum animo in contrariam sententiam mutato, ejus generis homines interfecit, legumque permisit potestati etiam eos, quos ante passus fuisset more barbarorum in Civitatibus impia scelera consciscere. Sed ad ista sigillatim persequenda mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicendi*. Hæc Evagrius, eademque confirmat Procopius hist.

JESU CHR. AN. 532.

Arcan. cap. 17., dum refert Præfectum secundæ Ciliciæ Gallinicum nomine in Crucem actum fuisse, eo quod Venetum quemdam homicidii reum capite damnaverit.

De ecclesiis a Justiniano extructis.

13. Extincta seditione, urbeque pacata, Justinianus victoriam suam continuo per Imperii provincias nunciavit. *Tum cœpit magno studio instaurare magnam ecclesiam, & Palatium, atque omnia civitatis ædificia, quæ igne absumpta fuerant.* Tot vero Justinianus ædificia sacra, & profana extruxit, refecit, nobilitavit, ut iis describendis sex libros Procopius insumpserit, ad quos lectorem mittimus. De sacris tantum summatim aliqua adnotamus, & primum de templo S. Sophiæ, quod amplitudine & ornatu adeo magnificum fuit, ut intuentium captum, & audientium fidem superaret. Huic vicinum erat alterum Irenes dictum, quod magnificentia vix illi cedebat. *Inter utrumque erat hospitalis Domus, hominibus destinata valde pauperibus & ægrotis; nempe quibus ad egestatem accessisset invaletudo. Eam Samson, vir summa in Deum pietate, qui superioribus annis floruit, ædificaverat.* Cumque seditiosorum rabie & incendio, hæc quoque destructa fuisset, magnificentius eam Justinianus restauravit, cameris reddituque auxit, ut plures egestate, & morbo affecti quovis tempore levarentur. *Insuper huic alia duo Xenodochia adversa condidit in ædibus Isidori, atque Arcadii, quas appellant, piis hisce operibus socia Theodora Augusta navante operam. Cætera vero Templa Christo posita a nostro Principe, tot ac tanta sunt, ut singillatim recenseri nequeant. Nam nec par oratio nobis suppetat, neque ætatis quantumcumque fuerit spatium satis pateat texendo recitandoque catalogo singulorum*, ait Procopius. Quibus alia plurima addit de Templis CPoli, & in toto Romanorum Imperio ab Justiniano & Theodora Deo dicatis in honorem Beatæ Virginis Mariæ, Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum catalogum tantum texere longum esset, ac integri pene Procopii libri excribendi essent.

Chron. Alex. Procop. de ædificiis Just. lib. 1. cap. 1.

Justinianus martyrum precibus non semel a morbo liberatus.

14. Hoc unum adnotare juvabit, pro sua in martyrum templis extruendis exornandisque pietate, sua spe & mercede non fuisse frustratum, nam eodem testante Procopio, cum aliquando gravi laboraret morbo, ut salutis recuperandæ vix spes esset, Sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani intercessio-

cessione repente sanatus fuerat; & iterum cum ægrotaret, & ob illapsam in genua magnam humoris copiam graviter cruciaretur. Quem ille morbum sibi ipse accersiverat, dum toto eo tempore, quod Paschale festum præcedit, arctissimo cum jejunio transegerat. Biduum enim traducebat impastus, etsi die tota, & noctis etiam maxima parte Reipublicæ negotiis intentus vigilaret. Ad mensam quippe, nonnisi oleribus, iisque agrestibus, sale & aceto diu maceratis vescebatur: ejusdem potus mera aqua erat. Ac ne his quidem se se unquam explebat: sed cum cibum caperet, sua illa fercula leviter delibata, prius remittebat, quam necessitati satisfecisset. Crudescens hinc morbus opem vicit Medicinæ, ac diuturnos dolores passus est Imperator. Hoc interim spatio, sacras reliquias SS. quadraginta martyrum inventas fuisse audivit. Quare eorum ope implorata, integram recepit sanitatem. *Nam simul ac Sacerdotes Imperatoris genu discum admoverunt, morbus evanuit, corporibus divino obsequio mancipatis, coactus cedere. Qua de re nullum ambigendi locum relinquens Deus, illustre editi miracali signum dedit. Repente enim oleum ex sacris reliquiis, effusum arculaque exundans, Imperatoris pedes, ac vestem purpuream benignissime rigavit. Quare vestis sic delibuta asservatur in Regia, testimonio rei tunc gestæ, & saluti futura posteris, qui in morbos insanabiles delabentur,* ait Procopius.

Justinianus Lenonescoercet.

15. His illustriora sunt, quæ una cum Theodora conjuge Justinianus pro corrigendis moribus gessit, dum effrenem libidinem, mulierumque licentiam coercuit. *Bizantii Grex erat muliercularum, quæ in Lupanari servire veneri adigebantur, corpusque cum ignotis obviisque miscebant.* Lenones etiam plurimi turpi quæstu victitabant, qui non solnm in Fornice quœstus venereos tractabant, sed in foro etiam publico alienam formam nundinabantur, ac pudicitiam turpi obsequio constringebant, quos Justinianus, & Theodora Augusta urbe ejecit. *Fœminasque egentiores servili luxuria liberarunt, efficientes ut vitam nemini mancipatam, & junctam cum libertate continentiam colerent. His ita constitutis, in eo freti littore, quod in Pontum Euxinum navigantibus dextrum est, veterem Regiam in Monasterium splendidum mutarunt: ut eo receptæ fœminæ, quas anteactæ vitæ pœniteret, intentis animis divino cultui, contractas meretricio*

Procop. de ædif. lib. 1. Justin. cap. 9.

 insti-

JESU CHR. AN. 532. Monasterium Pœnitentiæ ædificat.

instituto noxas expiarent. Cui rei consentaneo nomine, Pœnitentia dicitur hoc mulierum domicilium. Eidem Monasterio amplos redditus uterque attribuit, multaque cubicula ædificavit, decore ac splendore maximo solatium allatura fœminis: ne qua necessitas studium continentiæ quomodocumque infringat. Hactenus de sacris Bizantii ædificiis, in quibus Justinianus Aug. elaboravit. Quæ vero in universo Romano Imperio idem construxit, singillatim enumerare grave est, nec par his oratio suppetit, ait Procopius.

Justiniani prodigalitas, & Avaritia.

16. Tot tantosque thesauros ab Imperatore Justiniano consumptos fuisse in restaurandis ædificandisque Templis, Xenodochiis, monasteriis, aliisque publicis, privatisque domibus mirari desinet lector, cum animadverterit, parem in Justiniano cum prodigalitate fuisse avaritiam, ac in colligendis corradendisque pecuniis majorem industriam, quam in erogandis facilitatem, & ut Procopium prætereamus, quem in historia arcana Justiniani vitia exagerasse constat, Evagrio teste utemur, qui immodicas impensas recensens, ejusque inexplebilem habendi cupiditatem, ait: *In Justiniano tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis, atque adeo absurda rerum alienarum appetitio, ut omnia subjectorum bona his, qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures, imo vero innumerabiles, qui multa bona possidebant, causa falsa commentitiaque conficta, omnibus fortunis mulctavit. Quod si quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicujus bona adjiciens, consuetudinem se ullam cum eo, vel conjunctionem habuisse simularet, statim omnia jura ac leges, modo Justinianum turpis lucri socium constitueret, ejus causa eversæ jacuerunt, facultatesque omnes illius, qui falso in crimen adductus erat, fuerunt in ejus domum translatæ. Erat porro tam largus in pecunia eroganda, uti multa sancta, & magnifica templa in multis locis extrueret, aliaque sacra ædificia, quibus tum viri, tum mulieres, & ætate tenera, & exacta, tum qui variis morbis vexabantur, sedulo accurarentur, ædificaret: magnamque seorsum colligeret a suis pecuniarum vim, unde ista perficerentur: alia denique infinita exequeretur opera, quæ sane pia, Deoque accepta essent, si modo vel ille, vel alii, qui talia moliuntur, de suis ipsorum bonis efficienda curarent,*

suæ-

suæque vitæ actiones vacuas a sceleris labe, tamquam hostiam Deo offerrent. Hæc Evagrius, quibus nil verius dici potest, nam qui offert sacrificium de substantia pauperum, *quasi qui mactat filium in conspectu Patris sui.*

JESU CHR. AN. 532.

Collatio CP. catholicorum cum Severianis.

17. Ceterum etsi Justinianus avaritiæ labe aspersus esset, virtutibus tamen nonnullis eluxit, præcipue zelo catholicæ fidei (etsi non semper secundum scientiam), ut ab eo gesta hoc anno declarant. Cum etenim Orientalem ecclesiam Severiani (Eutychianorum factio) turbarent, ut collationem cum catholicis Constantinopoli inirent, jussit, quam hoc anno habitam fuisse, indicat Justiniani epistola anno sequenti ad Joannem Pontificem scripta, quibus testatur. *Omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus, & subjicere, & unire sedi vestræ Sanctitatis properavimus.* Quæ in ea gesta, dictave sint, Innocentius Maroniæ Episcopus Thomati, sive Themati Presbytero narrat, quæ nos summatim exhibemus. Vocati itaque in Regiam urbem Severiani, atque ex catholicis Episcopis sex, Hypatius scilicet Ephesi, Joannes Versinæ, Innocentius Maroniæ, Stephanus Seleuciæ, Anthimus Trapezuntinæ, Demetrius Philipporum Antistites, quos in Palatio, quod Hormisda dicebatur, congregatos cum Epiphanio Regiæ urbis Episcopo, Justinianus sic alloquitur. *Eo quod pro his, qui cum Severo Episcopo ab Ecclesia desciverunt, convocavi vos, ut de his quibus ambigunt conferatis cum eis, cum omni mansuetudine & patientia, sicut decet orthodoxos, & sanctos viros. Etsi enim illi exasperati fuerint, vos tamquam Dei amatores, cum omni mansuetudine, & tranquillitate eis satisfacite,* Strategio autem Magistrorum officio, ut in ea resideret, præcepit. Die itaque statuta convenerunt ex catholicis Episcopis quinque, ex Severianis sex, cum aliis clericis, & monachis, quibus assidentibus Strategius dixit: *Piissimus, atque tranquillissimus noster Dominus, tamquam orthodoxus, & rectam fidem quotidie augere desiderans, convocavit vestram religionem, non ex auctoritate principali, sed paterna, & sacerdotali compunctione; quod de his quibus ambigitis, a præsentibus SSmis Episcopis satisfiat vobis, qui propter hoc ab ejus pietate sunt evocati. Scitis autem & vos, quoniam gloriosæ memoriæ Pater meus Appius ex Ægyptiorum oriundus provincia, & tam vestras, quam Alexandrinorum secutus sectas, dubitabat communicare sanctæ majori ecclesiæ*

Collationis CP. sessio prima.

Jesu Chr. an. 532. *ecclesiæ in hac civitate constitutæ: sed piissimi atque fidelissimi Imperatores ratione ei persuaserunt, eo quod non aliud symbolum, vel aliam fidem tradiderint nobis hi, qui in Chalcedone congregati sunt Reverendissimi Episcopi, nisi eamdem quæ in Nicæa, & in Constantinopoli & Ephesi confirmata est. Ipsi quoque fidem decreverunt, & Nestorium, & Eutychem, qui novas hæreses inducebant, condemnarunt, qua ratione persuasus communicavit sanctæ Ecclesiæ. Et vos igitur non contentiosa mente, sicut decet venerabiles viros, quæcumque vobis dubia videntur opponite coram religione eorum, & Dominus per ipsos satisfaciet vobis*. Responderunt Strategio Severiani, se Imperatori libellum obtulisse quo ea, quæ ambigua ipsis videbantur, exposuerant. Quibus Hypatius, qui catholicorum nomine loquebatur, respondit se libellum legisse, quo Chalcedonense concilium adversus Eutychianam hæresim congregatum criminabantur. *Propter quod dicite nobis, qualem opinionem de Eutyche habetis*. Orientales, sive Severiani ingenue professi sunt, hæreticum, hæresisque auctorem eum se habere, Dioscorum tamen ab Ephesinis damnatum, orthodoxum existimare. Disjuncta hæc esse, & maxime contraria, ostendit Hypatius, quia Dioscorus Eutychem erroris absolverat, Flavianum, Eusebiumque damnaverat, neque resipiscentem Eutychem susceperat, quem ipsi Severiani anathemate feriebant. Opus ergo fuisse Concilio, quod Conciliabuli Ephesini scita rescinderet, quæ injusta erant. Neque id a Severianis negatum est, quin dixerunt: *Bene quidem, & necessarie congregatum est, si & justum finem suscepit*, hæc prima Collationis die sunt gesta.

Collationis CP. sessio secunda.

18. Secunda die cum rursum convenissent, postquam collationis præteritæ summam Hypatius Severianis in mentem revocavit, ab iisdem quæsivit, quid in concilio Chalcedonensi reprehenderent. Responderunt ante omnia duarum naturarum novitatem. Beato enim Cyrillo, & antecessoribus ejus ex duabus naturis, unam naturam Dei verbi incarnatam, post unitionem prædicantibus, illi in duabus naturis innovare præsumpserunt. Hanc suam opinionem, non unius Cyrilli dumtaxat, sed Athanasii etiam, Felicis, Julii, Gregorii Thaumaturgi, ac Dionysii Areopagitæ auctoritate confirmare conati sunt. *Beato enim Cyrillo*, ajebant, *& Dionysio Areopagitæ unam naturam Dei verbi decernentibus post unitionem, hos*

hos omnes transgressi illi, post unitionem præsumpserunt duas naturas prædicare. At his Hypatius dixit Cyrilli scripta interpolata fuisse, cumque ex Synodo Ephesina Patrum testimonia adduxisset, nullum tamen de una natura, post unionem extare addidit verbum. Severiani autem: *Quid ergo suspicamini, quia nos ea falsavimus?* Id criminis ipsis se non adscribere dixit, verum in suspicionem adduxit antiquos Hæreticos Appollinaristas, Athanasii vero ad Epictetum Epistolam a Nestorianis corruptam esse adnotavit. Urgentibus Severianis, ut testimonia in libris Cyrilli adversus Diodorum, & Theodorum legerentur, ea sibi suspecta esse dixit; testimonia vero Dionysii Areopagitæ veteribus omnibus incognita esse addidit, ac post longam de his, aliisque levioris momenti concertationem; ac præsertim quod Theodoreti, & Ibæ nomina in dypticis retinerentur, quod jure meritoque factum fuisse catholici demonstrarunt, in communionem tunc recepti a Chalcedonensi synodo, cum anathema Nestorio dixissent, sessio secunda finem habuit. JESU CHR. AN. 532.

19. Die autem altera cum ad eos ingressus esset Justinianus. *Ipsos quidem*, idest Severianos, *præcepit in uno scamno sedere, nos autem in altero una cum gloriosissimis judicibus. Et omnibus nobis tacentibus, pietas ejus tanta ac tales ad eos locuta est, cum omni mansuetudine, & tranquillitate, ut si alter mihi diceret ab ejus pietate hæc dicta, vix crederem, nisi ipse auribus meis audissem, quæ cum magna gratia Dei ex benedicto ejus ore prolata sunt. Nam Davidicæ mansuetudinis, & Mosaicæ patientiæ, & Apostolicæ clementiæ instar in eo conspexi: etsi enim non iisdem sermonibus, quibus beatus Paulus, sed tamen eadem mente, qua ille ad sanctam Ecclesiam vestram scripsisset, locutus est cum eis*, ait Innocentius Maroniæ Episcopus in epistola Thomati Presbytero inscripta. Nil tamen ea oratione profecerunt Severiani, quin veterem instaurantes adversus catholicos calumniam, Imperatori dixerunt, eos non confiteri Dominum Jesum Christum in carne passum unum esse ex Trinitate, nec ejusdem personæ fuisse, tum miracula, cum passiones. Quorum calumniam etsi ea perspicuitate Epiphanius coram Imperatore diluisset, ut ne tergiversationi quidem locus remaneret, in sua tamen obstinatione, uno excepto Philoxeno Episcopo, ceteri perseverarunt; ex clericis vero, & monachis, qui collationi adfue-

Justiniani ad Episcopos allocutio.

Labb. concil. to. 4. p. 1777.

Jesu Chr. an. 532. fuerant, quamplurimi ad ecclesiæ catholicæ communionem redierunt, se hactenus ab Episcopis deceptos fuisse dicentes. Hæc de collatione cum Severianis ejusque exitu.

20. Hujus autem collationis occasione, qua tunc primum a Severianis opera Dionysii Areopagitæ in publicum, ad conciliandam erroribus suis fidem, producta sunt, in celebrem de eorumdem scriptorum auctore quæstionem devolvimur; quo scilicet auctore, & tempore ea in lucem prodierint; ac primum Dionysio Areopagitæ, cujus in actis Apostolicis mentio fit, quem etiam Athenarum Episcopum, & martyrem fuisse Martyrologia testantur, falso inscribi opuscula, quæ ejus nomine circumferuntur, certum adeo est, ut post tot virorum doctorum observationes, alia addere jam pigeat, quæ passim apud Tillemontium, Dupinium, Cellierium, Launojum, Morinum, ut innumeros alios prætereeam, ut mirum fit Natalem Alexandrum virum ceteroquin immensæ eruditionis, & exquisiti ingenii, in desperata causa longissimam texuisse dissertationem, quæ vigesima secunda est sæculi primi, ut opera Dionysio inscripta tanto auctori vindicaret. Quo autem auctore, & tempore in lucem prodierint, difficile est invenire, ac difficilius definire. Hoc unum apud omnes constat, hoc anno a Severianis seu semiEutychianis, aut Acephalis in sui erroris confirmationem, una cum testimoniis, & scriptis Cyrilli Alexandrini, & Athanasii producta fuisse; at temeritate eadem, qua Severiani, Dionysii Areopagitæ auctoritate & testimonio abusi sunt, eadem libertate tamquam ignota scripta, & supposititia ab Hypatio Ephesiorum Episcopo rejecta sunt. Cum etenim nonnullos veteres Patres, veluti unam naturam post unitionem verbi, docuisse dixissent Severiani, *Beatum*, scilicet, *Cyrillum*, *&* *Beatum Athanasium Alex. civitatis Episcopos*, *Felicem*, *&* *Julium Rom. ecclesiæ*, *Gregorium mirabilium factorem*, *&* *Dionysium Areopagitam*; Spurias invehi ac venditari merces, nihil hæsitans dixit Hypatius. *In tantum falsæ sunt*, addidit, *epistolæ sive testificationes illæ*, *quas dicitis*, *ut neque unam ex illis Beatus Cyrillus voluerit recordari*. Querentibus autem Severianis, quod tamquam impostores & falsarii haberentur, antiquis Apollinaristis hæreticis, has fraudes & imposturas tribuendas esse dixit Hypatius; deinde de scriptis Dionysii nomine vulgatis: *Illa enim testimonia*, *quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis*, *unde potestis osten-*

Opera Dionysio Areopagitæ falso inscripta.

ostendere vera esse sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere Beatum Cyrillum. Quid autem de Beato Cyrillo dico! quando & Beatus Athanasius si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno concilio de substantiali Trinitate, eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ sententiæ blasphœmias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. Ex veterum itaque silentio & præsertim Cyrilli, & Athanasii, Areopagitæ scripta spuria, & conficta esse probabat Hypatius, quod etiam ex Eusebii, & Hieronymi silentio clarius patet; nam cum ambo veterum Patrum opuscula recensuerint, dum de Dionysio Areopagita mentionem faciunt, vulgata ab eo opera nequaquam præteriissent, At quo certius est opera Dionysio Areopagitæ inscripta, supposititia esse, eo obscurius est, quo auctore, aut tempore edita sint: hoc unum constat, hoc tempore jam vulgata fuisse, ac præ manibus Severianorum fuisse, qui ea in sui erroris confirmationem, ut diximus, protulerunt. Non eam tamen, adhuc ea ætate, auctoritatem habuisse, quam postea seculo septimo ineunte, cum in ea Sanctus Maximus catholicæ fidei adversus Monothelitas propugnator, & martyr scholia addidit, sibi vindicarunt, obtinueruntque usque ad seculum decimumseptimum; nam Hypatius Ephesinus Episcopus in ea collatione catholicorum partes gerens, ut Dionysii Areopagitæ testimonia sibi opponi audivit, eadem antiquis Patribus ignota, ac suspectæ fidei fuisse aperte testatus est. Ante hæc tempora autem eadem scripta vulgata fuisse, ac quinto desinente seculo præ manibus multorum fuisse inde patet, quod Joannes Scithopolitanus in Palæstina Episcopus, qui quinto desinente seculo, & sexti initio usque ad annum 518. circiter eam sedem retinuit, ab hæresis nota vindicavit, scholiisque illustravit. Unde Anastasius bibliothecarius in epistola ad Regem Carolum calvum, cum Joannis Scithopolitani Episcopi, & Maximi martyris scholia in Dionysii Areopagitæ opera in latinum reddidisset, hæc adnotavit: *Ipsorum autem scholiorum, quæcumque in calce sui signum vivificæ Crucis habent, a B. Maximo confessore & monacho inventa narrantur, cetera S. Joannis Scythopolitani Antistitis esse narrantur.* Eodem etiam seculo sexto ineunte, Euphremius Antiochenus Episcopus, qui eam sedem ab anno 527. ad annum 545. rexit, ac

JESU CHR. AN. 532.

Quo tempore vel auctore Dionysii opera in lucem sint edita.

Jesu Chr. An. 532. ac pro synodo Chalcedonensi scriptis editis pugnavit; Areopagitica scripta laudavit, eorumque testimoniis usus est, ut apud Photium Codice 228. & sequenti manifestum est. At quotquot sive quinto desinente seculo, sive sexto ineunte, aut scholia ad Areopagitam addiderunt, aut ejusdem testimoniis usi sunt, in ea fuerunt opinione, ut eadem opuscula a Dionysio Areopagita edita fuisse crederent, nec umquam de eorumdem auctore dubitarunt; quare nullam his, qui opuscula eadem Dionysio Areopagitæ supposita esse tradunt, de eorumdem auctore, lucem fenerant. Hinc in varias de eorumdem operum auctore sententias eruditi viri abierunt; Apollinario Filio, aut saltem Patri ea inscribenda esse Caveus in historia litteraria tradidit, at eum tota errare via probat De Rubeis, cum aperte Apollinaristarum deliria iis in libris confutentur. Dionysio Alexandrino Episcopo, qui tertio ineunte seculo eam sanctissime gubernavit ecclesiam, inscribenda esse tradit Baratterius, in dissertatione addita ad disquisitionem chronologicam de successione antiquissima Romanorum Pontificum typis ultrajectinis anno 1740. edita, at eum quoque falli, aut lectores fallere inde constat, quod Dionysii magni & Alex. Episcopi opera antiquis notissima fuerint; hæc autem, quæ Areopagitæ inscribuntur, usque ad seculum quintum saltem omnibus ignota fuerunt. Turpius adhuc ii errarunt, qui eadem opuscula latino potius, quam Græco scriptori, aut etiam Gregorio Magno Pontifici inscribenda esse suspicati sunt; ac inter eos Dodvvellus, qui conjecturas suas Caveo epistola sua exposuit; hæc etenim somnia magis quam argumenta sunt, a Derubeis loco citato paragrapho sexto confutata. Michael autem Lequien in dissertatione undecima Damascenica, Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum Eutychianum, seu Menophositam, aut aliquem ex ejus discipulis auctorem Areopagiticorum operum fuisse contendit, quem etiam invictis, ut nobis videtur, argumentis pluribus idem Dernbeis confutat, eorumdemque auctorem catholicum fuisse probat. Neque Sinesio Ptolemaidis Episcopo ea tribuenda esse constat; quin hoc unum scimus, quod cum sub nomine Dionysii Areopagitæ larvatus auctor prodierit, quisnam is fuerit, nuspiam apparuit, aut apparere potest, quare hæc cum eruditissimis viris ignorare non erubescimus. Præcipua Areopagitæ opera hæc sunt.

De Rubeis dissertat. in opera Dionysii Areop. to. 2. in fine.

Caveus tom. pag.

sunt. De celesti Hierarchia liber unus, de ecclesiastica Hierarchia alter, tertius de divinis nominibus, de mistica Theologia, & epistolæ decem, nonnulla etiam opuscula fuisse deperdita ex antiquis scriptoribus scimus. Omnia in unum postremus collegit, edidítque duobus in folio tomis Bernardus Derubeis Ordinis Prædicatorum, Venetiis anno 1756., ac quæ hactenus ab eruditis viris, de vita, Martyrio, aut operibus Dionysii Areopagitæ adnotata sunt, tomo secundo inseruit, ita ut lector quisque harum quæstionum curiosus, nullibi uberiora invenire poterit.

Sancti Sabæ obitus.

21. Nunc reliqua hujus anni gesta prosequimur, quo S. Sabas spiritum Deo reddidit. Peracta etenim ad Justinianum Imp. legatione, de qua anno 530. egimus, Hierosolymam reversus, ac cum gaudio a Patriarcha susceptus, venerabilia loca cum adorasset, iisque valedixisset, in suam Lauram profectus est. Ubi paulo pòst in morbum incidit. Id ubi cognovit Petrus Hierosolymorum Episcopus, ad eum visitandum descendit; cernensque nihil eumdem habere solatii in cella, præter siliquas paucas, & veteres palmulas, impositum lecticæ ad Episcopalem domum perduxit, ejusque ibi curam gessit, propriis manibus eidem ministrans. At diebus aliquot transactis, cum revelatione cognovisset, se cito moriturum, ut in suam Lauram mitteretur, rogavit. *Quare Archiepiscopus, ut ei satisfaceret, misit eum cum convenienti curatione in Lauram suam. Qui senex in propria discumbens turricula, initio mensis Decembris, convocatis Lauræ patribus, dedit illis quemdam Præpositum, Berytium genere, appellatione Melitam, adhortatus eum, ut constitutiones suis Monasteriis traditas inviolatas servaret, quas ei scriptas tribuit. Cumque dies quatuor transegisset, nihil sumendo, & cum nullo congressus, vespere Sabbati, petita communione atque accepta, postquam postremo dixit; Domine in manus tuas commendo spiritum meum; animam reddidit.* Sabæ obitum cum superiori anno copulant eruditi viri. At Cyrilli verba hoc anno obiisse indicant, dum ait *obiit vero ætatis suæ anno 94., post consulatum Lampadii, & Orestis secundo, sexto præsentis a Deo protecti Imperii* (scilicet Justiniani), qui characteres labenti anno conveniunt, natus enim erat Sabas anno 439. Theodosio XVII., & Festo Coss., itaque Sabæ 94. cum Decembri labentis anni finem accepit, qui secundus est

 postCoss.

Jesu Chr. an. 533. postCoss. Lampadii, & Orestis, & sextus Justiniani, ejus *mors contigit quinto Decembris indictione decima*.

S. Sabæ funus & miracula. 22. Obdormitionis ejus fama vulgata, immensa turba monachorum, & laicorum, cum Petro Hierosolymitano ceterisque Episcopis, qui cum eo erant, ad ejus funus convenerunt, *cujus corpus in maxima laura depositum est, inter duas ecclesias, quo loco columnam ignis viderat*, ait Cyrillus, qui his subdit innumera miracula, quibus Deus tanti viri sanctitatem testatam voluit, ac primo ejus corpus diu intactum permansisse adnotat. *Certe corpus ejus salvum, nec dissolutum in sepulchro ad hanc usque diem conservatum est. Id enim ego ipsis oculis conspexi superiori Indictione. Nam pretioso loculo adaperto, ad deponendum corpus beati Cassiani, descendi ut divini senis corpus adorarem, nactusque sum illud integrum & insolutum manere, ac demiratus glorificavi Deum, qui gloria affecit servum suum, eumque incorruptione honoravit, ante communem universalemque resurrectionem*. Cujus memoria eadem die, qua obiit, ab universa ecclesia singulis annis recolitur.

JESU CHRISTI AN. 533. JOANNIS PAPÆ 2. JUSTINIANI IMP. 7. ATHALARICI REGIS 8.

Pacem cum Persis Justinianus init. 1. Annus adest quingentesimus trigesimus tertius, Justiniani Imperatoris septimus, tertio ejusdem consulatu nobilitatus, & Imperii sui omnium faustissimus; hoc etenim anno pace cum Persis firmata, adversus Vandalos bellum suscepit, quod feliciter inceptum, præter spem etiam felicissimum habuit exitum. De belli Persici exitu, deque Vandalici initio & causis, plura narrat Procopius, nosque adnotabimus, eam expeditionem contra Senatus sententiam Justinianum suscepisse; memoria quippe repetebant Senatores: *Leonis Augusti classem, cladem que Basilisci, & numerum referentes tum militum, qui perierant, tum pecuniæ, quam ærarium debebat*. At Justinianum, tum Episcoporum exhortatione, cum prædictionibus felicioris exitus, ad eam expeditionem excitatum fuisse pluribus refert Procopius; cui etiam S. Sabas victoriam prædixerat, ut supra suo loco adnotavimus. His itaque innixus Justinianus perdifficilem, arduamque non timuit subire provinciam, durumque opus cunctis metuendum assumpsit,

JESU CHR. AN. 533.

psit, illud Davidicum volvens animo: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

Justinianus bellum adversus Vandalos suscipit.

2. Tot igitur ad Vandalicum bellum suscipiendum stimulis excitatus Justinianus, dum classem instruxit, navalia parat instrumenta, annonam, exercitum, optimam spem victoriæ sumpsit ex defectione Pudentii, & Godæ. Præerat Pudentius Tripolitanæ provinciæ, Sardiniæ insulam tenebat alter, utrique a Vandalis deficientes ab Imperatore auxilium expetierunt, spondentes se nullo negotio eas provincias sub ejus ditione redacturos. Vandalicæ expeditionis initia veterum nonnulli, ideſt Marcellinus, Victor Tunonensis, Marius Aventicensis sequenti anno alligant, quos sequitur Valesius; at hoc anno Justiniani septimo inceptum adversus Vandalos in Africa bellum fuisse apertis verbis testatur Procopius, qui huic expeditioni interfuit (erat enim Belisario a secretis). *Justinianus anno septimo Principatus, veris initio, navim Prætoriam ad littus juxta Regias ædes deduci jussit, sicque Belisarius cum uxore Antonina, atque historiæ scriptore hujus Procopio, qui sane belli istius pericula principio reformidabat.* At somno quodam recreatus lætus, ac de victoria securus, reliquum perfecit iter, ait idem Procopius. Ac primum ad urbem Perinthum, sive Heracleam appulsa classis, dies quinque ibidem substitit, ut equos quamplurimos, qui in Thracia alebantur, acciperet. Inde Abydo accesserunt, ubi dies quatuor moram facere coacta est classis, quo cum essent accidit, ut Messagetæ duo, dum pro more ebrii essent, sodalem quemdam interficerent, quos Belisarius in colle, qui Abydo imminet, arbori suspendi jussit, quam ob causam cum Messagetæ, aliique Romani milites, quibus delictorum impunitas cordi erat, adversus Belisarium obmurmurarunt, ac nimiæ severitatis insimularunt. *Belisarius Massagetis omnique exercitu convocato, sic verba fecit: Si nunc tyrones alloquerer prolixa opus esset oratione, & vobis, quantum justitia ad victoriam momentum afferat, demonstrarem. Nam qui casuum laboribus bellicis intercurrentium ignari sunt, in suis tantum manibus exitum belli tantum putant. At vos, qui & sæpe vicistis hostes &c.* longa oratione milites cohortatus est ad custodiendam justitiam, qua comite hostes vincuntur, *cum frustra sit fortitudo, ubi justitia defuerit*, sicque severitate sua, & ora-

Valesius in notis ad Evagr. lib. 4. cap. 6.

Belisarii iter in Africam.

JESU CHR. AN. 533. & oratione, sobrietatem ac modestiam militibus commendavit, quibus ad vincendos invictos hostes viam sibi stravit. Narratis deinde a Procopio variis navigationis eventibus, post tres menses ad Africæ oras tandem classis appulit in provincia Bizacena, in locum a Carthagine novem dierum itinere distantem. Cum igitur e Bizantio Bizacium feliciter classis pervenisset, exscensu e navibus in terram facto, mira Dei benignitate, ac providentia factum est, ut dum castra vallo fossisque munirentur, repente fons aquæ in arido solo erumperet, qui ad omnes vitæ usus hominibus, ac pecudibus abunde sufficeret.

Belisarii in Africam adventus & victoria.

3. Postridie vero cum quidam *milites agro dilapsi fructus tunc maturos carpissent, in eos Belisarius non leviter verberibus animadvertit*, ac advocata concione, militibus testatus est, se non passurum, ut Afris vim, vel injuriam inferrent, quibus id obtinuit, ut ubique Romani benigne exciperentur ab Afris, cunctaque, quæ victui necessaria erant, largiter subministrarent. Belisarius vero Syllecta urbe nullo negotio occupata, Carthaginem versus iter instituit, quod ubi Gelimer audivit, Carthaginem ad fratrem suum Ammatam scripsit, ut Ildericum, ac cœteros propinquitate, vel quavis alia ratione illi conjunctos, quos habebat in vinculis, interficeret; Vandalos, & si qui alii essent ad arma idonei, instrueret, ut cum hostis in angustias Decimi, qui locus est in agro suburbano, fuisset, eum utrinque interciperent, ac veluti septum profligarent: cujus imperio cum Ammatas paruisset, ac Belisarii milites ad Decimi locum, qui Carthagine stadiis 70. distat, pervenissent, tanto eos impetu Gelimer cum fratre suo Ammata aggressus est, ut eos terga vertere coegerit, ac facile eos non solum Carthagine, sed tota etiam Africa ejecisset, ut narrat Procopius: at dum Gelimer fratrem Ammatam, qui in conflictu occubuerat, luget, eique sepulchrum parat, Romanis se se colligendi, ac vires instaurandi occasionem præbuit, unde Vandalos ex improviso adorti, in fugam verterunt, & relicta Carthagine unde venerant, in Numidiam se receperunt.

Belisarius Carthaginem ingreditur.

4. Belisarius vero Carthaginem perveniens die sequenti, urbem victor ingreditur, Gelimeris Palatium ascendit, ac in ejus solio consedit, horaque prandii adveniente, *id instrui sibi jussit Belisarius, ubi Gelimer convivio Vandalorum Principes*

cipes excipere consueverat, idemque prandium habuit, quod Gelimeri paratum fuerat, quin *& Gelimeris ministri fercula apponebant*, pocula infundebant, & in omnibus ministrabant, tantaque tranquillitate res gesta est, ut in urbe capta, quæ regimen dominumque mutaverat, tabernæ etiam aperte essent, ceteraque officia non aliter, ac si pax summa esset, exercerentur. Vandalis vero, qui in templa confugerant, fidem publicam Belisarius dedit, animumque ad urbis muros instaurandos adjecit. Atque hæc non humanis casibus adscribenda, sed ineffabili Dei providentia evenisse, idem Procopius testatur, dum narrat S. Cyprianum per visum catholicis dixisse sæpe, se suas ulturum injurias, quod fidelissime implevit, dum die S. Cypriani pervigilio, juxta Kalendarium Carthaginense, die 13. Septemb., catholici pulsis Arianis eam ecclesiam occuparunt, in eaque cum ingenti gaudio ejusdem martyris festum celebrarunt. *Templum illud Vandali, regnante Hunorico, Christianis per vim eripuerunt, mox detrusis indignissime eorum Sacerdotibus, ipsi Sacra Ariano ritu deinceps curarunt. Mœstis ea re, & animi dubiis Afris Cyprianum sæpe visum in somnis dixisse perhibent, ne sua causa Christianos haberet sollicitos; futurum enim tempus, cum ipse factam sibi injuriam ulcisceretur. Quam vocem pervagatam, cum Afri omnes accepissent, pœnam aliquam, Sacrorum ejusmodi vindicem, tandem Vandalis irrogandam, avide expectabant; at quo demum visum illud evasurum esset, conjectura assequi nequibant. Jam vero, postquam in Africam Imperatoris classis appulsa est, pridie recurrentis festi, quamvis ad Decimum Vandalos Ammatas duxisset, Ariani tamen Sacerdotes templum perpurgarunt; e donariis, quæ illic asservabantur, pulcherrima quæque suspenderunt; Lychnisque ornatis, & sacra suppellectili e repositoriis educta, omnia, pro idoneo cujusque usu, diligenter pararunt. Consecuta sunt, quæ gesta apud Decimum supra dixi: tunc fuga elapsis Sacerdotibus Arianis, Christiani, rectæ fidei, ac veræ Religionis cultores, Cypriani ædem ingressi, lucernas omnes accenderunt, & sacra consueto apud se ritu curarunt: Ita quid visum significaret notuit.*

Catholici Cypriani templum ingrediuntur, ac festa celebrant.

5. Gelimer vero Carthagine exclusus, ut labentem Vandalorum dominationem erigeret, Regnumque retineret, nil non intentatum reliquit, ac primo Tzazonem fratrem, quem ad

Altera Belisarii de Vandalis victoria.

Jesu Chr. An. 533. ad recuperandam Sardiniam miserat, in Africam revocavit; Vandalos, agrestesque Africæ armavit, ac Carthaginem cum magno exercitu redire, eamque obsidere cogitaverat, sollicitatis etiam ad proditionem animis, tam Romanorum, quam Unnorum, quos secum Belisarius duxerat. Sed his omnibus summa prudentia occurrit Belisarius, & Vaudalis obviam progressus, in loco *Tricamaro* dicto, qui a Carthagine 140. stadiis distabat, ibique cum Vandalis inito prælio, Tzazonem Gelimeris Fratrem in fugam compulit, quo in prælio 50. minus e Romanis desiderati sunt, e Vandalis 800., ac occupatis Vandalorum castris, tanta pœcunia in iis inventa, quanta in nullo unquam loco. His gestis cum Belisarius Romanos prædæ cupiditate errantes ac dispersos collegisset, Gelimerem profugum insequutus est, qui montem Papuam præruptum, & inaccessum occupaverat in Numidiæ finibus, ejusque loci obsidionem delectis militibus, ac Duci Phare delegavit. Gelimeris vero thesauros, quos Bonifacii fide Hippone deportandos commiserat, data jurejurando Bonifacio fide, obtinuit. Quomodo autem Gelimer in Romanorum potestatem venerit, ac Vandalicum in Africa Regnum, post annos 94. ab eorum in Africam adventu, extinctum fuerit, anno sequenti videbimus.

S. Fulgentii obitus, & funera.

6. Eodem anno, quo victis per Belisarium Vandalis, Africana ecclesia pristinæ libertati restituta est, Kal. Januarii S. Fulgentius Ruspensis Episcopus obiit. Non una quidem de anno, quo tantus vir obiit, eruditorum sententia est, etsi omnes conveniant, annos vigintiquinque in Episcopatu eum transegisse; at de anno ordinationis ejus inter se diffident: nos vero, qui ad annum 308. eum ordinatum fuisse Episcopum diximus, labenti obiisse addimus. Quanta autem animi compunctione bonisque operibus ad vitæ exitum se Fulgentius præparaverit, auctor vitæ ejusdem pluribus narrat, ac tandem addit. *Orans jugiter, & intrantes singulos benedicens, usque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kalendarum Januariarum, post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vigesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicavit. Ipso autem die sanctum corpus ejus sepeliri minime potuit: sed in Oratorio monasterii constitutum, tota nocte illa in*

in Psalmis, Hymnis, & canticis spiritalibus vigilare monachos simul & clericos invitavit. Mane vero postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, Sacerdotum manibus ad Ecclesiam civitatis, quæ secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus plane in eadem Basilica Pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum, neque Sacerdotem, neque laicum sepelliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis removebat impedimentum consuetudinis: ambientibus universis civibus, & cum summa devotione quærentibus, ut ubi vir Sanctus, & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adjunctus. Quanto Ruspensium damno Fulgentius e vivis excesserit, domonstravit eventus, nam eo sublato, tamquam valido amoto præsidio, a Mauris ferro, & igne crudeliter vexati sunt. *Probaverunt quippe sæpius, quanta bona illis oratio B. Fulgentii præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut postea manifestis indiciis evidenter apparuit, quando non post plurimos dies accersitionis ejus, inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexavit, rapinis, cædibus, incendiis, multa devastans, atque intra ipsos Ecclesiæ parietes, quos invenire potuit jugulans. Quis B. Fulgentii gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli civitas illi commissa non sensit. Et cum tota pene provincia captivitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis, propter Sacerdotem venerabilem, cujus vita propriis civibus murus fuit.* Hanc Maurorum incursionem narrat Procopius, adnotans ipsos fœdere violato (quod cum Belisario inierant), dum ipsum (scilicet Belisarium) *cum scutatis, atque hastatis protectoribus suis discedere*, atque impleri naves *audierunt*, *sumtis improviso armis, omnes nocendi artes in Afros exercuere, viros fœdissime mactantes*, fœminas una cum parvulis in servitutem trahentes, quam ob causam Belisarius, cum jam ex Africæ oris soluturus esset, Salomonem ad cohibendam Maurorum rebellionem, una cum magna Prætorianorum manu misit.

JESU CHR. AN. 533.

S. Fulgentius in ecclesia sepultus.

Post Fulgentii mortem Ruspensis ecclesia vastatur.

Procop. de bello Vand. lib. 2, cap. 8.

7. De Fulgentii operibus supra, prout occasio se obtulit, egimus, præcipue anno 523., plurima deperdita lugemus, quæ Isidori tempore adhuc extabant, de quibus adnotat: *Fulgentius Afer Ruspensis ecclesiæ Episcopus, in confessione fidei cla-*

De Fulgentii operibus.

JESU CHR. AN. 533.

clarus; in scripturis divinis copiose eruditus, in loquendo quoque dulcis, in docendo, ac disserendo subtilis, scripsit multa: ex quibus legimus de gratia & libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Gallo Regiensis Urbis Episcopo, Pelagianæ pravitati consentienti respondens, obnititur ejus profundam destruere calliditatem. Legimus ejus librum de Sancta Trinitate ad Felicem directum Notarium: librum quoque regulæ veræ fidei, & aliud de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Extant & duo libri ejus de veritate prædestinationis ad Episcopos missi, in quibus demonstrat, quod gratia Dei in bonis voluntatem humanam prævenit, & quod Deus quosdam prædestinationis suæ munere justificans præeligat, quosdam vero in suis reprobis moribus occulto quodam judicio derelinquat. Est alter liber altercationis ejus, quo de fide cum Trasamundo Rege idem Fulgentius disputavit. Ad Ferrandum quoque Ecclesiæ Carthaginensis Diaconum unum de interrogantis quæstionibus scripsit libellum. Inter hæc composuit, & multos tractatus, quibus Sacerdotes in Ecclesiis uterentur. Plurima quoque feruntur ingenii ejus monimenta: hæc autem ex pretiosis doctrinæ ejus floribus carpsimus: Sors melior, cui delicias omnium librorum ejus præstiterit Deus, ait Isidorus. Constat insuper testificatione Ferrandi Diaconi Carthaginensis, in ipsis extremis vitæ momentis absolvisse Fulgentium tractatum ad Reginum de quæstione illa famosa Alexandriæ (ut vidimus) agitata, num Christi caro corruptibilis, an incorruptibilis esset: sed satisfacere eidem Regino Comiti minime valuit, cui postea ipse Ferrandus Diaconus satisfecit, scribens ad eumdem Comitem eo de argumento eruditum satis commentarium. Testatur id quidem ipse Ferrandus in operis sui prœmio. *Laudabili sollicitudine interrogasti venerabilis memoriæ Fulgentium Pontificem Ruspensis Ecclesiæ, qualis tibi militaribus actibus occupatus regula esset spiritualis propositi retinenda. Sapienter profecto responsum sapientiæ a sapiente quæsieras. Nec interroganti, nec interrogato sancta prudentia defuit: & tu quod ille docere poterat, jam gerebas; & ille hoc docere poterat, quod tu gerebas; mores tuos in sermonibus ejus agnosceres, sermones suos ille ex tuis moribus approbaret. Modo autem quia semipleni libelli imperfecta dictatio nihil huic tuæ interrogationi cognoscitur respondisse: principia enim gloriosi operis* pri-

primam quæstionem litterarum tuarum diutius ventilant, Utrum Caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis sit. Unde adhuc disputans ille doctor egregius, antequam fideliter (ratione fidei reddita) de actibus militaribus cum pietate tractandis inciperet loqui, transivit ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia, Verbum Dei, quod in corde & ore semper habuit, facie ad faciem contemplaturus: importabilem sarcinam super humeros debiles ponis &c.. Absolvit igitur Ferrandus ejus discipulus, quod Magister ipsius Fulgentius impeditus morte ea ex parte non attigit. Coluit mirifice Sanctum Fulgentium ipse Ferrandus Diaconus ut magistrum; nam & in epistola ad ipsum scripta, se esse ejus discipulum profitetur, dum eumdem magistrum appellat: dignus plane tanto institutore discipulus, licet non talis, qui æquaverit præceptorem. Fulgentio Felicianus successit; cujus ordinatio post annum contigit, ob dissentiones inter clerum, & populum Ruspensem exortas, unde auctor vitæ Fulgentii ad Felicianum successorem ajebat: *Nec hoc interim prætereundum silentio judicavi, quod dum ei successor quæreretur, discordantibus laicis, & clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit, ut illa die sanctitas tua super cathedram ejus sedit, quo ipse defunctus est*, ideſt Kal. Januarii.

In fidei quæstionibus Apostolica Sedes consulenda est.

8. Interea cum de ea thesi, an unus de Trinitate passus esset, diu acriterque inter Schitas, & Acæmetas monachos disputaretur, ad Apostolicam, & Romanam Sedem causa iterum delata est, cui præcipue de hujuscemodi quæstionibus judicium ferre potestas est, unde: *Interroga*, ajebat Ferrandus ad Severum CP., *vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem: cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine veritatis*. De ea quæstione interrogatus olim Hormisdas Papa, eam tamquam inutilem, aut suspectam etiam declaraverat. Hinc monachi Acæmetæ, qui cum Schitis ob eam quæstionem diffidebant, disputationis æstu abrepti, in Nestorianam pene hæresim præcipites ierant, ita ut Beatam Mariam vere, & proprie Dei genetricem esse negarent. Cumque scirent Apostolicam Sedem, sub Hormisda, Scytharum thesim respuisse, Legatos ad Joannem 2. Romanum Pontificem miserunt, Cyrum, & Eulogium monachos, ut opinionem, sive errorem, in qem abrepti fuerant, apud Apostolicam Sedem defenderent.

Jesu Chr. an. 533. Quæ ut noverunt Justinianus Imperator, & Epiphanius CP. Episcopus, ad eumdem Joannem Pontificem legatos destinarunt, Hypatium Ephesinum, & Demetrium Philippensem Episcopos, ut apud Sedem Apostolicam Acæmetarum conatus everterent, & confirmationem obtinerent agitatæ sententiæ *de uno ex Trinitate in Carne passo*, legatio autem directa est Imperatoris nomine, qui ad Pontificem litteras dedit.

Edictum Justiniani de fide catholica. 9. Ut autem Justinianus toto orbi testaretur, se in omnibus catholicam fidem sequi, hoc eodem anno edictum promulgavit, quod Romam, Hierosolymam, Antiochiam, & Alexandriam, aliasque metropoles misit, quod die 20. Novembris, indict. 12., hoc scilicet anno vulgatum fuisse tradit auctor chronici Alexandrini, cujus initium est: *Cum Salvatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum &c.* In eo Nestorii, & Eutychetis hæreses condemnantur, atque cum iis, qui negabant proprie, & secundum veritatem *Sanctam & gloriosam Mariam esse Deiparam, hoc est Dei matrem*; quorum numero erant monachi Acæmetæ, & qui non confitentur *Jesum Christum Filium Dei, & Deum nostrum incarnatum, & hominem factum, & Crucifixum, unum esse ex consubstantiali Trinitate*. Ejusdem edicti meminit postea Justinianus epistola ad Agapetum, his verbis: *Ante tempus in hac Regia urbe nostra quorumdam de causa fidei extitit morbosa contentio, quam nos congrue respuentes, interposito edicto repressimus*. Eo itaque edicto se orthodoxum esse testatus est Justinianus.

Chron. Alex. pag. 341.

De Justiniani legatione & epist. ad Joannem Papam. 10. Delectis interea ad ineundam legationem Cæsariensi, atque Ephesino Episcopo, ad Joannem Rom. Pontificem has dedit litteras. *Victor Justinianus, pius, felix, inclytus, triumphator semper Augustus, Joanni Sanctissimo Archiepiscopo Almæ Urbis Romæ, & Patriarchæ. Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ sanctitati; quod semper nobis in voto fuit, & est (ut decet patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire; quæ hactenus obtinet, & incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus & subjicere, & unire Sedi vestræ Sanctitatis properavimus.*

mus. In præsenti ergo, quæ commota sunt, quamvis manifesta & indubitata sint, & secundum Apostolicæ vestræ Sedis doctrinam, ab omnibus semper sacerdotibus firme custodita, & prædicata, necessarium duximus, ut ad notitiam vestræ Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim, (ut dictum est) properamus honorem, & auctoritatem crescere vestræ Sedis. Manifestum igitur facimus vestræ Sanctitati, quod pauci quidam infideles, & alieni sanctæ Dei catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ contradicere Judaice, atque Apostatice ausi sunt adversus ea, quæ ab omnibus Sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, & glorificantur, atque prædicantur, denegantes Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei, & Dominum nostrum incarnatum de Sancto Spiritu, & ex Sancta, atque gloriosissima semper Virgine Dei genitrice Maria hominem factum, atque crucifixum, unum esse sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum, & glorificandum Patri & Spiritui Sancto, consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis eumdem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eumdemque ipsum impassibilem Deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei, & Dominum nostrum fateri unum esse sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis unum Filium Dei, & alium dicentis Dei verbum, & alium Christum &c. His multa de Verbi Dei Incarnatione subdit, quæ longum esset exscribere, ac beatam Virginem vere Dei matrem appellari testatur, seque, suosque quatuor concilia Nicænum scilicet, CPolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense sequi, ac venerari ait, rogatque Pontificem, ut pro se orare dignetur, ac ut datis ad se, & ad Epiphanium CP. Episcopum litteris, eamdem fidem confirmaret, ut ibidem videre est.

JESU CHR. AN. 533.

Romana ecclesia mater & caput ecclesiarum.

11. Litteræ autem ab Epiphanio Episcopo Constantinopolitano ad Joannem Pontificem missæ, quarum Justinianus mentionem facit, non extant. At hujus legationis Anastasius meminit, qui de muneribus a Justiniano missis addit: *Eodem tempore vir religiosus Augustus Justinianus, summo amore Christianæ reli-*

Justiniani Imp munera S. Petro oblata.

JESU CHR. AN. 533. *religionis mittit fidem suam scriptam chirographo proprio ad Sedem Apostolicam per Episcopos Hypatium, & Demetrium. His diebus obtulit Christianissimus Imperator beato Petro Apostolo scyphum aureum circumdatum gemmis prasinis, & albis, & alios Calices argenteos duos, scyphum pensantem libras quinque, Calices argenteos singulos pensantes libras sex, & alios Calices argenteos duos pensantes libras quindecim, palliola vero auro texta quatuor.* Hæc ibi; ac usque ad sequentem annum Romæ adfuisse legatos, ex reddita a Joanne Pontifice epistola ad Justinianum Imperatorem, data sub quarto ejusdem Justiniani Consulatu cum Collega Paulino, scimus, quam ideo reddemus suo loco. Ejusdem argumenti est alia Justiniani Imp. epistola ad Epiphanium CP. Episcopum hoc ipso anno data, septimo Kal. Aprilis, qua se fidem catholicam proposito edicto professum fuisse testatur; ac de mota ab Acæmetis monachis de uno ex Trinitate passo quæstione ad Senioris Romæ Episcopum, idest ad Joaunem Papam scripsisse, ac legationem misisse narrat. *Nec enim patimur*, inquit, *quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem, cum ea sit caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum: vel eo maxime, quod quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia & recto judicio illius venerabilis sedis correcti sint.* Hæc & alia Justinianus.

Ferrandi epist ad Anatolium 12. Cum autem utriusque partis legati Romam adfuerunt, lectæque litteræ tum a Justiniano Imp., & ab Epiphanio CP. Episcopo, cum ab Acæmetis monachis missæ, apud nonnullos Rom. ecclesiæ clericos, num admittenda esset Justiniani petitio, diu deliberatum est, ac dum cuncta gravi lance judicii expenderentur, Anatolius Sanctæ Rom. ecclesiæ Diaconus consuluit Ferrandum Diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, Sancti Fulgentii discipulum, virum hujus temporis doctrina insignem, quæ ipsius esset de proposita quæstione sententia: num videlicet absque aliqua licet levi fidei orthodoxæ offensione dici posset unus de Trinitate passus in carne. Ad quem idem Ferrandus prolixam satis, atque eruditam epistolam scripsit, qua eam quæstionem egregie explicavit, probavitque eam propositionem de qua agebatur, de uno scilicet ex Trinitate passo, nullatenus Eutychianis, aut Nestorianis patrocinari. *Nihil plane*, inquit, *diutius cogitans reperi-*

perire valui, unde possit hæc sententia (quod a quibusdam jactatur) Eutychianis favorem præbere. Primum enim mendacium delirantis Eutychetis, hoc fuit, Unigenitum Deum, quando homo fieri dignatus est, non sibi assumpsisse carnem de utero virginali. Secundum vero, non esse nunc in Christo substantias duas, Divinitatis, & humanitatis, sed ex duabus his unam factam substantiam. Retractemus igitur diligenter utrasque sententias, & si vel uni eorum coaptari possit ista sententia, quæ unum de Trinitate passum fatetur, sollicitius inquiramus. Quid rogo, proficit ad negandum filio Dei materni corporis veritatem, quando Unus de Trinitate passus asseritur? Nonne si unus de Trinitate est, vere Filius Dei est, & si passus est, vere habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre sumptum, & quomodo pati potuit pura Divinitas? Perpende, qualis est caro Mariæ: sine dubio passibilis & mortalis. Ut ergo esset caro Verbi passibilis, & mortalis, ex illa carne habet originem, quæ fuit passibilis & mortalis. In prole igitur cognosce similitudinem generis per testimonium passionis, & expugnari magis Eutychianos, quam foveri, quando Unus de Trinitate passus asseritur, velis, nolis, adverte &c. sine dubio enim sub his verbis etiam prædicator unius in Christo substantiæ confutatur. Ut sit enim Christus unus de Trinitate, ad Divinitatem pertinet; ut credatur passus, ad humanitatem. Non esset qui passus est, unus de Trinitate, nisi unam haberet cum Patre & Spiritu S. Divinitatem. Non esset passus, qui unus est de Trinitate, nisi consubstantialem matri haberet humanitatem. Sileat ergo unius naturæ in Christo prædicator: duas enim naturas commemorat, qui Unum de Trinitate passum fatetur. Unum de Trinitate passum, Nestorianis non immerito displicet. Introducere enim quartam Personam volunt, cui accidisse æstimant Passiones. Eutychianis autem Unum de Trinitate passum non recte placet, si tamen placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas evidenter contendunt negare, quibus per hoc Capitulum manifesta re contradicitur. Cum autem in varios sensus distrahi poterat ea propositio unus de Trinitate passus est, ob idque tot contentiones excitatæ, addendum censuit Ferrandus eidem propositioni passum in carne, ideoque post multa, hæc habet: *Propter istos ista dixi, qui nunc audientes, unum de Trinitate passum, dicunt, adde secundum carnem: quasi*

Jesu Chr. an. 533.

quasi aliter intelligi debeat, etiam si ego non addam: vel addere multum necessarium sit, quod etiam si non additur, apparet. Libenter autem exigi a me patior, quod ultro addere sum paratus. Incunctanter profert lingua, quod retinet conscientia. Unus de Trinitate Filius Dei Jesus Christus, qui est una persona de tribus Personis, passus est secundum carnem. Eam nihilominus propositionem Trifolius quidam Romanus Presbyter in epistola ad Faustum Rom. curiæ Senatorem, sinistro sensu interpretatus, ex Arii fonte eam prodiisse ait. *Ista doctrina de fonte Arii prodivit, & est conveniens omnibus hæresibus &c.*. Verum is error Presbytero isti condonandus, qui a Fausto Senatore de hac propositione interrogatus per Epistolam, nec certior factus de fide, & doctrina Scytharum Monachorum, sed de turbis dumtaxat ab ipsis Constantinopoli, & Romæ excitatis, facile sibi persuasit, eos propositionem illam hæretico sensu asserere, maxime cum Legatos Hormisdæ Pontificis adversarios habuissent. Præterea nec ipsa Propositio Scytharum fideliter ad Trifolium relata fuit, ut liquet ex epistolæ ejus initio. Quæsivit enim ab eo Faustus Senator, quid de illa propositione sentiret: *Unus de Trinitate crucifixus est:* & tamen Propositio Monachorum Scytharum hæc erat: *Unus de Trinitate crucifixus est in carne*. Omnia Trifolii dubia resolvit, explicatque Natalis Alex. At alia Justiniani mens erat. Is quippe dum asserebat unum ex Trinitate in carne passum, multa præmiserat, atque addiderat, quibus in omnibus catholica fides confirmabatur. Eamdemque thesim cum Ferrando Carthaginensi Diacono Dionysius exiguus, tunc in urbe doctrina celebris, defendebat, cujus rei gratia, in latinum transtulit Procli epistolam ad Armenos, cui præfationem affixit, qua docuit pie recteque dici, unum ex Trinitate passum in carne.

Theodati consilium de prodenda Tuscia.

13. Legationis a Justiniano Romam missæ meminit Procopius, ubi agit de Theodato, qui Justiniano Tusciam, cui ipse præerat, prodere tentavit. *Inter Gothos quidam erat nomine Theodatus, filius Amalafridæ sororis Theodorici, provecta jam ætate homo, ac latinis quidem litteris, & philosophia Platonis imbutus, sed rei bellicæ plane rudis, summe ignavus, & avaritiæ deditus extra modum. Hic agrorum Tusciæ partem maximam cum possideret, e reliquis exturbare Dominos enitebatur, genus quoddam infelicitatis esse ducens, habe-*

habere vicinos. Quam hominis cupiditatem omni studio reprimebat Amalasuntha: ideoque hanc ille inespiabili odio prosequebatur, victusque impatientia, Tusciam in Justiniani Aug. potestatem tradere cogitabat, ut ab eo multa auctus pecunia, & in Senatum allectus, deinceps Byzantii vitam ageret. Cum id Theodato deliberatum esset, Legati ad Rom. Pontificem veniunt Hypatius Ephesiorum Antistes, ac Demetrius Philippensium, qui sunt in Macedonia, ut de Religionis dogmate agerent, in quo dubii sententiis inter se Christiani dissentiunt. Porro Theodatus cum Legatis illis clam collocutus, quæ dicebam modo, ipsis plane exposuit, injunxitque, ut initum a se Consilium Justiniano Augusto enuntiarent. Ista Procopius.

Simoniaca labes Athalarici edicto repressa.

14. Antequam ab urbe excedamus, adnotare juvabit, Joannem Pontificem cum Athalarico Gothorum in Italia Rege egisse, ne inposterum simonia, vel ambitus, in Romani Pontificis electione locum haberet; ita ut qui ecclesiasticos Canones proculcassent, Regis saltem terrerentur edicto: ac per Ecclesiæ Defensorem ab eo petiit, ut adversus ejusmodi simoniacos, quos non compesceret sacrorum canonum auctoritas, regia frænaret potestas; Athalaricus vero justis piisque Joannis Papæ votis annuens, legem hoc anno vulgavit, qua omnem in Romani Pontificis electione ambitum, aut simoniæ labem pœna statuta prohibuit, ac Senatusconsultum in eamdem rem alias editum confirmavit; eademque ab omnibus suæ ditionis ecclesiis servanda esse jussit, ut apud Cassiodorum videre est. Ut autem majorem firmitatem hoc suum edictum haberet, idem Rex voluit marmoreæ inscribi tabulæ, & ante S. Petri atrium illam perspicuam cunctis apponi legem, atque ad hæc exequenda Athalaricus ad Præfectum Urbis ista conscripsit.

Salvantio V. J. Præf. Urbis Athalaricus Rex.

Grata res est cuncta profutura vulgare; ut generale fiat gaudium, quod potuit esse votivum: alioqui læsionis causa nascitur, si beneficia potius occultantur. Dudum siquidem Senatus amplissimus a splendore suo cupiens maculam fœdissimæ suspicionis abradere, provida deliberatione constituit, ut in beatissimi Papæ consecratione nullus se abominabili cupiditate pollueret: pœna etiam constituta, qui talia præsumere tentavisset:

JESU CHR. AN. 533. *Non injuria; quia tunc electi vere meritum quæritur, cum pecunia non amatur. Quod nos laudantes & augentes inventum, ad beatissimum Papam direximus constituta, quæ his antelata persulgent, ut ab honestate Sanctæ Ecclesiæ profanus ambitus auferatur. Hoc nos ad notitiam Senatus, & Romani Populi volumus sine aliqua dilatione perducere, quatenus cunctorum figatur cordi, quod cupimus omnium studio custodiri. Verum ut principale beneficium, & præsentibus hæreat seculis, & futuris; tam definita nostra, quam Senatus consulta, tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apostoli in testimonium publicum collocari. Dignus enim locus est, qui & gloriosam mercedem nostram, & Senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte, noscamus impleta quæ jussimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innotescat.* Hactenus mandatum Præfecto Urbis datum, ad quem etiam de relaxandis a vinculis duobus nobilibus Romanis civibus, agente pro illis eodem Joanne Papa, rescriptum extat. Sed de Joannis Papæ rebus gestis hoc anno jam satis.

Edictum Regis ante atrium S. Petri affixum.

Apud Cassiod. Var. l. 9. ep. 17.

Secunda Aurelianensis synodus.

Pag. ncr. 17. an. 536. to. 4. concil. p. 1780.

15. Aureliæ synodus hoc anno magna Episcoporum frequentia celebrata est, anno scilicet 22. Domini Childeberti Regis, qui anno 511. Clodoveo Magno Patri successerat. Eam Baronius anno 536. collocat, ob Clodovei mortem, trienuio post dilatam. Adfuerunt synodo Episcopi 26., & presbyteri quinque Episcoporum suorum nomine; nono itaque Kal. Julias congregati Patres hæc Præfantur: *Cum ex præceptione Gloriosissimorum Regum in Aurelianensem urbem, de observatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante convenissemus, ibi quid de antiquis regulis, quid de novis ambiguitatibus, pro captu intelligentiæ, illuminante Domino, senserimus, expressibus singulatim, descriptisque constitutionibus, quæ Deo propitio impasterum sint observanda, ex veterum canonum auctoritate conscripsimus*, ac viginti & uno editis canonibus, veterem ecclesiæ disciplinam instaurare conati sunt, quorum summa hæc est. Primus. Nullus Episcoporum a Metropolitano vocatus, adventum suum vel ad Concilium, vel ad Collegæ ordinationem abnuat. 2. Metropolitani quotannis Comprovinciales ad Synodum convocent. 3. Episcopi de ordinationibus nil accipiant. 4. Qui Sacerdotium pecunia eme-

emerit, abjiciatur. 5. Antistitum nullus ad sepeliendum Episcopum venire non recuset, nec pretii aliquid pro fatigatione deposcat. 6. Episcopus, qui ad Præsulem sepeliendum venerit, vocatis Presbyteris, descriptam Ecclesiæ domum relinquat. 7. Metropolitanus a Comprovincialibus Episcopis, Clericis, vel populo electus, congregatis in unum omnibus Comprovincialibus ordinetur. 8. Diaconus, qui in captivitate uxorem duxerit, ministerio removeatur. 9. Presbyterorum nullus cum secularibus habitet, nisi permittente Episcopo: secus communione pellatur. 10. Nullus novercæ suæ ulla copulatione jungatur. Quod si fecerit, anathemate feriatur. 11. Contracta matrimonia accedente infirmitate non solvantur. 12. Ne quis in Ecclesia votum suum cantando, bibendo, vel lasciviendo dissolvat, quia Deus talibus votis irritatur. 13. Abbates, Martyrarii, reclusi, vel Presbyteri Apostolia dare non præsumant. Qui canon cum in obscuro jaceat, paucis est illustrandus. Martyrarii sacrarum Reliquiarum custodes vocabantur. Quam Gregorius Turonensis vocem non semel adhibet: Conjuncti Clerici cum Leubaste Martyrario, & Abbate, cum magno apparatu Arvernum petebant. Meminit etiam Proserii Martyrarii, quod vitio Librariorum scribitur Martyrii. Vox etiam Canonis Apostolia corrupta est. Legendum Epistolia, ut ex Turonensi Canone perspicuum est; Ut nullus Clericorum, vel Laicorum, præter Episcopum Epistolia facere præsumat. Epistolia vero litteræ sunt pacificæ, quas etiam formatas vocabant, de quibus fuse satis suo loco disseruimus. Est tamen Epistolia inter, & litteras commendatitias aliquid discriminis. Quippe Epistolia pauperibus, vel opem Ecclesiæ implorantibus Episcopi præbebant. Commendatorias vero Epistolas viris honoratioribus dabant, ut ex Chalcedonensium canone liquet: Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examine cum solis litteris Ecclesiasticis iter carpere statuimus, & non cum Commendatoriis, quoniam Litteras Commendatorias solis personis, quæ sunt in existimatione, præberi oportet. Aurelianensium igitur mens ea est, solos Episcopos pacificas dare Litteras posse, non Abbates, non Reliquiarum Custodes, non Presbyteros. 14. Clerici qui officium non implent suum, aut vice sua ad Ecclesiam venire detrectant, dignitate priventur. 15. Oblationes defunctorum, qui in crimine fuerunt interempti, reci-

Jesu Chr. an. 533. recipiantur, nisi sibi mortem intulerint. 16. Presbyter, Diaconusque indoctus, vel qui baptizandi nesciat ordinem, non ordinetur. 17. Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus contra Canones acceperunt, si matrimonium ineant, communione pellantur, quo dissoluto, post actam pœnitentiam communioni restituantur. 18. Nulla Mulier Diaconissæ Benedictionem inposterum accipiat. 19. Conjugia Christianorum cum Judæis prohibentur, utpote illicita: qui ab ejusmodi consortio se separare distulerint, communione removeantur. 20. Catholici, qui vel ad Idolorum cultum redeunt, vel Idolothytis, vel suffocatis utuntur, Ecclesiæ cœtibus arceantur. 21. Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, nisi deposita prius contumacia, ad communionem non admittantur. Sequuntur Episcoporum subscriptiones, quorum plurimi sanctitate illustres fuerunt, inter eos, Leo Sennonensis, Eleutherius Antissiodorensis, Gallus Arvernorum sive Claromontanus, Innocentius Cennomanensis, Gauto Constantiensis, Julianus Viennensis, Augustinus Augustodunensis, & Flavius Rotomagensis, quorum nomina, aliorumque Martyrologio Romano inscripta leguntur.

S. Remigii obitus. 16. Hoc eodem anno S. Remigius Francorum Apostolus, expletis vitæ suæ annis nonaginta sex, quorum 70., vel 74. in Episcopatu vixerat, dierum plenus, ac meritis ad Deum migravit. *Sanctus hic*, inquit Flodoardus, *vir Dei condito testamento, & suis omnibus rite dispositis, quia verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferentem purgat, ut fructum plus afferat, oculorum corporalium lumine privatus est aliquandiu, quo superna mentis oculis, ad quæ toto anhelabat desiderio, contemplari valeret attentius &c.*. Deinde post aliqua: *Sciens adesse sui transitus diem, per Missarum celebrationem, & sacræ communionis participationem, valedicens, & dans pacem filiis suis, postquam septuaginta quatuor annos in Episcopatu religiosissime fidelis servus, & prudens Domino ministraverat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, Idibus Januarii, cursu sancti certaminis consummato, fide servata, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro, ut diu desideravit, anima cœlo penetrans, terræ corpus reliquit &c.*. Cum autem corpus ejus ad sepulturam in ecclesia SS. Martyrum Timothei, & Apollinaris deferre vellent, in medio vico feretrum ita aggravatum est, ut nullo modo

modo ab hominibus quantumlibet ennitentibus, amoveri potuerit. Ob quam rem in parva ecclesia, quæ Deo in honorem B. Christophori martyris dedicata erat, Sancti viri corpus reconditum fuit.

17. Scriptas a Remigio epistolas supra commemoravimus; at commentaria in epistolas Beati Pauli, quæ Villipandus ejus nomine Mogontiæ edidit, falso eidem inscripta sunt. Moriens hæredem fecit Rhemorum ecclesiam, & Lupum Episcopum Svessionensem Fratris sui filium, & Agricolam presbyterum nepotem alterum; Rhemensi ecclesiæ reliquit possessiones, agros, cum pratis, pascuis, silvis, quæ ex paterna, vel materna hæreditate habuerat, una cum colonis & servis. Futuro Episcopo Rhemensi legavit: *Amphibalum Album Paschalem, Stragula Columbina duo, vel tria quæ sunt ad ostia diebus festis, triclinii, cellæ & culinæ, vas argenteum decem, & octo librarum inter te, hæres mea, & Diœcesim tuam Ecclesiam Lugdunensem, factis patenis, atque Calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Domino annuente, distribui. Aliud argenteum vas, quod mihi Dominus illustris memoriæ Alodovicus Rex, quem de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, ut de eo facerem, quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ Ecclesiæ supra memoratæ jubeo turriculum, & imaginatum calicem fabricari, quod faciam per me, si habuero spatium vitæ, si ante clausero ultimum diem, tu fili fratris mei, Lupe Episcope, species antedictas tui ordinis memor efficies. Compresbyteris meis, & Diaconibus, qui sunt Rhemis, viginti & quinque solidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco Ecclesiastici hominis Albovichii, ut Albovichius libertate plenissima perfruatur. Subdiaconibus solidos duos, lectoribus solidos duos, Ostiariis, & Janitoribus solidos duos jubeo dari. Pauperibus in matricula positis ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem duo solidi, unde se reficiant, inferentur.* Deinde servos plurimos liberos dicit, alios aliorum dominio transfert, Agricolæ Nepoti inter reliqua vineam legato dat, *ut diebus festis, & omnibus Dominicis sacris altaribus mea offeratur oblatio, atque annua convivia Rhemensibus Presbyteris, & Diaconibus præbeantur.* Eadem conditione vineam alteri Nepoti Agathimero legavit,

De Remigii scriptis & testamento. *Colut. an. 533 num. 49. Nat. Alex. sæcul. 6. art. 6. cap. 6.*

Colut. ut sup. num. 50.

Legatum pro celebranda missa Dominicis, aliisque festis diebus, & pro convivio annuo.

JESU CHR. AN. 534. vit, ut in ecclesia Laudunensi missæ celebrarentur, ejusque ecclesiæ presbyteris, & Diaconibus annua convivia fierent. Prætextato alio Nepoti suo præter servos plurima utensilia donavit: *Coclearia quatuor de majoribus, Acetabulum Lucernam, & argenteam tabulam figuratam, filiolo illius Parovio Acetabulum, & tria coclearia, & casulam, cujus fimbrias commutavit. Remigiæ coclearia tria, quæ meo sunt nomine titulata; mantile ipsius, quod habeo feriale transcribo*; aliaque his similia aliis reliquit, quæ ibidem legi possunt. Extabat hoc testamentum apud Flodoardum, ediditque illud Labbeus. Alterum brevius edidit in historia Rhemensi Marlotus, quod pro genuino habetur; nam prolixius pseudepigrafum esse viri eruditi censent, illud tamen Marlotus tueri quomodocumque conatur, de quibus Natalis Alex., Bailetius pluribus agunt.

Flod. hist. Rem lib. 1. cap. 18.

Nat. Alex sæcul. 6. art. 3. cap. 4.

Baylet. die 1. Octob.

JESU CHRISTI AN. 534. JOANNIS PP. 3. JUSTINIANI IMP. 8. THEODATI REGIS AN. 1.

Paulinus ultimus Occidentis consul.

1. Insequens Christi annus 534., Justinianum Augustum quarto cum Decio Paulino juniore consules habuit. Hic autem Paulinus Occidentalium ultimus fuit, nam superveniente bello Gothico, consules in Occidente ultra creati non fuerunt. Hic vero ex Deciana familia ortus adhuc juvenis eam dignitatem obtinuit, ut Athalarici epistola testatur. *Patres conscripti*, ait, *Alumnum vestrum Paulinum, aurea dignitate vestimus, ut juventus ejus, quæ fulget meritis, trabea quoque resplendeat triumphali*; & alia epistola ad ipsum Paulinum anno superiori, de ejus genere, ac virtutibus agens, inter cætera: *Nihil vobis ætas longa subduxit. Antiquos in te Decios Roma cognovit, Decios inquam priscis seculis honoratam prosapiem, libertatis auxilium, Curiæ decus, Romani nominis singulare præconium*; deinde post aliqua: *Et ideo, quod Deo auspice dictum sit, per indictionem duodecimam sume insignia consulatus: honorem quidem arduum, sed familiæ vestræ domesticum. Vos enim completis paginam consularem; vos crebro nominat cursus annorum, & dum copia plurimum soleat habere fastidium, vestrum nomen repetitum semper efficitur gloriosum*. Alia plurima in ejus laudem ab Athalarico dicta silentio premimus.

Apud Cassiod. lib. 9. ep. 23.

2. De

2. De Cassiodoro Senatore, pietate, ac doctrina celeberrimo, quem Athalaricus Rex amplissima dignitate Præfecti prætorio, hac eadem indictione duodecima exornavit, nonnulla addimus, ad quem, postquam multa in ejus laudem ex magistratibus bene perfunctis adnotavit, de collata dignitate hæc addit. *Quapropter juvante Deo, quo auctore omnia prosperantur, ab indictione* 12. *in Præfectura Prætorianæ te suggestu, atque insignibus collocamus, ut probatum judicem sine metu provinciæ suscipiant, quas hactenus cognovimus improborum actione fatigatas.* Hinc intelligimus a septembri superioris anni, quando indictio 12. incepit, eam dignitatem obtinuisse Cassiodorum. Quantæ autem pietatis vir iste fuerit, præter ea, quæ de eo jam diximus, præsens magistratus etiam ostendit, dum tanto insignitus munere ad Joannem Romanum Pontificem ejus implorans ad Deum preces, hæc scripsit. *Supplicandum vobis est, Beatissime Pater, ut lætitiam, quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet, prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui a Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem jejuniis fames est exclusa popularis, decoris lacrymis tristitia fœda discessit; & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod gravabat. Et ideo salutans officiositate, qua dignum est, precor vivacius oretis pro salute regnantium: quatenus eorum vitam cœlestis princeps faciat esse longævam, Romanæ reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat: deinde quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiæ suæ horreis largiatur: mihique filio vestro intelligentiæ sensus aperiat, ut quæ vere sunt utilia sequar, quæ vitanda, refugiam: vigor ille rationabilis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat &c.*. Deinde post plurima: *Monete me quæ sunt gerenda solicite: bene agere vel correptus exopto, quia difficilius errat ovis, quæ voces desiderat audire pastoris: nec facile efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.* Hæc, & alia ad Joannem Papam Cassiodorus Præfectus Prætorio: quibus plane, quid delecti magistratus ipso suo exordio functionis agere debe-

Jesu Chr. an. 534.
Cassiodorus creatur Præfectus Prætorio.
Apud Cassiod. lib. 9. ep. 24.

Jesu Chr. an. 534. deberent, admonuit; tunc scilicet cuncta bene administrari in præfecturis, cum se humili obsequio Præfecti subjiciunt sanctis Episcopis, quorum fulti precibus concilient sibi divinum auxilium. Hæc quidem non ignorans sapientissimus Cassiodorus, non Romanum tantum Pontificem, sed reliquos etiam Italiæ Episcopos interpellavit, ut orationibus suis, atque jejuniis agerent, ac plebem ita instituerent, ut quæ in ea judex puniret, non inveniat, cujus extat Christiano Præfecto ad ipsos Episcopos eo argumento scripta Epistola, digna sane, ut annalibus inseratur, nisi brevitatis studium aliud suaderet. Hinc una aut altera sententia contenti erimus, inter alia subdit: *Quapropter animæ vere parentes affectuosa, & probabili petitione vos deprecor, ut indicto jejunio, Domino supplicetis, qui vitam Principum nostrorum florenti regno protendat, hostes Reipublicæ defensor imminuat, donet quieta tempora, & ad laudem sui nominis copiosa, faciatque rerum omnium tranquillitatem; ut me vobis reddere dignetur amabilem*, ac ut subditos sibi populos pastorali sollicitudine regerent, ac ut a vitiis revocarent hortatur & admonet. Ingentem hoc anno famem vexasse urbem, tum recitatæ nuper epistolæ, tum aliæ plures ad diversos ab eodem datæ significant. Degens enim ipse Ravennæ, ubi Rex erat, cum vices suas Ambrosio cuidam Romæ delegat, de eadem victus penuria agens, sententiam Cassiodoro dignam profert: *Procul enim sit, (inquit) ut aliquo ejus civitatis esuriente satiemur. Illorum indigentia nostra penuria est. Quid plura? læti esse non possumus, nisi & illos gaudentes communiter audiamus*. Extat etiam ejusdem epistola, qua eum, dum eadem fames urgeret, ad Datium Mediolanensem Episcopum, ut urbem annona sublevaret his verbis hortatur: *Minus prodest bonum jubere, nisi hoc per viros sanctissimos velimus efficere. Auget enim beneficium voluntas recta justorum; & quidquid sine fraude geritur, hoc vere donantis meritis applicatur. Decet enim ut munificentiam Principalem sacerdotalis puritas exequatur: nam cui est studium bonum de proprio facere, laudabiliter potest aliena vota complere. Et ideo sanctitatem vestram petimus (cujus propositi est divinis inservire mandatis) ut de horreis Ticinensibus, & Dertonensibus panis speciem (sicut a Principe jussum est) tertiam portionem esurienti Populo ad vigintiquinque modios, per solidum distrahi sub nostra ordinatione faciatis; ne cujusquam*

quam venalitate ad illos perveniat, qui se de populo videntur posse transigere: Accipiat minus habens indulgentiam principalem. Egentibus visum est, non divitibus subvenire &c.. Hæc Cassiodorus ad Datium Mediolanensem Episcopum, de quo plura inferius dicturi sumus. Sic igitur tanti Præfecti prætorio diligentia factum est, ut ingruente hisce annis fame, Italia servaretur. Extat enim de sublevata inopia Regis edictum, quo ejus munificentia mirifice commendatur, dum Liguribus dimidiam tributi partem relaxavit, & horrea ad eos sublevandos aperuit.

Athalarici Italiæ Regis obitus, cui Theodatus succedit.

3. Athalaricus autem Italiæ Rex, etsi octodecim annos vix attigisset, quorum octo Gothorum throno insederat, hoc anno vivere desiit. *Sub idem tempus tabe exesus obiit Athalaricus, cum in Regno annos VIII. vixisset*, ait Procopius, qui capite superiori immaturæ mortis causam refert: *Hoc interim spatio Athalaricus cum in crapulam effusus se immersisset, tabe confici cœpit*. Cum etenim, ut supra diximus, Amalasunthæ matris disciplinam effugisset, compotationibus, ac libidinibus totus se dedit, unde tabe confectus sub ipso juventis flore interiit; nam hic utplurimum libidinis & intemperantiæ fructus est. Mortuo Athalarico Amalasuntha ejus mater Theodatum consobrinum suum, (Amalafrædæ scilicet Theodorici Regis sororis filium, unicum Amalæ familiæ germen) Gothorum Regem declaravit, ea tamen lege, ut Regiæ potestatis nomen haberet, res vero apud ipsam esset. Erat autem Theodatus *provectæ jam ætatis homo, ac latinis quidem litteris, & Philosophia Platonis imbutus, sed rei bellicæ plane rudis, summe ignavus, & avaritiæ deditus extra modum*. Cujus cupiditatem *omni studio reprimebat Amalasuntha, ideoque hanc ille inexpiabili odio prosequebatur, victusque impatientia, Tusciam in Justiniani Augusti potestatem tradere cogitabat*; egitque de hac re cum Justiniani legatis, quos ad Joannem Pontificem miserat, ut supra diximus. Amalasuntha quoque dum adhuc filius viveret, quem mox moriturum prævidebat: *Animi & ipsa pendens, quod nec filii adeo absurdi voluntate fidere posset, nec si moreretur Athalaricus, suam in tuto vitam postea fore existimaret, Gothorum optimatibus jam offensis, ut saluti suæ consuleret, Gothorum, Italorumque Regnum in Justiniani ditionem statuit transferre*, egitque de his cum Alexandro Senatore, Demetrio,

Procop. de bello Goth. c. 4. Procop. ibid. cap. 3.

Procop. ut sup. cap. 3.

Jesu Chr. an. 534. trio, & Hypatio, ad id negotii ab Imperatore missis. At post filii mortem, mutato consilio, Theodatum Gothorum Regem declaravit, sperans tanto beneficio, injuriarum memoriam abolendam, ac ex inimico amicissimum sibi futurum Theodatum. Extant litteræ Amalasunthæ ad Senatum Romanum de subrogatione Theodati in Regnum Gothorum, quibus eum plurimum laudat; altera vero ipsius Theodati ad Senatum extat epistola.

Amalasuntha carceri inclusa.

4. Theodatus autem statim ac liberas nactus est Regni habenas, Amalasuntham vinculis alligatam, in insula ad lacum Vulsinum posita asservari in carcere jussit. Deinde Legatos Constantinopolim Liberium, atque Opilionem cum aliis tribus misit, litterasque ejusdem argumenti Amalasuntham ad eumdem Imperatorem dare coegit, quibus pacem ab Justiniano petebat, ut narrat Procopius, ac litteræ utriusque apud Cassiodorum testantur, eodemque tempore ad idem officium præstandum, Senatum Urbis coegit; Epistola autem Senatus ad Imperatorem tota in eo est, ut legatos a Senatu missos benigne exciperet, pacemque Theodato Gothorum Regi concederet, cumque Romam ipsam pro pace supplicantem induxisset, post plurima subdit: *Habui multos Reges, sed neminem hujusmodi litteratum: habui prudentes viros, sed nullum sic doctrina, & pietate pollentem. Diligo Amalum meis uberibus enutritum, virum fortem, mea conversatione compositum, Romanis prudentia carum, gentibus virtute reverendum. Junge quinimmo vota, participare consilia: ut tuæ gloriæ proficiat, si mihi aliquid prosperitatis accedat. Noli me sic quærere, ut non valeas invenire. Tua sum nihilominus caritate: sic nullum facias mea membra lacerare. Nam si Lybia meruit per se recipere libertatem, crudele est me amittere, quam semper visa sum possidere. Impera motibus iracundiæ, triumphator egregie. Plus est quod generali voce petitur, quam si vester animus cujuslibet ingratitudinis offensione vincatur. Hæc Roma loquitur, dum vobis per suos supplicat Senatores. Quod si adhuc minus est; beatorum Apostolorum Petri, atque Pauli petitio sanctissima cogitetur. Nam qui securitatem Romanam sæpe defendisse probantur ab hostibus; quid erit, quod eorum meritis vester non tribuat Principatus? Sed ut omnia reverentiæ vestræ congruere videantur, per illum virum venerabilem legatum piissimi Regis nostri ad vestram clemen-*

mentiam destinatum preces nostras credimus dirigendas, ut multa debeant efficere, quæ vel singuli poterunt apud pios animos obtinere. Hæc Senatus id expetente (ut apparet) Rege Gothorum, quæ quidem legatio diversa est ab altera paulo post per Petrum perfuncta. Hæc autem missa est hoc anno, cum legati profecti sunt Senatores Liberius, & Opilio. Jesu Chr. an. 534. *Jornandes de rebus Goth. cap. 59.*

5. Post hæc Theodatus Rex Gothorum, nonnullorum persuasione, quorum cognatos olim Amalasuntha neci tradi jusserat, eamdem obtruncandam curavit, ait Procopius. Sed Jordanus eam in balneo strangulatam tradit, quam hoc anno periisse narrat Marcellinus in chronico. *Quo tempore Theodatus Rex Gothorum Amalasuntham Reginam creatricem suam de Regno pulsam in insula laci Bulsiniensis occidit. Cujus mortem Imperator Justinianus, ut doluit, sic est ultus.* Hunc tandem finem consecuta est fœmina supra sexum magno, & excelso animo prædita: qualis enim, quantaque ista mulier fuerit, præter illa, quæ de ea Procopius, atque Jordanus habent, consule Cassiodorum in epistola hoc anno scripta ad Senatum de collata sibi Prætorii Præfectura. In Occidentem ab Imp. Justiniano missus est hoc anno Petrus, ut de rebus Italiæ componendis cum Amalasuntha ageret, quam cum Theodati Regis jussu interfectam fuisse audivit, immane facinus detestatus, nullam ultra de ineunda cum Justiniano pace, spem superesse prædixit, & sane ut idem testatur Procopius, ubi ista accepit Justinianus, hoc ipso anno ipsius Imperii octavo, adversus Gothos bellum parare cœpit, dimissis re infecta legatis: cœpitque exercitum comparare, & adversus eosdem commovere Francos, jam ante (ut vidimus) vivente Athalarico concitatos. Quæ autem acta sint, dicemus suo loco anno sequenti, quo gesta esse noscuntur. Sed quæ hoc transacta sunt anno, his subjicimus: nempe dimisso Legato Petro ad eumdem Imp. a Theodato Rege, tam ab ipso, quam ab ejus conjuge Regina Gadelina ad Justinianum Imp. redditas esse litteras, quibus obnixius pacem petere significarunt. Habet eas, qui scripsit Cassiodorus, in quibus & mentio habetur de legatione, iterum per virum venerabilem cum iisdem litteris ad Imp. missa. Sacerdotem plane quemdam meritis insignem a Theodato delectum legatum esse eædem scriptæ litteræ docent. Quod vero ad Petri legationem ab Imperatore directam pertinet, meminit ejus pluribus Procopius.

Amalasuntha Theodati jussu necatur. *Cassiod. lib. 11. epist. 6.*

 6. Ju-

JESU CHR. ANN. 534. De Marcellini chronico, & officio.

6. Justiniano quarto Coss. idest hoc anno Marcellinus chronicum suum, quod Eusebii, sive Hieronymi chronico subtexerat, absolvit, ut in Præfatione testatur, eique initium fecerat ab anno 379. Ausonio & Olybrio Coss., ad Coss. Justiniani quartum, librum quoque de temporum qualitatibus, & de geographia vulgaverat; at hæc opuscula deperdita sunt, quorum memoria extat apud Cassiodorum his verbis: *Marcellinus etiam quatuor libros de temporum qualitatibus, & positionibus locorum pulcherima proprietate conficiens, itineris sui tramitem laudabiliter percurrit: Chronica vero, quæ sunt imagines historiarum, scripsit Græce Eusebius, quem transtulit Hieronymus in latinum, & usque ad tempora sua deduxit eximie. Hunc subsecutus est suprascriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Justiniani fertur egisse cancellos: sed meliore dictione devotus, a tempore Theodosii Principis usque ad fores Imperii triumphalis Augusti Justiniani opus suum Domino juvante perduxit.* Quæ itaque ibidem leguntur ab hoc anno ad annum usque 566., alterius auctoris incogniti manu addita sunt.

Francorum Reges Burgundiam occupant.

7. Hoc anno, *Paulino juniore consule, indictione 12. Reges Francorum Childebertus, Clotarius, & Theodebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godemaro Rege, Regnum ipsius diviserunt*, ait Marius Aventicensis. Gregorius vero Turonensis addit: *Clotarius, & Childebertus in Burgundiam dirigunt, Augustodunumque obsidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupaverunt.* Dum Theodebertus in ea expeditione esset, nuncium accepit Theodoricum patrem gravi morbo laborare, ad quem citissime rediit. Cumque abiisset, *non post multos dies Theodoricus obiit vigesimo tertio Regni sui anno. Consurgentes autem Childebertus, & Clotarius contra Theodebertum (Nepotem) regnum ejus auferrre voluerunt, sed ille muneribus placatis, a Leodibus suis defensatus est, & in Regno stabilitus.* Mirum qua cupiditate dilatandi Regni tenerentur hoc seculo Francorum Reges, ita ut ejus causa, nec fidem servarent, aut cognatis parcerent. Inter cetera de Theodorico narrat Gregorius, eum *Parentem suum Sigisvvaldum occidit gladio, mittens occulte ad Theodebertum, ut & ille Lyvaldum filium ejus neci daret, quem tunc secum habebat. Sed quia eum de fonte exceperat* (Theodebertus scilicet) *perdere noluit*, eique persuasit, ut usque

Theodorici Regis Franc. obitus.

Theodorici crudelitas.

usque ad Theodorici patris sui mortem se absconderet, fugæque se traderet, quo consilio utens in Italiam transierat. De Theodorici obitu narrat Cassiodorus. *Franci quoque tot barbarorum victoria præpotentes, quam ingenti expeditione turbati sunt? Lacessiti metuerunt cum nostris inire certamen, qui præcipitatis saltibus prælia semper gentibus intulerunt. Sed quamvis superba natio declinaverit conflictum, vitare tamen proprii Regis nequivit interitum. Nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus in triumphum principum nostrorum, languoris potius pugna superatus occubuit: ordinatione, credo, divina, ne nos aut affinium bella polluerent, aut juste productus exercitus vindictam aliquam non haberet.* Hæc cum scribat Cassiodorus labenti anno, plane nos docet Theodoricum hunc annum non excessisse. Regnum vivente Clodoveo Patre inierat anno 511., & anno 23., teste Gregorio Turonensi, e vivis eripitur, quæ hoc anno 534. conveniunt.

Theodebertus Theodorico succedit.

8. Theodorico mortuo, Theodebertus ejus filius, ut diximus, successit, de quo Gregorius Turonensis, dum S. Nicetii gesta prosequitur, hæc memoria digna narrat. *Cum Theodorico decedente, Theodebertus filius ejus Regnum ambiisset, ac multa inique exerceret: & ab eodem plerumque corriperetur S. Nicetio Episcopo Treverensi, quod vel ipse perpetraret, vel perpetrantes non argueret; advenit dies Dominicus, & ecce Rex cum his, qui ab hoc sacerdote communioni abesse jussi fuerant, ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus, quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos: Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati, prius abscedant. Hac Rege renitente subito exclamat unus de populo arreptus a dæmone puer juvenis, cæpitque valida inter supplicia torturæ suæ, & sancti virtutes, & Regis crimina confiteri: dicebatque Episcopum castum, Regem adulterum, hunc timore Christi humilem, illum gloria regni superbum; illum Sacerdotio impollutum a Deo in posterum præferendum, hunc ab auctore sceleris sui velociter elidendum. Cumque Rex timore concussus peteret, ut hic energumenus ab Ecclesia ejiceretur, dixit Episcopus: Prius illi qui secuti sunt, idest, incesti, homicidæ, adulteri ab hac Ecclesia extrudantur, & hunc Deus silere jubebit. Et Rex statim jussit omnes hos, qui Sacerdotis sententia damnati fuerant, egredi ab Ecclesia. Quibus expul-*

Jesu Chr. an. 534. *expulsis, jussit Sacerdos dæmoniacum foras extrabi: sed cum, apprehensa columna, evelli a decem viris non posset; Sanctus Dei sub vestimento suo, propter jactantiam evitandam scilicet faciens crucem contra Dæmonem, relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his, qui eum trahere nitebantur, post paululum sanus erectus est. Deinde post acta solemnia requisitus, numqaam reperiri potuit, nec ullus scivit unde venerit, vel quo abierit: conjiciebatur tamen a plurimis, cum a Deo missum, qui Regis, sacerdotisque opera non taceret. Unde factum, ut Sacerdote orante, Rex mitior fieret.* Hæc Gregorius, qui alibi addit Theodebertum ea admonitione correctum, vitam suam, moresque emendasse.

Greg. hist. Franc. lib. 3. cap. 25.

Contumeliosi Episcopi causa.

9. Nunc contumeliosi Rejensis Episcopi causa tractanda est, qui cum gravi crimine se polluisset, ac contumeliam nomini suo adjunxisset, Galliarum Episcopi Apostolicam Sedem, ac Joannem Romanum Pontificem de his certiorem fecerunt. His vero rescribens Pontifex statuit, contumeliosum Episcopatu privandum fore, ac in monasterium ad agendam pœnitentiam includi, ejusque ecclesiæ visitatorem dari. Extant Joannis Papæ tres epistolæ ad universos Galliarum Episcopos prima, altera ad Clerum Rejensis ecclesiæ, tertia ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: addit litteris suis canonum collectionem ex conciliis desumptis, quibus constabat Episcopum, vel Sacerdotem, capitali crimine reum, nullatenus ad officium suum admitti ultra posse, quibus omnimodam profitetur, & venerationem, & observantiam; sed Sanctum Pontificem audiamus. *Charitatis tuæ litteras animo libenti suscepimus, in quibus corporis necessitates allegans, etiam quæ sacrius ille, qui lapsus est, fecerit indicasti. Dolemus de amissione Pontificis, rigorem tamen canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum ab Episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus, sacris ministeriis deservire. Sed te ordinante in monasterio dirigatur, ubi delictorum memor, in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo qui omnibus miseretur Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum visitatorem constituite, donec proprium Ecclesia, quæ evacuata est ejus Sacerdotio, mereri valeat Sacerdotem. Communibus tamen precibus exorare Deum nostrum debemus, ut puros cunctos præstet Antistites. Si qui tamen Pontificatus immemores cri-*

Joannis Papæ epistolæ.

criminibus se fortassim involverint, & eorum personas vulgus cognoscat; facilius enim a delictis cavent, si non videant etiam hominibus secreta esse quæ fecerint. Quæ vero de his canones præcipiunt, subter adjecimus, ut quæ facienda sunt possitis agnoscere. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Hactenus Joannis Papæ epistola, cui subjiciuntur plures canones, ex variis conciliis desumpti, duo ex iis qui Apostolici dicuntur scilicet 25. & 29., 4. & 5. concilii Antiocheni, 9. Nicæni, ex Gallicanis etiam Valentini, Aurelianenses, Epaonenses, & Arausicani, & ante eos locus epistolæ Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum, qui probat Sacerdotes capitalium criminum reos ab officio removendos esse.

Episcopi, ceterique clerici ob grave crimen, ab officio removentur.

10. Delata autem Joannis epistola, una cum insertis canonibus in Galliis, atque ea, qua decebat veneratione accepta, Cæsarius cui hujus causæ cognitionem Joannes delegaverat, uti ex epistola ad Clerum Rejensem constat, qua ajebat: *Omnem vero hanc sollicitudinem Cæsario Fratri, & Coepiscopo nostro injungimus, ad cujus curam cuncta, quæ necesse sint, pertinere censuimus.* Cæsarius inquam, ceterique Episcopi Contumeliosum ab Episcopatu removendum censuerunt, & ne alicui fortasse plus æquo severior sententia videretur, eorum aliquis perbrevem tractatum digessit, quo ostenderet, ex Pontificum Romanorum sententia, atque ex canonum auctoritate, Clericum in adulterio deprehensum, (hujus generis fortasse erat Contumeliosi peccatum) ad honorem redire non posse. Hujus tractatus initium est: *Ecce manifestissime*, legiturque apud Gratianum capite si quis Diaconus, sed perperam Hormisdæ tribuitur, cum incerti auctoris sit, aut Cæsarii, eoque in tractatu summam Sanctis Patribus, sacrisque canonibus reverentiam, ac obedientiam exhibendam esse auctor probat. Quia hæc fortasse Sanctorum Patrum severitas nonnullis non placet, *sciant se & trecentorum decem, & octo Episcoporum præcepta, & sancti Papæ auctoritatem, & illorum Pontificum, qui ordinantibus trecentis decem & octo Episcopis reliquos canones statuerunt, sententias reprehendere vel damnare. Sed forte major in illis est pietas, quam in supradictis trecentis decem & octo Episcopis, major in illis misericordia, quam in S. Joanne Apostolico Papa; major caritas, quam in reliquis sanctis Sacerdotibus, qui hoc*

Tom. 4. pag. 1758.

JESU CHR. AN. 534. *hoc pro exemplo, vel remedio ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt. Et ideo aut plena voluntate præceptis illorum consentiant, aut si non fecerint, omnibus se contrarios, & inimicos esse cognoscant.* Deinde post aliqua exclamat: *O Pietas! o misericordia! uni parcere, & omnes per exemplum malum in discrimen adducere. Non ita suadet Sanctus, ac beatissimus Cyprianus martyr dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec reprimit delicta illius, sed fovet &c.* his alia sanctorum virorum dicta addit, ad eamdem sententiam confirmandam. Postquam autem Contumeliosus eam, quam merebatur, sententiam tulit, scilicet depositionis ab Episcopatu, ad Joannis successorem Agapetum appellavit, cujus causam suo tempore prosequemur.

Romanum concilium sententiam de uno ex Trinitate passo confirmat.

11. Hoc eodem tempore Joannis Papæ sollicitudinem excitabant agitatæ in Oriente, & potissimum CPoli de uno in Trinitate passo quæstiones, qua de causa, ut anno elapso diximus, Romam venerant utriusque partis legati, idest missi ab Imperatore ut eam sententiam tuerentur, & Acæmetarum, ut eamdem sententiam oppugnarent; cumque diu acriterque Romæ ea quæstio agitaretur, habito tandem Romæ concilio, quid sentiendum dicendumque esset, firmiter stabilitum fuit, in qua synodo fidei professio ab Imperatore Justiniano missa pariter probata fuit, ac scriptis ad Justinianum Imperatorem litteris, ipse Joannes Rom. Pontifex hoc anno sub dictis Consulibus 8. Kal. Aprilis, legatis opportunum navigandi tempus expectantibus dedit: quibus quidem laudavit in primis in catholico Imperatore egregiam pietatem, debitumqne ipsius religionis cultum, quo prosequeretur Apostolicam Sedem, a qua evangelicam requireret veritatem. Rogavit demum eumdem Augustum, ut quos a recto fidei catholicæ tramite aberrare sciret, omni adhibito studio revocaret, & inter alios legatos a Monachis Acæmetis Romam missos. Sed præstat ipsas S. Pontificis inspicere litteras, quas ut posteris omnibus perspicuæ semper essent, in recentiori, hoc anno facta sui Codicis editione, Justinianus voluit exarari. Sunt vero hujusmodi.

Gloriosissimo, & Clementissimo filio Justiniano Joannes Episcopus Urbis Romæ.

Inter

Inter claras sapientiæ, ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: Pasce oves meas, *quam esse omnium vere Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod scripturæ loquuntur*: Per me Reges regnant, & potentes scribunt justitiam. Hæc & alia plurima in ejus laudem addit Joannes Papa, ac ejus fidei professionem, per Orientis ecclesias vulgatam, ac ad se missam, utpote Apostolicæ doctrinæ consonam, se probare testatur.

Romanæ ecclesiæ privilegium, & dignitas. *Prov. 8.*

12. Aliam quoque epistolam ad clarissimos viros & Senatores, Avienum, Liberium, Severinum, Fidelem, Avitum, Opilionem, Joannem, Silverium, Clementianum, & Ampelium Joannes Papa scripsit, eosdem admonens, ne cum Acœmetis monachis in mota quæstione sociarentur. Unde post aliqua: *Utrum unus ex Trinitate Christus, & Deus noster dici possit. An Deus carne pertulerit, impassibili Deitate? An proprie & veraciter mater Domini Dei nostri Maria semper Virgo debeat appellari?* Id rectissime dici ait, ac sacræ scripturæ, & Patrum auctoritate confirmat, laudatis testimoniis Augustini, Nazianzeni, Nysseni, Procli, aliorumque, ac tandem subdit: *Hæc autem, illustres & magni filii, agens gratias sollicitudini vestræ, intimare curavimus: plenius tamen directis exemplaribus poteritis cognoscere. Acœmetas vero, qui se Monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt, Romana eos etiam damnat Ecclesia, a quibus vos propter Canonum, qui cum excommunicatis Christianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentia pastorali admonere non desino, ut eorum etiam simplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis existimetis commune.*

Joannis Papæ epist. adSenatores urbis CP.

13. Nunc Belisarii in Africa victorias prosequimur. Hoc itaque anno Gelimer Vandalorum Rex, a Romanis anno proximo sæpe victus & fugatus, longa obsidione fatigatus, se se tandem Romanis dedit, ac Carthaginem ductus, inde CPolim, amplissimum Belisarii triumphum præsentia sua illustravit, cujus

Belisarii Triumphus.

JESU CHR. AN. 534. cujus pompam longa oratione describit Procopius. Post plurima de spoliis ex Africa delatis, subdit: *In his vasa Judæorum erant, quæ Titus Vespasiani filius, post Hierosolymorum excidium, Romam cum aliis asportarat. Ea conspicatus Judæus quidam, unum ex Augusti familiaribus adiit, istaque monuit. Non expedit, mea quidem sententia, aurum hoc in Palatium Byzantium inferri. Nusquam enim servari potest, nisi ubi principio repositum fuit a Salomone Judæorum Rege. Qua causa extitit, cur & Romanam olim Regiam Gizericus, & Vandalicam Rom. exercitus modo ceperit. Hæc Imperatori renuntiata, metum incussere; ita ut totum id, quidquid erat, in Hierosolymitana Christianorum templa deferri jusserit. Porro hos triumphus captivos habuit: Gelimerem ipsum, cum veste purpurea, circumdata humeris; propinquos ipsius omnes; e Vandalis procerissimos quosque, & oris dignitate præstantes. Circum ingressus Gelimer, ubi Augustum sublimi in solio sedentem, stantemque hinc inde populum vidit, & animum ad se referens, quo infortunii devenisset, attendit; nec lacrymas, nec gemitus edidit; at semper in ore habuit vocem illam, ex Hebræorum monumentis petitam: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ut ventus est ad Cæsareum solium, exuta purpura, prono vultu procumbere, & Justinianum Aug. adorare compulsus est: quem honorem Belisarius quoque persolvit, cum Gelimere suplex. Imperator autem Justinianus, ac Theodora Augusta Ilderici filias, & omnem Valentiniani Augusti prosapiem multa pecunia donarunt: Gelimeri fundos in Galatia assignarunt non contemnendos; ubi ipsi cum propinquitate habitare licuit. At Patriciorum ordini ideo non fuit ascriptus, quia ab Arianismo discedere noluit.*

Gelimeres in triumpho ductus.

Justinianus gratias Deo pro victoria reddit.

14. Tanta autem, tamque insperata victoria, donatus Imperator, ut in ævum ejusdem memoria constaret, musivo opere elegantissime describi jussit in aula maxima, ubi Senatus convenire solebat, & ne beneficii immemor, aut ingratus videretur Deo privatim & publice in Ecclesia ingentes gratiarum actiones reddidit, deinde efficit, ut in Codice a se edito id ipsum posteris omnibus transmitteretur. Etenim recuperata Africa, ad optimum ejus regimen addixit animum, eidemque sanctissime moderandæ Præfectum Prætorio creavit Arche-

chelaum, qui sub Belisario in eodem prælio militaverat: constitutionem autem edidit de officio Præfecti Prætorio Africæ, ac quanta a Deo fuerit ex ea re consecutus beneficia, recenset, cujus constitutionis hoc est initium. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Imperator Justinianus &c.. Quas gratias, aut quas laudes Domino Deo nostro Jesu Christo exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua proferre. Multas quidem, & a Deo meruimus largitates, & innumerabilia circa nos ejusdem beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egisse cognoscimus. Præ omnibus tamen hoc, quod nunc Omnipotens Deus per nos pro sua laude, & pro suo amore demonstrare dignatus est; excedit omnia mirabilia opera, quæ in sæculo contigerunt; ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque annos a Vandalis captivata, qui animarum simul fuerant hostes & corporum: nam animas quidem diversa tormenta, atque supplicia non ferentes, rebaptizando ad suam perfidiam transferebant; corpora vero liberis natalibus clara jugo barbarico durissimo subjugabant. Ipsas quoque Dei Sacrosanctas Ecclesias suis perfidiis maculabant, aliquas vero ex eis stabula fecerunt. Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis, pœnas suas miserabiliter loquebantur. Alii vero post diversa tormenta per diversas dispersi provincias, vitam in exilio peregerunt. Quo ergo sermone, aut quibus operibus dignas Deo gratias agere valeamus, qui per me ultimum servum suum Ecclesiæ suæ injurias vindicare dignatus est, & tantarum provinciarum populos a jugo servitutis eripuit: Quod beneficium Dei antecessores nostri non meruerunt, quibus non solum Africam liberare non licuit, sed ipsam Romam viderunt ab eisdem Vandalis captam, & omnia Imperialia ornamenta in Africam exinde translata. Nunc vero Deus per suam misericordiam, non solum Africam, & omnes ejus provincias nobis tradidit, sed & ipsa Imperalia ornamenta, quæ, capta Roma, fuerant ablata, nobis restituit. Ergo post tanta beneficia, quæ nobis divinitas contulit, hoc de Domini Dei nostri misericordia postulamus, ut Provincias, quas nobis restituere dignatus est, firmas & illæsas custodiat, & faciat nos secundum voluntatem suam, ac placitum gubernare; ut universa Africa sentiat Omnipotentis Dei misericordiam, & cognoscant ejus habitatores, a quam durissima captivitate, & jugo barbarico libera-*

Gratiarum actio Imp.

Exageratio accepti divinitus beneficii.

Jesu Chr. an. 534. *berati, in quanta libertate sub felicissimo nostro Imperio degere meruerunt &c.* deinde invocata etiam Beatæ Mariæ Virginis intercessione decernit, ut Africa non aliter ac Oriens, & Illyricum proprio regatur Præfecto prætorio, cujus officium Carthagine esset, Byzacium vero, & Tripolis Rectores habeant Consulares: reliquæ vero, idest Numidia, Mauritaniæ duæ, & Sardinia a Præsidibus cum Dei auxilio gubernentur &c.. Subdit enim de reliquis Judicibus iisdem præficiendis, & quæ emolumenta persolvi debeant, tum ipsis, cum aliis ministris; atque hæc sanciens Justinianus, posteros omnes docuit Principes, digno quod retineretur exemplo, post populos Dei beneficio debellatos, tum verbis, tum factis, gratias summas divino numini esse reddendas.

Nova editio Cod. Justiniani.

15. Alias plurimas hoc, & sequentibus annis constitutiones edidit Justinianus ad moderandas tum ecclesiæ, cum Imperii res in Africa, quas in suum Codicem inferri voluit. Qua de re auctor chronici Alex. sub hujus anni Coss. habet: *His Coss. renovatus est*, Justiniani Codex, eidem adjunctis post illius *editionem factis constitutionibus, jussumque est, ut priori illa editione antiquata, vim & auctoritatem obtineret a die IV. Kal. Jan. indict. XIII.*, seu a die XIX. mensis Decembris hujus anni, ut etiam legitur in lege de emendatione Codicis præfixa Codici Justinianeo, dataque *XVI. Kal. Decemb., Justiniani Aug. IV., & Theodoro Paulino Coss.*, qua Codicis Justinianei editione hodie utimur. Prior hujus Codicis editio publicata fuit anno 529., eique insertæ sunt constitutiones, quæ post Codicis confectionem latæ divagabantur. Tum eodem Codice anno 531. rursum promulgato, hoc anno tandem cum absolutus videretur, jussus est iterum promulgari, vocatusque titulo repetitæ prælectionis, seu secundæ editionis. Sed præter sancitas leges pro Africæ regimine, Justinianus ædificia plurima instauranda curavit, sive ad ejusdem decorem, sive munimentum. Imprimis autem grati animi signum illud rependit, cum ob gratiarum actionem, veluti triumphales quosdam fornices ei, cujus fultus præsidio & intercessione ad Deum vicerat, ipsi Dei Genitrici, semperque Virgini Mariæ Carthagine, alibique nobiles ædificavit ecclesias, de quibus agens Procopius, ubi locutus est de ædificiis antiquis a Vandalis per universam Africam destructis, hæc addit: *Solum Carthagine pauca quædam in antiqua*

De ecclesiis a Justiniano Carthagine ædificatis.

Procop. de ædif. Justinian. lib. 6.

qua specie manserunt, & ipsa quoque diuturnitate temporis jam collapsa: Et paulo post: Primum Carthagine murum collapsum reparavit totum, fossa, quæ ante non fuit, egesta. Posuit quoque sacra templa Dei Genitrici; & in Palatio, cui indigenarum sanctæ Primæ. Non (ut puto, quod Prima nomine diceretur aliqua nota Carthaginensis martyr, nulla enim apud majores de ea mentio est), sed quæ primaria inter alias ecclesias a civibus haberetur. Addit Procopius Monasterium ab eo erectum, mœnibusque conjunctum juxta mare, in quo Monachi debitas Deo laudes persolverent. Insuper & Bagajensem Urbem cinxisse muris, eamdemque nomine Conjugis Theodorianam appellasse. Adrumetum præterea muris ab ipso cinctum, Justinianum nuncupavit: qno etiam nomine ab eo fuisse Carthaginem nominatam Justinianam, multiplex memoria est; id enim patet ex litteris Synodi Carthaginensis, & in ipsius Justiniani Constitutionibus. Illud præterea laude dignissimum fuit, dum barbaros repertos in Africa, quos Mauros vocant, Romanis subjectos, ex gentilibus reddidit Christianos; de quibus ista Procopius. *Tripolis hic promontoria sunt, habitantque Mauri, barbara gens, & Romanis antiquo fœdere juncta. Hi omnes a Justiniano Rege persuasi, Christianorum dogma spontanee amplexati sunt, vocanturque nunc pacati, quod Romanis semper confederati sunt, a pace ita dicti latina voce.* Cæterum reliqui Mauri ab eodem Imperatore sub Duce Salomone Darensi, & aliis post eum, vix post Decennium subjugari potuerunt, reliquis parere recusantibus in partes interiores Africæ effugatis. Sed de Africanis rebus hactenus.

JESU CHR. AN. 535.

De Mauris ad Christum conversis.

Procop. de ædif. Justinian. Imp. or. 3.

JESU CHRISTI AN. 535. AGAPETI PAPÆ I.
JUSTINIANI IMP. 9. THEODATI REGIS 2.

1. Hoc Christi anno 535., Belisarius, qui anno superiori de recuperata Africa magnificum CPoli triumphum egerat, alterum æque nobilem populo exhibuit, cum consulatus dignitatem obtinuit, quem sua in populum liberalitate nobilitavit. *Haud multo*, ait Procopius, *post, Belisarius alterum, & veteri quidem more, triumphum egit. Nam illum consulem captivi portarunt: idemque e curuli illas ipsas belli Vandalici manubias populo sparsit. Siquidem Belisario consule vasa*

De Belisarii consulatu.

Procop. de bello Vandal. lib. 2. cap. 9.

JESU CHR. AN. 535. *vasa argentea, Zonas aureas, aliarumque rerum pretiosarum, quas habuerant Vandali, magnam copiam populus rapuit, ac dies partem eorum, quæ desuetudine jam pridem abierant, revocare visa est*. Hæc de Belisarii consulatu, quem majori cum gloria, ac triumpho clausit, cum hoc eodem anno, ultimo consulatus die, Sicilia recuperata, Syracusis ingressus est. Sed de Sicilia e Gothorum tyrannide vindicata, ac Gothica expeditione inferius, nam prius de ecclesiasticis rebus sub eo consule gestis sermo instituendus est.

Joannes 2. Rom. Pontifex obiit.

2. Hoc itaque anno Joannes secundus Romanus Pontifex, Mercurius dictus, vitam cum morte commutavit, postquam sedisset in Petri cathedra *annos duos, menses quatuor, dies sex*, ut in libro Pontificali legimus, vel dies 26. ut legendum putat Pagius. De anno, quo Joannes obiit, concors est eruditorum sententia, sed de die quo obiit, vel sepultus est, nil certi constat, cum in diversas sententias ob variantes lectiones libri Pontificalis eruditi abeant, sed in re minima non immoramur, ac die 27. Maji eum obiisse, vel sepulturæ traditum fuisse, cum Pagio dicimus, cui post dies 6., vel 7. Agapetus successit, die scilicet Junii tertia, ordinationi Pontificum aptissima, in quem Dominica cadebat. Joanni Pontifici præter recensitas supra epistolas, altera adscripta legitur, data ad Valerium *nonis Augusti, Justiniano, & Athalarico VC. Coss.* de divina & humana Jesu Christi natura, quam & stylus, & absurda consularis nota, apocripham demonstrant, & ad Mercatoris fabulas rejiciunt, constatque ex S. Leonis, & Ithacii scriptis, ut legenti patebit.

Pag. not. 2. ann. 535.

Ithacius adversus varimodum cap. 4. Leonis ep. 15.

Agapetus ordinatur Rom. Pontifex.

3. De Agapeto, Joannis successore, ejusque gestis initio Pontificatus, hæc habet Anastasius. *Agapetus natione Romanus, ex Patre Gordiano presbytero, clericus ad Sanctos Joannem & Paulum. Hic ortu Episcopatus sui, libellos anathematis, quos invidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris, & Episcopis contra canones, & contra Dioscorum, in medio ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, & absolvit totam ecclesiam de invidia perfidorum*. Hæc ipse, de quibus supra, cum de schysmate exorto in Bonifacii ordinatione egimus, plura diximus.

Reparatus Carthag. Episcopus ordinatur, synodum celebrat.

4. Jam reliqua prosequamur. Mortuo his temporibus Bonifacio Carthaginensi Episcopo, in ejus locum Reparatus ordinatus est, & quidem hoc anno, teste Victoris chronico. *Beli-*

Belisario VC. Coss., *Reparatus Carthaginensis ecclesiæ Episcopatum post Bonifacium suscipit*. Hic adepto Episcopatu synodnm totins Africæ Carthagine celebravit, quam aliqui anno superiori collocant, quo nondum Episcopus erat. Florentissima Episcoporum numero hæc synodus fuit, cni adfuere Antistites 217., qnibus Reparatus præfuit, deinde Florentianus, Dacianus, Felicianus Ruspensis S. Fulgentii successor, Felix Zactarensis, & Petrus, qui una cum Liberato Carthaginensis ecclesiæ Diacono ad Joannem secundum Romam legati a synodo missus est, at Romam pervenerunt legati cum Agapetus in Joannis locum successerat, cui synodales epistolas tradiderunt, sicut & alteram ab ipso Reparato scriptam. Ad Imperatorem quoqne miserunt Theodorum ecclesiæ Carthaginensis Diaconum petentes, ut ecclesiæ bona a Vandalis ablata ecclesiis restituerentur. Synodi acta pro majori parte perierunt. Extant tamen epistolæ tnm synodi ad Rom. Pontificem, tum Agapeti ad Africanos Patres, & ad Reparatum, & ad Imperatorem Justinianum ea de cansa scriptæ. Extat etiam Feliciani ad synodum instantia, nt quæ in synodo sub Bonifacio anno 525. statuta fuerant confirmarentur, ut scilicet, monasteria plenissima fruerentur libertate, ita ut Episcopi in iis præter Clericorum ordinationem, vel ecclesiarum consecrationem, nil aliud sibi vindicarent, quam sententiam synodus monasteriorum quieti, ac incolumitati consulens, his verbis confirmavit. *Oportet enim in nullo monasterio quemlibet Episcopum Cathedram collocare*; *aut qui forte habuerint*, *habere*: *nec aliquam ordinationem*, *quamvis levissimam facere*, *nisi clericorum*, *si voluerint habere*: *esse enim debent monachi in Abbatum suorum potestate*, & *quando ipsi Abbates de corpore exierint*, *qui in loco eorum ordinandi sunt*, *judicio congregationis eligantur*: *nec officium sibi hujus electionis vindicet*, *aut præsumat Episcopus*. *Si qua vero contentio*, *quod non optamus*, *exorta fuerit*, *ut ista Abbatum aliorum concilio*, *sive judicio finiatur*.

JESU CHR. AN. 535.

Pro Monasteriorum quiete decretum Concilii Carthag.

5. Quanta alacritate huic synodo adfuerint Antistites, ecclesiam a Vandalorum jugo ereptam in pristinam libertatem rediisse considerantes, a lacrymis vix se se continere potuerunt, ac pro antiqua ejusdem ecclesiæ observantia erga Apostolicam sedem, ab eadem erudiri cupientes, hanc epistolam dederunt. *Optimam consuetudinem præteriti temporis*, *quam*

Africanorum Patrum epistola ad Rom. Pontificem.

JESU CHR. AN. 535. *quam violenta captivitas per annos centum, dolentibus cunctis, abstulerat, iterum servare cupientes, ad universalem totius Africæ Synodum fidei devotione convenimus, in illa Justinianæ Carthaginensis basilica congregationis nostræ primitias Domino consecrantes, unde nostros Patres tyrannus Hunnericus expulerat. Hæc basilica Fausti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus insignita, quorum Deus exaudivit orationes, ut daret hujus rei fiduciam sacerdotibus. Ibi igitur quantum singuli lacrymantibus gaudiis flere potuerint, cogitandum potius beatitudini vestræ dimittimus: in omnibus enim lætitiæ spiritualis unus fuit affectus, agere gratias Omnipotenti Deo, cujus gratia peccatoribus sine meritis operum datur, & antidotum fidei salutaris nuper reconciliatis hæreticis obtinetur &c.*. Ac primo, qua ratione Presbyteri Ariani ad ecclesiam catholicam revertentes suscipiendi essent, an scilicet cum suis honoribus, an ad laicam tantum communionem admittendi essent, interrogant: deinde ne frequentes ad transmarinas regiones Episcoporum peregrinationes Apostolica Sedes admitteret rogant, quod etiam a presbyteris, ceterisque clericis servandum esse admonent, ita ut sine formata, ut inquiunt, suorum Episcoporum epistola, ad communionem non admitterentur. Hactenus epistola Africanorum Patrum ad Joannem missa, quæ Agapeto successori tradita fuit, sicut & privata a Reparato scripta.

Agapeti epist. ad Africanum concil.

6. His acceptis, Agapetus ad Africanum concilium his verbis respondit. *Agapetus Episcopus, Reparato, Florentiano, Daciano & cæteris Episcopis per Africam constitutis. Jamdudum quidem Fratres amantissimi de prosperitatibus vestris repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Sed & nunc cum litteras caritatis vestræ ad prædecessorem nostrum datas accepimus, pridem gaudia concepta renovamus, benedicentes Dominum sempiternum, qui liberavit nos ab inimicis nostris, & de manu omnium, qui nos oderunt &c.*, ac ad propositam de recipiendis Arianis Sacerdotibus ad ecclesiam catholicam redeuntibus, ut cum benignitate reciperentur, ac recepti stipendiis etiam foverentur permittit, ab officio tamen quod gesserant & Sacerdotali honore arcendos esse jubet. Deinde: *Illud quoque quoad catholicos, qui præsunt, aut militant Ecclesiæ, sine sacerdotum suorum litteris suscipi a nobis minime debere mandatis, & canonibus est*

Labb. concil. tom. 4. pag. 1791.

est congruum, & disciplinis prodesse judicamus, ac fidei, qui permanendo in ecclesiis, in quibus militant, & ministerii sui poterunt assiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, & quae in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare. Datum quinto Iduum Septembris. Idem vero Agapetus ad privatas litteras Reparati Episcopi Carthaginensis ad se datas rescribens, de ejusdem ordinatione gratulatur, ac ad ea, quæ per Legatos suos Cajum, & Petrum Episcopos, & Liberatum Diaconum petierant, se per scripta respondisse ait. *Quod per legatos nostros (si Domino placuerit) reddere non moramur. Universa praeterea, quae inimicorum perversitas invaserat, caritati tuae metropolitana jura reparantes, hortamur, ut ea, quae tuo vel aliorum nomine rescripsimus, universis debeas innotescere, Metropolitani quippe auctoritate suffultum: ne quis se excusabiliter asserat ignorare, quod Sedis Apostolicae principalitas Canonum consideratione perscripsit. Data quinto Idus Septembris post consulatum Paulini viri clarissimi.* Qui est præsens annus, signatus etiam Belisarii Consulatu. Hactenus ad Carthaginensem Episcopum Reparatum Agapetus.

De restituendis possessionibus ecclesiis Africae.

7. Inter Carthaginensis synodi gesta legatio ad Justinianum Imperatorem missa recensetur, quam Theodorus Carthaginensis ecclesiæ Diaconus obivit, ut ecclesiarum possessiones a Vandalis usurpatas Africanæ ecclesiæ recuperare possent, idque ex Justiniani rescripto ad Salomonem Africæ Præfectum dato constat, quo jussit, *ut salva tributorum ratione*, Carthaginensis ecclesiæ, cæteræque Africanæ Diœceseos, possessiones suas e Vandalorum manibus *vindicatas firmiter possideant, & sine ulla concussione a nullo penitus abstrahendas. Si quas autem alias possessiones, sive domos, sive Ecclesiarum ornamenta apud Afros, vel Arianos, vel Paganos, vel alias quaslibet personas detineri probatum fuerit, ea quoque omnimodo sine aliqua dilatione sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxae fidei assignari, nulla prolixitate temporis his, qui easdem res inique detinent, uti concedendis, sed earum restitutionem, omni explosa machinatione, facere compellendis. Quia non patimur sacratissima vasa, vel ornamenta venerabilium Ecclesiarum, aut alias possessiones apud Paganos, vel alias personas detineri.* Data ea lex est Kal. Augusti CP. Belisario Coss.. Altera lege jussit, ut intra quinquennium unusquisque Catholicorum sua bona recognoscere, ac petere posset.

Jesu Chr. an. 535. Agapeti epist ad Justinianum.

8. Duas quoque ad Agapetum Pontificem Justinianus epistolas scripserat, prima de adepto Pontificatu gratulabatur, altera per Heraclium presbyterum missa petebat, ut Arianis ad catholicam fidem redeuntibus liceret, in adeptis dignitatibus perseverare, ac ad majores etiam ordines ascendere, ac de dejectione Stephani Larissæ metropolitani, cujus causa in synodo Romana sub Bonifacio actitata fuerat, agit; cui cum Achilleus suffectus fuisset, Agapetum rogavit, ut eadem auctoritate sua confirmaret, ac tandem Pontificem rogabat, ut Justinianeæ civitatis Episcopo vices suas delegaret. Litteræ quidem Justiniani deperditæ sunt, sed ex Agapeti epistola, qua Justiniano respondit, hæc constant. Eaque imprimis, quod Apostolicæ Sedi eam hactenus devotionem & reverentiam detulisset, gratias agit, ac ut in iis perseveraret hortatur, ejusque in revocandis ad ecclesiam catholicam hæreticis zelum laudat; at servandas etiam esse ecclesiæ regulas sive canones admonet, quare in suis honoribus Arianos nequaquam recipi posse adnotat. Unde post plurima: *Quapropter bonum hoc equidem, & summa laude præcipuum, quod omnes ovili Dominico per veram fidem cupitis aggregare: sed non oportet nobis eos, qui non recte ingredi moliuntur, excipere,*

2. Cor. 6.

beato Paulo Apostolo commonente: Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Quantam autem paternarum constitutionum si sic recipiantur (quod absit) incurrant offensionem, ne quid pietatem vestram latere contingeret, ipsas quoque regulas credidi subnectendas, quæ

Sedis Apostolicæ decreta inviolabiliter observanda.

specialiter censuerunt, ne quis talium reconciliatus, aut ecclesiastici ordinis provectibus augeatur, ut desideret honores alterius possidere, quos se dubitare jam non debet culpabiliter amisisse: ex quibus pietas vestra melius poterit æstimare, si quo modo tam aperta, & synodalia Sedis Apostolicæ licet infringere constituta, cum sententia clamet Apostoli. Si tamen quæ destruxi ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipse constituo. Hæc & alia in eamdem rem Agapetus, ex quibus patet Romanos Pontifices sollicitos fuisse ne canones a S. Patribus traditi, spiritu Dei conditi, ac totius Mundi reverentia consecrati, sub quovis prætextu violarentur. Ceteris Justiniani postulationibus hæc respondit. *De Stephani Episcopi persona simul & causa non credatis, alicujus nos studio defensionis impelli . . . Et ideo, quia clementia vestra salubriter offerre digna-*

dignata est, ut a Legatis nostris omne negotium tractaretur: hanc operam his, quos incontinenti dirigimus, Deo auctore mandamus: ita tamen, ut jam nunc communione nostra vir religiosus Achilles pro vestra jussione debeat gratulari. Epiphanium tamen perstringit, quod Achillem inconsulta Apostolica Sede ordinaverit. Ad alteram vero petitionem de creando in Urbe Justiniana Præsule, qui Romanæ Sedis Legatum ageret, respondet, mandaturum se Legatis, quos dirigebat, ut eo de negotio tractarent. Sed ad Agapeti gesta redeamus.

Agapeti epist. ad Cæsarium in causa Contumeliosi.

9. Duæ ad Cæsarium Arelatensem Episcopum Agapeti Papæ adhuc extant epistolæ, quarum prima de appellationibus ad Romanam Sedem agitur. Cum etenim Contumeliosus Rejensis Episcopus Joannis secundi, Agapeti præcessoris, sententia sede sua dejectus, in monasterium ad agendam pœnitentiam damnatus esset, ut anno proximo diximus; is vero causam suam retractari petiisset, & ad Apostolicæ Sedis auxilium confugisset, Agapetus Joannis sententiam suspendi jussit, donec novi delegarentur judices, qui totam causam retractarent: interea tamen, ut a Missarum celebratione, & Episcopi officio Contumeliosus abstineret admonuit. *Optaveramus*, ait, *Frater Amantissime, ut Episcopi Contumeliosi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas judicii, nec nobis causa censendi: maxime quia in suprascripti viri accusatione communis honoris reverentia quodammodo videtur incursata. Unde quatenus præsumptione, sicut asserit, innocentiæ ad appellationis voluit auxilium convocare, orationibus assiduis hoc innitamur, ut eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum. Delegaturi enim, Deo nostro adjuvante, sumus examen, ut secundum canonum venerabilium constituta, sub consideratione justitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta, gestave sunt, diligentissima vestigatione flagitentur &c.*. Et post plurima in eamdem causam: *Melius*, inquit, *fecerat fraternitas tua, si posteaquam Sedis Apostolicæ appellatione interposita, desideravit examen, circa personam ejus a tempore sententiæ nihil permisisset imminui; ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus Episcopus judi-*

Jesu Chr. An. 535. *cationi refragatus, privatam magis potuit secundum canones expetere secessionem, quam severitatem religionis excipere. Suspensus igitur, sicut præfati sumus, Episcopus Contumeliosus habeat tantum, quam præsumpsisse dicitur, celebrationem Missarum; & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto, ita ut alimonia sufficienter Episcopo non negentur, visitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari personam, & patienter expectare judices, quos inspirante nobis Domino constituerimus audire. Præterea, ne quid esset, quod caritati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum fecimus capitula subter annecti, ut scientia communicemur canonum, sicut participamur affectu. Deus te incolumem custodiat Frater Carissime. Data XV. Kalendas Augusti.*

Agapeti epist. ad Cæsarium de bonis ecclesiæ non alienandis.

10. Epistola altera Cæsarium admonet Agapetus se canonum auctoritate prohiberi, quominus eidem facultatem daret alienandi bona ecclesiæ, ut pauperum necessitatibus subveniret. *Tanta est*, inquit, *Deo propitio, & ad ea libentissime concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa te fraternitatis affectum, nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod annui vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda patrum manifestissima constituta, quibus prohibemur, prædia jure Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre &c.*. Data decimoquinto Kal. Aug. postCoss. Paulini junioris. Atque ex his patet quanta Episcoporum Galliæ tunc esset erga Apostolicam Sedem reverentia, ut pro alienandi bona ecclesiæ facultate obtinenda, ad eam recurrerent; at quanta etiam Romanorum Pontificum in sacrorum canonum auctoritate tuenda sollicitudo esset, ex hactenus dictis aperte patet.

De synodo Arvernensi ejusque canonibus.

11. Hoc anno postCoss. Paulini inscripto, Arvernis in Gallia synodus celebrata est, ut ex Honorati Episcopi subscriptione scimus. *Honoratus in Christi nomine Episcopus ecclesiæ Bituricensis constitutionem nostram relegi, & subscripsi die VI. idus Novemb. postCoss. Paulini Junioris VC.* Hanc consensu Theodeberti Regis celebrarunt, ut in Præfatione testantur Episcopi. *Cum in nomine Domini congregante Spiritu Sancto, consentiente Domino nostro Gloriosissimo piissimoque Rege Theodeberto in Arverna urbe* Sancta synodus conveniss-

Tom. 4. pag. 1803.

venisset. *Ibique flexis in terram genibus, pro longævitate, pro regno ejus, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regnum ejus Dominus noster felicitate attolleret, imperio regeret, justitia gubernaret. In Ecclesia ex more consedimus, inspectisque canonibus, id nobis rationabile visum est, ut quamvis ecclesiasticæ regulæ pene omnia comprehendant: tamen quædam vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua*. In hanc rem canones 16. ecclesiæ disciplinam spectantes condiderunt, quorum summa hæc est. Primus statuit in conciliis ante alias causas tractanda esse, quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent. Secundus: Communione privat eum, qui patrocinia potentum ad obtinendum Episcopatum adhibuerit, statuitque eum ordinandum esse Episcopum electione Clericorum, vel Civium, consensu Metropolitani; qui sacrum honorem non votis quærat, sed meritis. Tertius: Pallis vel ministeriis divinis, idest, altarium ornamentis, defunctorum corpora obvolvi vetat. Quartus: prohibet Magnatibus, ne Clericis contra Episcopos patrocinium impendant. Quintus: a Communione excludit eos, qui res Ecclesiæ petunt a Regibus, & egentium substantias rapiunt: & concessiones Regum irritas declarat. Sextus: a communione Ecclesiæ segregat Christianos matrimonium cum Judæis contrahentes. Septimus: vetat Corpus Sacerdotis, cum ad tumulum effertur, Opertorio Dominici Corporis obvolvi, ne dum honorantur corpora, altaria polluantur. Octavus: Ministeria divina, idest ornamenta altaris prohibet ad nuptiarum ornatum, & pompam commodari. Nonus: cavet ne Christianis Judæi præponantur Judices. Decimus: Ne Episcopus alterius Parochias invadat. Undecimus: ne alienum Clericum absque proprii Episcopi consensu suscipiat, aut ad Sacerdotium promoveat. Duodecimus: incestas conjunctiones, quæ auctoritatem Divinæ legis, ac naturæ jura perrumpunt, anathemate plectit. Decimus tertius: Clericos ad Diaconatum, aut Presbyteratum promotos, si conjugati sint, fratres uxorum suarum ex conjugibus fieri jubet: continentiam non servantes dignitate in perpetuum dejicit. Decimus quartus; Munera Ecclesiæ collata fraudantes a communione removet. Decimus quintus: Natale Domini, Pascha, Pentecostem, & alias festivitates præcipuas cum Episcopo celebrare jubet, tum Presbyteros,

JESU CHR. AN. 535.

teros, tum Diaconos qui in villulis habitant, & in Oratoriis divina Mysteria celebrant, tum Cives natu majores, ideſt Capita familiarum. Decimus ſextus, extraneas mulieres e domo Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi arcet, tantum aviam, matrem, ſororem, vel neptem patitur, ſi poſcat neceſſitas: Canonum hac in re tranſgreſſores communione privat: & Epiſcopum hanc culpam in Presbytero, aut Diacono punire negligentem, ſententiæ ſeveritati ſubjicit.

Arvernenſis ſynodi epiſtola ad Regem Theodebertum.

12. Ejuſdem ſynodi extat epiſtola ad Theodebertum Regem, (ex cujus provinciis Epiſcopi convenerant) qua deprecantur, ne clerici, aliique qui Regum aliorum Dominio ſubjacebant, poſſeſſionibus, quas in Regno ejus obtinebant, fraudarentur. *Unde reverendiſſime, ut dignum eſt, ſupplicantes quæſumus, ut hoc noſtræ petitioni divino intuitu pietas veſtra non deneget, ut tam rectores Eccleſiarum, quam univerſi clerici, atque etiam ſeculares, ſub regni veſtri conditione manentes, nec non ad domnorum regum patrum veſtrorum dominium pertinentes, de quod in ſorte veſtra eſt, extraneos, de quod habere proprium ſemper viſi ſunt, non permittatis exiſtere; ut ſecurus quicumque proprietatem ſuam poſſidens, debita tributa diſſolvat Domino, in cujus ſortem poſſeſſio ſua pervenit. Quod & theſauris veſtris omnino utilius eſſe cenſemus, ſi per pietatem veſtram ſalvata poſſeſſio oonſuetudinariam intulerit functionem; & nos peculiarius veſtra clementia conſolatur, ſi obtenta hujuſcemodi petitionis nos quoque celſitudo veſtra fecerit gratulari.* Synodo Epiſcopi 15. adfuere, quorum primus Honoratus Bituricenſis, quem ſequitur Gallus Arverniæ Epiſcopus, deinde ceteri: ex his plurimi ſanctitate & doctrina illuſtres fuerunt, quorum quatuor Martyrologio Romano inſcripti leguntur, ideſt Gallus Arvernenſis, Gregorius Lingonenſis, Hilarius Gabalitanus, & Nicetius Trevirenſis.

De Gallo Arvernenſi Epiſcopo.

13. De Gallo Arvernenſi Epiſcopo complura admiratione digna narrat Gregorius Turonenſis, quem Patruum ſibi fuiſſe gloriatur, inter cetera de extincto incendio hæc habens: *Cum autem Arvernenſis civitas maximo incendio cremaretur, & hoc ſanctus comperiſſet, ingreſſus eccleſiam, diutiſſime Dominum ante Sanctum altare cum lacrymis exoravit, ſurgenſque evangeliis comprehenſis, apertiſque obviam ſe igni obtulit: quo obtemperante, protinus ad adſpectum ejus ita omne incendium eſt*

est extinctum, ut nec favilla quidem in eo igne remansisset. Gregorium quoque Lingoniensem Episocpum, qui tertio loco subscriptus legitur, Fortunatus illustri exornat elogio, ac Hilarium etiam missa salutatione Fortunatus his versibus laudat. JESU CHR. AN. 535. *Fortunat.car. lib. 4.*

Lux serena animi semper mihi dulcis Hilari
Quamvis absentem, quem mea cura videt,
Cujus honestus amor tantum mea corda replevit,
Ut sine te numquam mente vacante loquar,
Versibus exiguis mandamus vota salutis:
Quæ dedit affectus, sint tibi grata precor.

Hæc ad eum Fortunatus, ex quo etiam Ruricii alterius ejusdem synodi Episcopi epitaphium habemus. Sed & de Nicetio Trevirensi plura dicenda superessent, ex Gregorio Turonensi ejusdem vitæ scriptore, ni ad alia properaret oratio nostra. *Fortun.carm. lib. 4. de Ruricio.*

14. Rebus Occidentalis ecclesiæ Orientales succedant. In epistola Agapeti Pontificis ad Justinianum idib. Octob. data, Epiphanii CP. Episcopi mentio occurrit, tamquam viventis, sed eo tempore jam mortuus erat, etsi Romæ ejus mors nondum cognita esset, quem hoc anno mortuum scimus, post emensos in Episcopatu annos 15. menses aliquot. Epiphanii cathedram callidis, occultisque consiliis impiæ Theodoræ Augustæ, Anthimus Trapezuntinus Episcopus occupavit. De Anthimi ordinatione hæc Theophanes in chronico, etsi in anno erraverit. *Hoc anno Epiphanio præsule mensis Junii die V., indict. XV. post Episcopatus annos sexdecim, & menses tres vivis erepto, hæreticus Anthimus Trapezuntinus Episcopus in sedem CP: translatus est.* Indictio 15. cum anno 537. concurrebat, unde biennii metracronismo Theophanes peccat. Anthimus autem ex iis erat, qui speciem pietatis, ac catholicæ fidei habebat, sed intrinsecus virtutem abnegaverat, ac Eutychianam hæresim profitebatur, ut Justinianus ipse, edita anno sequenti constitutione, testatur. Hinc ut ait Baronius malorum origo, hinc ipsi Imperatori, atque universæ ecclesiæ catholicæ acerbissimarum cladium fons erupit, cum videlicet Theodoram Augustam conjugem audiens Imperator, monstrum horrendum in regiæ civitatis Pontificiam sedem provehit. Plus æquo, & quam deceat catholicum Principem, audire solebat Justinianus consilium Theodoræ: quod Epiphanii CP. Episcopi mors, cui Anthimus successit.

JESU CHR. AN. 535. quod ipsemet in Constitutione hoc ipso anno edita profitetur, cum ait: *Hæc omnia apud nos cogitantes, & his quoque participem consilii sumentes eam, quæ a Deo data est nobis, reverendissimam conjugem &c.*. Sed plane facta est ipsi in scandalum atque ruinam, ut quæ dicentur annis singulis demonstrabunt. De studiis Theodoræ Augustæ, ut Anthimus in Epiphanii locum ordinaretur, hæc narrat Liberatus: *Ea tempestate mortuo Epiphanio CPolitano Episcopo, Theodora Augusta Anthimum transtulit in Sedem, qui fuit Episcopus civitatis Trapezunti regionis Ponti, latenter Chalcedonense Concilium non suscipientem*. Libellus autem Monachorum Syriæ in quinta synodo, de Anthimi invasione sedis CPolitanæ hæc adnotat. *Epiphanio sanctæ memoriæ Archiepiscopo hujus regiæ Urbis in pace vita functo, Anthimus, qui aliquando ordinatus fuit Episcopus Trapezuntarum, magnitudinem & dignitatem Sacerdotii, non spiritualium animarum diligentiam esse putavit, sed quemdam civilem principatum, & propterea majorem appetens, jam multo tempore derelinquens propriam Ecclesiam, & civitatem Regiam, Constantinopolim scilicet, apprehendens tamquam quædam plaga Ægyptiaca, vitamque fictam ipsius figuratæ continentiæ omnibus ostendens, cum hæreticis sic nidificantibus conversatus est: similia quoque illis hæretica furta largiendo, & placita illis faciendo & dicendo, voluit adulterine subripere sacerdotalem sedem ipsius Civitatis contra omnem æquitatem Ecclesiasticam, & Canones &c.*. Hæc pluribus Syriæ monachi prosecuti sunt, sicut & Archimandritæ CP. in libellis Agapeto oblatis cum CP. degeret (ut anno sequenti dicemus) quo etiam testati sunt, se ea de causa legationem misisse Romam, ut de his quæ CP. peracta essent, & de Anthimi persona Agapetum Romanum Pontificem certiorem redderent.

Anthimus catholicam fidem simulat.

15. Interea Anthimus CP. adepta sede, ut eam firmius, si liquisset, retineret, Eutychianam pestem mente retinens, ut catholicus appareret, Chalcedonense concilium probavit; cumque apud plurimos hæresis insimularetur, ut famæ periclitanti consuleret coram Imperatore disertis verbis professus est, se in omnibus assensurum iis, quæ Apostolica Sedes tenenda juberet, ut de eo synodus quinta testatur his verbis. *Simulans quidem suscipere sanctas Synodos, Nicænam dicimus contra impium Arium, Constantinopolitanam contra impium Mace-*

Macedonium, & Ephesinam primam contra impium Nestorium, ac Chalcedonensem contra impium Eutychetem, saltem ipsas habens in sacris Diptycis; sed cum inserta ipsis Synodis esset Sancta memoria beatissimi Leonis Papæ, nullo tamen tempore aliter vel percipit, vel participat sanctissimis Dei mysteriis, nec celebrationem ipsorum prædicat, ne in hac quidem sanctissima Dei Ecclesia, resiliens universaliter a rectis ipsorum confessionibus, & neque magnorum Pontificum, neque venerabilium priorum, qui pro talibus respiciunt, & omnino tolerat, aut aliquam defensionem dat &c.. Quæ cum ita sint, tamquam spuria, & Isidoriana habenda est epistola Agapeti nomine ad Anthimum inscripta, quam etiam stylus, & consularis nota falsam demonstrant; sed de his hactenus, & ad Justiniani gesta oratio transeat. JESU CHR. AN. 535.

16. Perdifficilem sane provinciam Justinianus hoc anno inierat, dum Gothicum bellum susceperat. Ut tantæ rei perficiendæ divinam sibi promereretur opem, (cujus brachio vincuntur hostes) totis incubuit viribus, ut quæcumque divinum cultum, ecclesiæ disciplinam spectabant, tamquam canonum ecclesiæ vindex, & protector, ubique servarentur, ut quamplurima ab eo editæ constitutiones hoc anno sub Belisarii consulatu testantur, quas Epiphanio dum adhuc viveret, direxit. Prima XVII. Kal. Aprilis data tribus constat capitibus, quorum primo ingentem clericorum numerum ecclesiæ CPolitanæ, aliarumque imminuit, ne eorum numero gravata, ære alieno oppimeretur, vel bona immobilia alienare cogeretur. Unde post plurima: *Sancimus igitur*, inquit, *eos qui hactenus sunt in eadem sanctissima majori Ecclesia, & reliquas omnes venerabiles domos, & reverendissimos Clericos, & mulieres diaconissas, & ostiarios manere in eo quo sunt schemate, (eodem modo scilicet, & ordine perseverent) (non enim quod est, minuimus, sed de futuro providentes hæc sancimus). Reliquo vero tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiquum numerum institutum ab iis, qui sanctissimas Ecclesias ædificarunt, reverendissimorum Clericorum quantitas redigatur. Sed quoniam pridem etiam reverendissimorum clericorum sanctissimæ majoris Ecclesiæ nostræ civitatis determinatus est numerus, & valde brevis erat, utpote una existente sanctissima Ecclesia, postea vero & venerabilis domus sanctæ gloriosæque Virginis, & Dei Genitricis Mariæ, juxta* Justiniani Imp leges pro ecclesiæ disciplina restituenda.

JESU CHR. AN. 535. *sanctissimæ majoris Ecclesiæ vicinitatem posita ædificata est a piæ memoriæ Verina Augusta, uxore Leonis Imperatoris, & veneranda Domus S. Martyris Theodori a Speratio gloriosæ memoriæ dedicata est*, (Gessit hic Consulatum una cum Herculano tempore Marciani Imp. anno Domini 452.) *erant autem etiam venerabilis Domus S. Helenæ, quæ sanctissimæ majori Ecclesiæ copulata est: propterea redigere numerum ad antiquam figuram impossibile est. Non enim sufficient tantis Ecclesiis pauci consistentes: quoniam quidem non proprios clericos, neque una quidem harum trium habeat basilicarum, sed communes sunt, & sanctissimæ majoris Ecclesiæ, & earum: & omnes circumeuntes secundum quemdam ordinem & circum, ministeria in eis celebrant*. Sed quot, cujusque ordinis esse deberent, ita decernit: *Sancimus non ultra sexaginta quidem presbyteros in sanctissima majore Ecclesia esse, Diaconos autem masculos centum, & quadraginta fœminas, diaconissas scilicet, subdiaconos vero nonaginta, lectores autem centum & decem, Cantores viginti quinque: ita ut sit numerus reverendissimorum clericorum sanctissimæ majoris Ecclesiæ in quadringentis vigintiquinque, & insuper centum existentibus his qui vocantur ostiarii*. Hæc de numero clericorum majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Secundo ejus constitutionis capite decernit, ne clericis liceat a minore ad majorem ecclesiam transire, sed ubi sunt ordinati, ibidem permaneant. Tertio tandem statuit, ut ecclesiæ bona, quæ detractis expensis supererant, pauperibus distribuerentur.

Numerus Clericorum majoris Ecclesiæ.

De Monachorum institutione & moribus.

17. Triduo elapso aliam constitutionem eidem Epiphanio direxit, qua monastica disciplina instaurabatur. Quo scilicet ordine monasteria ædificari deberent, quive admittendi essent ad monachatum, & ne ante triennalem probationem monastica veste induerentur. Tertio de communi monachorum vita, & habitatione agit. Quarto statuit, ut si quis monasticam professionem dimiserit, postquam consecrationem obtinuerat, bona, quæ habuit, dum monasterium ingressus erat, monasterii dominio permaneant. Quinto quomodo viri, & mulieres admitti possint. Sexto, ut qui monasterium relinquit, præter amissionem bonorum, de qua capite 4., secularis tribunalis servitio mulctetur. Septimo decernitur, ne monachi de uno in aliud monasterium transeat. Octavo ne monachi uxorem ducant, vel concubinam. Ultimo tandem, ut

ut is in Abbatem ab Episcopo eligatur, qui inter cæteros optimus fuerit, nec Abbate defuncto, qui temporis ordine primus est, eidem succedat, sed digniores eligantur. *Quæcumque autem*, sic concludit, *sancita sunt de clericis, aut monachis, aut monasteriis, hæc communia ponimus, & in masculis, & in fœminis, & monasteriis, & Asceteriis, non discernentes quantum ad istos masculum, aut fœminam: eo quod sicut prædiximus, unum omnia in Christo consistant*.

Sacerdotium reformatiopro curanda.

18. Insuper alia constitutione ad eumdem CP. Episcopum data jussit, ut sanctorum Patrum regulæ omnino observarentur. Unde cum probe sciret, spem omnem Ecclesiasticæ disciplinæ in eo esse repositam, si qui præsunt Ecclesiis Sacerdotes, a quibus sunt alii illustrandi, ipsi sint superna luce respersi, in hoc laborans, ut præscriptæ de his a Patribus leges servarentur, ista subjungit: *Sancimus igitur, sacras per omnia sequentes regulas &c.*. Plane significans, quæ sacris essent canonibus constituta, servanda se proponere, non autem de personis, vel rebus Ecclesiasticis ferre legem. Et inter alia multa, cohærentes uxori arceri voluit Episcopatu, nam subdit: *Sed neque ineruditus existens sacrorum dogmatum, ad Episcopatum accedat. Prius autem monasticam vitam professus, aut in clero constitutus non minus mensibus sex, uxori tamen non cohærens, aut filios, aut nepotes habens &c.*. Vides cœlibatum, & sacris legibus, & Imperatoria sanctione præscribi in Græcorum etiam Ecclesia, quod non solum in Episcopis requirit, sed in reliquis etiam Clericis, sacris ordinibus initiandis, observandum decrevit in supracitata constitutione, de monachorum vita, & moribus dum ait. *Quod si facti clerici abutantur fiducia, & ad nuptias venire præsumat, quippe in tali gradu constitutus inter clericos, qui ei uxorem ducere permittat: dicimus autem gradum cantorum, aut lectorum, aliis enim omnibus nuptias secundum sacras regulas penitus interdicimus, aut concubinas habere, aut luxuriis tradere vitam &c.*. Eadem quoque lege decernit, ne Episcopi ultra annum absentes sint ab ecclesiis suis, neque ad Comitatum accedant absque Metropolitani licentia. Quibus multa addit de qualitatibus eorum, qui in Clerum adscribi cupiebant: de diaconissis etiam ante quinquagesimum annum non ordinandis: & de expensis ecclesiarum, & clericorum numero non augendo. Quam constitu-

Novella 5.

Clericis in ordinibus majoribus constituti nubere vetat.

JESU CHR. AN. 535.

tionem aliis quoque Patriarchis direxit, ut ad ceteros Episcopos per eosdem perveniret, & ubique publica fieret. Qui igitur de Episcopis, clericis, atque monachis in officio continendis tres has recensitas constitutiones ad Epiphanium CP. Episcopum scripsit, aliam rursum ad eum 17. Kal. Maji de bonis ecclesiæ non alienandis, permutandisve dedit, personis primum, deinde ecclesiasticis rebus consulens.

Provinciarum Rectores Episcoporum vigilantiæ committit.

19. Dum res sacras in pristinum decorem restituendas curat, quæ laicorum erant non præteriit, quin cum salus Reipublicæ ex utroque personarum statu & ordine constare sciret, ut eos, quibus regimen subjectorum in diversis provinciis mandatum erat, in officio contineret, Episcopos Præfectis invigilare jussit, ut si quid injustum admitterent, iidem Imperatori deferrent: his addidit, ut exacto administrationis tempore, adhuc quinquaginta dies in provincia perseverarent, singulorum querelis expositi, ac tandem, ne pro consequenda Præfectura aliquid quisquam persolveret, sicque Præfecturæ venales redderentur: immo voluit eis stipendium assignari, ut sic omnis occasio vexandi subditos tolleretur. Hanc editam a se legem Justinianus ad Episcopos misit in diversas provincias, una cum edicto ad omnes Archiepiscopos, & Patriarchas, quos pro custodia legis latæ invigilare admonuit his verbis. *Vos autem si negligentes non referatis a nobis quidem consecratam Deo rationem reddetis apud eum pro aliorum injustitia, si quod non agnoscentibus nobis damnum apud vos hominibus inferatur. Sed oportet præsentes vos, & pro eis ac reliquis detestantes, manifestos nobis facere & rectos judices, & transcendentes hanc legem nostram: quatenus utrosque cognoscentes, hos quidem puniamus, illis autem repensemus. Cumque lex publice proposita fuerit, & omnibus manifesta, tunc intus recondatur in sanctissima Ecclesia cum sacris vasis, utpote & ipsa dedicata Deo, & ad salutem ab eo factorum hominum scripta. Facietis autem melius, & illic habitantibus universis utilius, si eam insculpentes aut tabulis, aut lapidibus, in porticibus sanctissimæ Ecclesiæ describatis, plenam præbentes omnibus horum, quæ sancita sunt lectionem atque possessionem.* Adjecit insuper illud commendatione dignissimum, ut qui essent provinciarum Præfecti, iidem jurarent Metropolitano ejus provinciæ Episcopo, omnia servaturos, quæ essent Imperatoris legibus imperata. Juramenti forma ab iis obser-

observanda ad calcem ejusdem Novellæ adjecit, ibique legi potest.

20. His a Justiniano rite dispositis, rursus nova constitutione ad Joannem Romanum Pontificem, qui adhuc vivebat data 6. Kal. Maji, privilegium Romanæ ecclesiæ cetetisque Occidentalibus, quæ cum ea communicabant, contulit, ut eorum prædia ac latifundia centum annorum præscriptione gauderent, indignum ratus, ipsam ecclesiarum matrem eo privilegio fraudari, quod Orientalibus ecclesiis ante septennium concesserat, eaque occasione, quantum ceteris Romana ecclesia præstaret, his verbis prædicat. *Ut legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet. Unde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem Sacerdotii, speciali nostri numinis lege illustrare &c.* deinde tricennalem præscriptionem ad Centenariam extendit. In immensum opus excresceret, si omnes leges a Justiniano editæ annalibus insererentur, plures enim alias hoc eodem anno vulgavit, quas in Justiniani Codice lector curiosus inveniet. Romanæ ecclesiæ Primatum Justinianus prædicat.

21. Dum itaque velut summo otio, ac summa pace Justinianus frueretur, novis, ac iteratis legibus catholicæ ecclesiæ decori, ac Reipublicæ incolumitati consulit, cuncta eidem prospere cedunt, felicique auspicio Gothicum bellum hoc anno incepit, ac per Mundum Illyrici Præfectum Dalmatiam Gothis eripuit, Salonamque expugnavit, Siciliam insuper per Belisarium tentatam invasit, ut narrat Procopius. *In Dalmatiam ingressus Mundus cum exercitu suo, & cum Gothis, quos socios habuit, prœliatus, illis acie victis, Salonas cœpit. Belisarius vero appulsa in Siciliam classe, potitus est Catana: inde movens, Syracusas deditione, ceterasque urbes labore nullo recepit, præter Panormum; cujus mœnibus confisi Gothi præsidiarii (& vero locus munitus erat) Belisario permittere se noluerunt, mandaruntque, ut inde exercitum properaret abducere. Belisarius urbem terra expugnari non posse animadvertens, classem jubet subire portum, usque ad mœnia patentem. Erat enim hic extra muros, & ab hominibus plane vacabat. Appulsis eo navibus, accidit, ut earum mali altius quam murorum pinnæ evaderent. Quare illico Belisarius omnes navium lembos sagittariis complet, sublatosque e fastigiis malorum suspendit. Inde telis a vertice petiti ho-* Belisarius Siciliam occupat.

Jasu Chr. an. 535. *hostes, & gravissimo correpti metu, statim Panormum Belisario dederunt. Ex eo tempore Siciliam universam vectigalem habuit Imperator, quando eum Belisario felicius, quam dici possit, actum est, Consulatum enim, quem post victoriam Vandalicam susceperat, adhuc gerens cum Siciliam omnem subegit, extremo illius die Syracusas ingressus est, cum exercitus ac Siculorum ingenti plausu, nummos aureos omnibus spargens. Id quod non ex composito fecit, sed casu quodam evenit, ut tota Insula jam Romanis recuperata, eo die Syracusas inveheretur, & Consulatu, non, ut mos erat in Byzantii curia, sed ibi deposito, vir consularis evaderet.*

Theodati pro pace habenda oblatæ conditiones.

22. Ut vero Italiam e Gothorum manibus facilius eriperet, cum Francis societatem sibi ineundam Justinianus censuit, atque ad eos legationem cum muneribus misit, ut apud Procopium videre est. Quare Theodatus Italiæ Rex, amissa Sicilia, ac Dalmatia exclusus, amplissimas paci conditiones per Petrum Justiniani legatum obtulit, quibus totam Imperatori Siciliam concedebat, auream quotannis trecentarum librarum coronam se misurum spoponderat, tria quoque Gothorum millia daturum, ac neminem ad dignitates, nisi annuente Justiniano promoturum, aliasque conditiones obtulit, quibus se precario nomine Italiæ Regnum retenturum promittebat. Mutatis tamen paulo post vicibus, oblatas pacis conditiones Theodatus revocavit, cum accepit Mauritium Justiniani Ducem, ejusque filium Mauritium in Dalmatia, dum cum Gothis præliaretur occisos fuisse, suosque Gothos Dalmatiam recuperasse. At Justinianus his acceptis Belisarium, quem ex Sicilia revocaverat, quam celerrime petere Italiam jussit, & Gothis pro hostibus uti: Constantinum Regii Stabuli Comitem in Illyricum misit. Constantinus copiis comparatis cum universa classe ex Epidamno Epidaurum invehitur, Gripaque cum Gothis Salonas recuperarat, timore perculsus, civitatem, quam parte murorum destructa defendere non poterat, deserit. Vacuam Constantinus urbem facillime occupat, brevique collapsa omnia in integrum restituit: abeunteque Ravennam Grippa, cum suis militibus Dalmatiam, Liburniamque omnem in potestatem redegit, hisque finis expeditionis Gothicæ primi anni. Unde Procopius: *Eo loci erant Dalmatiæ, pariter cum hyeme primus annus exiit, hujus belli, quod litteris commisit Procopius.*

23. Ea-

23. Eadem prosperitate qua in Italia Justiniano res cesserant, eadem inquam per Salomonem in Africa contra Mauros pugnatum est. Narrantur hæc profusiori stylo a Procopio, post quæ capite 14., tempus quo ea acciderunt his verbis docet: *Per id tempus hæc in Italia contigerunt. Belisarius adversus Theodatum, & Gothos a Justiniano missus, cum in Siciliam appulisset, eam nullo negotio recepit*, deinde, *Igitur hanc hyemem Syracusis Belisarius egit, Carthagine Salamon.* Quæ deinde tum in Italia, tum in Africa facta sint, sequentibus annis videbimus.

JESU CHR. AN. 535.

Salomonis victoriæ de Mauris.

Procop. de bello Vand. lib. 2. cap. 11. 12. & 13.

24. Hoc tempore Cassiodorus Romani Senatus decus, & ornamentum, cum Romæ sacras litteras, & Theologiæ studia negligi ne dicam sperni videret, apud Agapitum Papam egit, ut in urbe publicæ aperirentur scholæ, in quibus sacræ exponerentur litteræ, quod sane apud tantum Pontificem obtinuisset, nisi tumultus bellici, quibus hoc tempore tota Italia, & urbs ipsa flagravit, impedimento fuissent. *Cum studia secularium litterarum*, inquit, *magno desiderio fervere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se Mundi prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum (fateor) dolore permotus, quod scripturis divinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent. Nisus sum ergo cum Beatissimo Agapito Papa urbis Romæ, ut sicut Alexandriæ multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum ab Hæbreis fertur sedulo exponi, collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholæ potius acciperent christianæ, unde & anima susciperet æternam salutem, & casto & purissimo alloquio fidelium lingua commeretur, sed cum per bella ferventia, & turbulenta nimis in Italico Regno certamina, desiderium meum nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis.* Hæc Cassiodorus in eo laborans, ne urbs, & Italia inter barbaricos tumultus omnino silvesceret, quod etiam Agapitum Papam optasse, utpote in ecclesiasticis disciplinis eruditum, idem auctor testatur. Atque hoc loco cum Baronio adnotare juvabit, illibatam nihilominus in ecclesia Romana catholicam fidem sola traditione servatam fuisse, etsi nulli Romæ litterarum sacrarum expositores essent, qui in scholis publice sacras litteras profiterentur, ut ex hoc magis intelligas puritatem Apostolici fontis Romæ

De aperiendis in urbe scholis Cassiodori sollicitudo.

Cassiod. Præfat. ad libros divin. Instit.

losophia autem tradenda Platonem utplurimum sequebantur, non ita tamen Platonis sententiis addicti, ut nonnumquam ab eo discederent; sicque contentiosum philosophiæ genus abjicientes, nec in verba magistri jurantes, novum quoddam philosophandi genus invenerunt, ut scilicet omissis contentionibus, quæ ex variis philosophorum placitis obviebantur, veritatem sectari profiterentur, quam ex variis philosophorum scholis decerpebant. Unde Electicorum nomen hæc philosophiæ ratio habuit. Hanc philosophiæ tradendæ methodum Ammonius præcipue Sacca secutus est, vir profundi ingenii, ac immensæ eruditionis, ut suo loco diximus. De quo etiam, ejusque philosophandi ratione, plura apud eos, qui de Philosophorum sectis egerunt, videri poterunt. Alexandrina autem schola, quæ apud catholicos inviolata usque ad seculi quinti exitum permanserat, polluta tunc fuit, cum Alexandrina ecclesia Monophitarum hæresi infecta fuit, nam ex Alex. ecclesia in scholam Alexandrinam eadem hæresis translata est. Ceteræ tamen seculares disciplinæ, Jurisprudentia scilicet, Medicina, cultioresque litteræ, magno adhuc plausu, & discipulorum frequentia tradebantur, sicuti aliis in locis, ut Berythi in Phœnicia, CPoli, & Edessæ in Syria, & Athenis, ut Romam prætereamus, ubi Jurisprudentiam, politioresque litteras floruisse, vel ipse Theodosianus Codex testatur. De Nisibena etiam schola, cujus Cassiodorus loco supracitato meminit, & aliis Orientalibus Nisibena, Seleuciensi, ceterisque, quarum opera Nestoriana hæresis inter Orientales diffusa, & propagata est, plura apud Assemannum bibliotheca Orientali Clementino Vaticana tom. 3. part. 2. p. 914. & seqq. videri possunt, ubi summa diligentia & eruditione hæc persequitur. Nisibenæ quoque scholæ hac ætate adhuc florentis meminit Junilius Africanus Episcopus in libro ad Primasium hoc tempore CPoli legatione fungentem his verbis. *Dum te inter alios Episcopos tuos usque CPolim peregrinæ provinciæ coegisset utilitas, & civitatis affectu in notitiam colloquiumque pervenimus. Tu autem more tuo nihil ante quæsisti, quam si quis esset inter Græcos, qui divinorum librorum studio intelligentiaque flagraret. Ad hæc ego respondi, vidisse me quemdam Paulum nomine Persam genere, qui in Syrorum scholas in Nisibi urbe est edoctus, ubi divina lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis Grammatica, & Rhe-*

Jesu Chr. an. 536. *& Rhetorica ordine, & regulariter traditur*. Subjicit his regulas aliquot ab eodem Paulo acceptas, confecitque ex eis librum illum de partibus divinæ legis inscriptum. Ex hactenus autem dictis aperte patet Romæ, aut Bononiæ, vel Parisiis, alibique in Occidente sacras litteras hac ætate in scholis nequaquam traditas, aut expositas fuisse, unde Episcopi sacras litteras utplurimum docebant, aut presbyteros ad id muneris delegabant, qui eorum vices gererent; & catechumenos christianæ religionis mysteriis imbuerent, aut clericis sacram scripturam exponerent, ac ecclesiæ canones, & disciplinam traderent, unde tot sanctissimi Episcopi, non solum pietate, sed doctrina etiam præstantes ex iis scholis prodierunt.

JESU CHRISTI an. 536. Silverii Papæ 1. Justiniani Imp. 10. Vitigis Regis 1.

Agapetus CPire cogitur.

1. Insequens annus 536. absque consulibus signatus legitur postCoss. Belisarii in Oriente, in Occidente vero utplurimum postCoss. Paulini junioris secundo. Quo Theodatus Italiæ Rex, cum Siciliam, atque Dalmatiam, a Romanis occupatam audisset, eosque Romam, vel Ravennam cito adfuturos timeret, ut pacem, quam hactenus a Justiniano obtinere non potuerat, consequeretur, Agapetum Pontificem CPolim legatum abire compulit, ut narrat Liberatus. *Quo tempore Theodatus Rex Gothorum scribens ipsi Papæ, & Senatui Romano (Ravennæ enim degere consuevit) interminatus non solum Senatores, sed & uxores, & filios, filiasque se gladio interempturum, nisi egissent apud Imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoveret. Sed Papa pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est*. Eadem habent Anastasius, & Marcellini continuator. Cumque ad subeundas legationis & itineris expensas, Pontificis ærarium non sufficeret, aurea & argentea Rom. ecclesiæ vasa S. Pontifex oppignoravit, quæ eidem postea gratis sunt reddita, ut Cassiodori epistola Thomati, & Petro Arcariis data testatur. *Retinetis mecum fidelissimi viri*, inquit, *S. Agapetum urbis Romæ Papam, cum ad Orientis Principem legationis gratia mitteretur, jussione Regia datis pignoribus, a vobis tot libras auri facto pictatio solemniter accepisse; ut cui pro-*

Vasa sacra a Pontifice oppignorata reddi jubentur. *Cassiod. var. lib.* 12. *epist.* 20.

providus Dominator jussit, ad subitum ejus etiam urgeret excessum. Primum quidem benigne præstitit, qui in necessitate mutuas pecunias dedit, sed quanto gloriosius fecit, etiam illud largiri, quod cum gratiarum actione potuisset afferri? Victa est sine damno necessitas: manus Papæ dabat, quod ejus substantia non habebat &c. . Deinde post aliqua: *Quapropter nostra præceptione commoniti, & Regia jussione securi, Sanctorum vasa cum obligatione chirographi actoribus sancti Petri Apostoli sine aliqua dilatione refundite; ut lucrose reddita, celeriter impetrata videantur: optata referantur manibus Levitarum ministeria toto orbe narranda: donetur, quod proprium fuit, quoniam juste per largitatem recipit, quod Sacerdos legibus obligavit.*

JESU CHR. AN. 536.

2. Constantinopolim autem pergens Agapetus, dum Græciam pertransiret, mutum & claudum oratione sua sanitati restituit, ut narrat S. Gregorius Papa: *Exigente causa Gothorum, Beatissimus Agapetus hujus sedis sanctæ Romanæ Pontifex, cui, Deo dispensante, deservio, ad Justinianum Principem accessit. Cui adhuc pergenti quadam die in Græciarum jam partibus curandus oblatus est mutus, & claudus, qui neque ulla verba edere, neque ex terra unquam surgere valebat. Cumque hunc propinqui illius flentes obtulissent: vir Domini sollicite requisivit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei ex auctoritate Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit, & Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei Omnipotentis immolavit. Quo peracto, ab Altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente, & aspiciente populo, eum mox e terra in propriis gressibus erexit: cumque ei Dominicum Corpus in os immitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. Mirati omnes, flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illico metus & reverentia invasit, cum videlicet cernerent quid Agapetus facere in virtute Domini ex adjutorio Petri potuisset*. Constantinopolim decimo Kal. Maji. *Ingressus susceptus est cum gloria*, ait Anastasius, seu verius decimo Kal. Martii, nam decimo septimo Kal. Aprilis Justinianus fidei confessionem Agapeto obtulit. Quanto cum honore exceptus ibidem fuerit, narrat Liberatus. Inter cetera, adnotat, quod Justinianus Imperator, ob expensas in paranda Italica expeditione factas, exercitum ab ea revocare noluit.

Mutus & Claudus ab Agapeto sanatur.

Jesu Chr. an. 536.

luit. Petentibus autem Principibus, ut Anthimum in salutatione, & communione susciperet, ille fieri id posse, si se libello probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reverteretur. Augusta vero clam promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns se Sede pulsum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. *Tunc Papa principis favore, Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica Sanctæ Mariæ. Fuit iste Mennas Præpositus Xenodochii majoris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Chalcedonensem Synodum.* Hæc summatim Liberatus, eademque fusiori stylo Anastasius, & Zonaras, qui narrant, muneribus ac minis tentatam fuisse Agapeti constantiam, ut cum Anthimo CPolitano Episcopo communicaret, frustra tamen, cum nulla ratione flecti potuerit, ut cum viro suspectæ fidei communionem haberet, cui tandem Theodora Augusta, & Justinianus ad tempus saltem cessere. In his omnibus Sedis Apostolicæ auctoritas mirifice eluxit, dum tantæ ecclesiæ Patriarcham Anthimum, Justiniani, ac Augustæ Theodoræ favore pollentem, Romanus Pontifex, neque in conspectum admisit, & Episcopatu etiam abdicavit. Quin etiam eo usque Agapeti magnanimitas processit, ut Theodoram Augustam Eutychianæ hæresis suspectam, & hæreticorum societate pollutam, communione privaverit, si Victori Tunonensi fides habenda: *Theodoram Augustam* (ejus patronam Anthimi scilicet) *communione privat*. At hæc quadriennio post idest anno 540. facta sunt.

Justiniani Imp fidei professio Agapeto oblata.

3. Cum vero ob præstitum Anthimo patrocinium Justiniani fama periclitaretur, ac fortasse pluribus in suspicionem venisset, ut hanc a se suspicionem repelleret, seque catholicam fidem profiteri testaretur, fidei suæ professionem Agapeto Rom. Pontifici obtulit, cujus initium est: *Prima salus &c. est rectæ fidei regulam custodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare &c.*. Eaque damnat Eutychetem, Dioscorum, Timotheum Elurum, Petrum Alexandrinum, Gnapheum, Acaciumque aversatur: *Quapropter sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quæ ab ea statuta sunt prædicamus, & profitemur ista inconcusse servari, & compellere ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant Episcopi, ut Sanctissi-*

ctissimi quidem Patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem, Metropolitani vero Patriarchis, & alii ut suis faciant metropolitanis, quatenus per omnia sanctá catholica nostra ecclesia suam habeat firmitatem, oblata est hæc fidei professio CP. 17. Kal. Aprilis postcss. Belisarii VC. Coss. Hæc quidem fidei professio in Labeana editione, aliisque subscripta legebatur 18. *Kal. Aprilis Belisario VC. Coss.*: sed ut notatum a Cardinali Norisio ex Codice Vaticano, & Pagio, legendum 17. Kal. Aprilis, quia 18. Kal. Aprilis, numquam legitur, insuper addendum postcss. Belisarii VC., nam anno superiori 17. Kal. Aprilis, Agapetus nondum in Romanum Pontificem ordinatus erat, multo minus eidem ex Oriente scribere poterat Imperator.

Card. Norif. dissert. de uno in carne passo cap. 10. Pagius not. 5. 6. ann. 535.

4. Eodem modo corrigenda est subscriptio epistolæ Justiniani ad Agapetum datæ triduo ante editam fidei professionem, scilicet pridie iduum Martiarum CP. postcss. Belisarii VC., pro ut in eodem Vaticano Codice legitur. In ea epistola Imperator narrat se edictum publicasse contra Nestorianorum, atque Eutychianorum errores, eaque Agapetum rogat, ut Apostolica auctoritate eadem confirmet. Cujus epistolæ hoc est exordium: *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei, Imperator Flavius Justinianus &c. Ante tempus in hac regia urbe nostra quorumdam de causa fidei extitit morbosa contentio*, (ii erant monachi Acæmetæ) *quam nos congrue respuentes, interposito edicto repressimus. Et quia studii nostri est emergentes hujusmodi causas ad Apostolicæ Sedis vestræ referre judicium, ejusdem fidei, quam sequendam duximus, tenorem epistolæ nostræ insertum, ad beatæ memoriæ Prædecessorem vestrum Joannem per Hypatium, & Demetrium venerabiles Episcopos missa legatione direximus &c.*, ac tandem: *Quamobrem petimus Sanctitatem vestram, ut memoratam epistolam vestra auctoritate firmetis, & Cyrum, vel sequaces ejus, a communione habeatis alienos, donec statutis Sanctitatis vestræ obtemperent* (exemplar subscriptionis) *Divinitas te servet per multos annos Sancte, ac religiosissime Pater: data pridie iduum Martiarum CP. postCoss. Belisarii, ut legendum supra diximus*. His acceptis Agapetus Papa, datis ad Justinianum litteris, quod catholicam ipse fidem amplecteretur, eamque tueretur, gratias egit, ac cum eo gratulatus est, eamdemque fidem ab eo in litteris suis expositam se confirmare testa-

Justiniani ep. ad Agapetum

Card. Norif. dissert. de uno ex Trinitate passo cap. 10.

JESU CHR. AN. 536.

testatur. Ita tamen se recipere addit Imperatorum leges, atque sancita de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, quatenus ea sunt sacris canonibus consentientia, non ut laici hominis docere in Ecclesia præsumentis: *Firmamus*, inquit, *Laudamus, amplectimur; non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium Fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus*. Sicque & in ceteris discas, ita probatas fuisse ab Ecclesia Catholica Justiniani, vel aliorum Principum de rebus Ecclesiasticis editas sanctiones, si eædem sacris canonibus innitantur, eisdemque consentiant: secus si contra; atque hæc Agapeti Pontificis verba, ad reliquas ejusdem Imperatoris editas de rebus ecclesiasticis sanctiones admittendas, vel respuendas, aptari debent.

Ut certus terminus Anthimo præscribatur.

5. Sed ad gesta Agapeti redeamus, qui dum Anthimum Episcopatu CP. abdicavit, quadam in ipsum indulgentia utens, liberum ei reliquit ad Trapezuntinam ecclesiam redire, dummodo catholicam fidem profiteretur. Quam Agapeti erga Anthimum commiserationem ægre ferentes orthodoxi Archimandritæ ecclesiæ CP., in alio libello, quem postea eidem Pontifici hoc anno obtulerunt, ista arctari ad certum tempus petierunt, nempe ut præfinitus illi daretur ad resipiscendum terminus, quo elapso, nullus illi ultra pateret aditus ad priorem Ecclesiam redeundi. Quorum hæc sunt verba: *Non vultis omnimodam ejus perditionem, sed ut convertatur: imitamini enim Christum Deum nostrum, qui venit vocare non justos, sed peccatores ad pœnitentiam: & omnino paternis visceribus suscipitis, si recognoverit proprium peccatum, & convertatur. Adjuramus vestram beatitudinem (licet audax quid faciamus) per sanctam, & consubstantialem Trinitatem, ac per Principem Apostolorum Petrum, ac salutem & victoriam piissimi Imperatoris nostri, non contemnere divinos Canones, qui ab isto peßundantur; neque Ecclesiam ei traditam, quæ ab ipso despicitur, sed sequendo in omnibus eos, qui ante ipsam beatitudinem tuam in Sede vestra claruerunt, facere in ipsum adhuc, & contra auctoritatem Canonum invalescentem, & qui prætulit vitam degere cum hæreticis, quam cum propria Ecclesia; ea quæ Sanctum Cœlestinum contra Nestorium liquet fecisse, assignando ei terminum, sicut & ille Nestorio: intra quem nisi occurrens prædictum libellum Apostolicæ vestræ Sedis*

porre

porrexerit, ac vestræ beatitudini; & Sanctissimo Archiepiscopo Urbis Regiæ, & a morbo hæretico se ipsum liberaverit, ne ad Trapezuntinam Ecclesiam sibi creditam proficiscatur: definite, sanctissime, ipsum alienum esse, & nudum ab omni Pontificali dignitate atque efficacia, & se ipsum submittere condemnationi prædictorum hæreticorum, & partem illorum accepisse; alterum vero pro isto Ecclesiæ Trapezuntinæ ordinandum esse. Hæc ipsi ad Agapetum, eo quod mitius visum esset eum cum Anthimo hæretico egisse. JESU CHR. AN. 536.

6. Quominus autem Anthimus oblata a Romano Pontifice uteretur indulgentia, obstitit Severus hæreticorum antesignanus, qui tum CP. morabatur; ipse enim Anthimo persuasit melius fore sede carere, quam Chalcedonense concilium profiteri, ut testatur Evagrius, qui ante oculos habuit Severi epistolam ad Theodosium Alexandrinum Episcopum hæreticum, ubi addit, quod cum sede se pulsum videret, ipse Anthimus honoris insignia Principibus reddidit: *Anthimus vero videns se sede pulsum, pallium, quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur.* Agapetus vero Papa Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans cum manu sua in basilica S. Mariæ, & quidem die 3. idus Martias, ut legitur in Codice bibliothecæ Vaticanæ num. 4961., quem Marcellus Papa secundus, cum Eugubinam ecclesiam administraret, a monachis S. Crucis fontis Avellanæ acceptum, Vaticanæ Bibliothecæ donavit. In eo epistolæ 243. Pontificum Rom. a Siricio usque ad Vigilium, ac quorumdam etiam Imperatorum, Præfectorum urbis, ac Præsidum una cum gestis plerisque ecclesiasticis leguntur, quæ præclarissima monumenta suis annalibus Baronius inseruit. Quo in Codice pag. 45. hæc leguntur, de die quo ordinatus est Mennas: *Exemplar libelli Mennæ presbyteri ac Xenodochii, qui factus est Episcopus Constantinopolitanus sub die III. idus Martias, iterum postCss. Paulini junioris VC.*, quibus ex verbis Card. Norisius conjicit Mennam hoc anno die XIII. Martii ordinatum fuisse Patriarcham CP., cumque is dies cum feria quinta concurreret, observat Græcos Episcopos solitos fuisse aliis diebus præter Dominicam ordinationes agere. Mennas porro, *vir summæ pietatis erat, Alexandrinus patria, & illustri genere ortus, litterarum non expers, sacrarum maxime.* Presbyteri munere tum fungebatur, & Xenodo- Mennæ CP. Episcopi elogium.

JESU CHR. AN. 536. *Liberat. Breviar. ut supra Biblioth. Vat. num. 1548.*

nodochii præfectura: *Fuit iste Mennas præpositus Xenodochii majoris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, suscipiens Chalcedonensem synodum*, qui tempore susceptæ ordinationis libellum fidei suæ Agapeto Pontifici ordinatori suo obtulit, ut diximus ex Anonymo scriptore, quem ex Vaticana Bibliotheca Baronius annalibus inseruit, qui de Agapeti Constantinopoli gestis, deque ejus morte, & funere, hæc adnotat. *Anno ædificationis Romanæ ecclesiæ Quadringentesimo nonagesimo*. Hic modus numerandi annos a fundatione Rom. ecclesiæ apud nonnullos in latina ecclesia in usu fuit, antequam Dionysiana æra in usum veniret, unde hic auctor & antiquum, & latinum se fuisse prodit, initiumque Romanæ ecclesiæ cum anno Dionysiano 47. copulat, quo Petrus Romam venit ex communi eruditorum sententia; sed narrationem prosequamur. *Agapetus qui primæ sedis Antistes fuit, a Theodato Gothorum Rege nequissimo, ob postulandum a Justiniano Augusto pacem CP. venit. Confestim uterque, Rex* (Imperator scilicet) *& Pontifex sancta delibans oscula, & alter alterum veneratus, diem duxere in vesperam, legationis dumtaxat pace negata. At vero Agapetus juxta præceptum Petri, universis profuturus Ecclesiis, quæ per idem tempus omnes in se inclinatæ recumbebant, in ipsarum se necessitatem convertit, columnamque se suffulsit immobilem*. Etenim (ut dictum est) ubi Constantinopolim venit, plures de turbato statu Ecclesiarum ei libelli oblati sunt; petentes omnes ab ipso, cui universalis gregis cura in Petro credita fuit, cui & dictum est: *Confirma fratres tuos*, ut auxilium ferret: *Hactenus* (subdit auctor) *Romanum Pontificem Constantinopolim advenisse dicam, Epiphanio siquidem vigesimo regiæ urbis Episcopo vita defuncto*. Ita quidem a Metrophane numerans Episcopos CP: a tempore, quo Constantinus eam urbem Imperii metropolim destinavit; ceterum multi Episcopi Metrophanem præcesserant, quos Nicephorus CP. Episcopus numerat in suo catalogo, sed Anonymus 20. tantum meminit, qui eam sedem occuparunt, ex quo urbs Regia effecta fuerat. *Pergit vero Anthimus, qui relicto dudum apud Trapezuntium civitatem Episcopatu, Constantinopolim venerat, vitamque suam jejuniis commendabat, sive Patrum decreto, sive Augusti favore, sive procerum voto, hæreticorum pecuniis, & seditiosorum turbis fretus, in Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedem irruit impro-*

Chronologia ab origine Rom. ecclesiæ

improvisus adulter invasit, & Apostolicum thronum, ingemiscente clero, populoque ad Cœlum oculos referente, homo inimicus insedit, atque cunctis ceteris insaniam suam tacitus terminavit, stipem egenis simoniaco ritu disseminans. Talem hunc Ecclesiæ adulterum, & populi seductorem, Agapitus Papa sine ullis morarum obstaculis Ecclesia expulit, & pœnitentiæ eidem tempus indixit: quod cum sine mora repelleret, & antiquam Ecclesiam quam reliquerat, reprobaret, perfidiamque suam alta mente reponeret; Papæ Agapiti voce, & canonica secure percussus est; complicesque ejus Severus, & Petrus, Antiochenæ & Apamenæ Civitatum quomdam Episcopi de exilio in exilium deportati; Zoaras quoque presbyter, eorumque sequax Apostolica voce ligatus est. Insuper Agapitus, *sacra altaris, sedisque velamina sacrilegi Anthimi infecta flatibus, suis catholicis precibus eluit*. Citantur hæc verba a Gratiano ad probandum antiquum Ecclesiæ ritum, quo ostenderet catholicam Ecclesiam semper exhorruisse, quæ sunt hæreticorum, non solum ipsas Ecclesias, sed omnia ipsarum utensilia; nec illis absque expiatione sacra uti solere. Sed pergit: *Omnesque templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis orthodoxis obsecrationibus expiavit, mercenario lupoque ovium a Dominica caula detruso extra Ecclesiæ parietes. Ecclesiarum ministri, catholico Principe sibimet arridente, consilium unanimes ineunt, Agapito Præsuli Mennam Presbyterum ordinandum sibi Episcopum suis vocibus commendantes, in medium proferunt. Agapitus Papa libellum ejus instar fidei suæ manu propria editum flagitat*, quam fidei confessionem, cum Mennas obtulisset, ac catholicum se probasset, ab eodem Agapeto Papa CP. Episcopus est ordinatus.

De consecr. dist. 1. c. 23.

8. Expulso jam e Constantinopolitana ecclesia Anthimo, atque Menna subrogato, Encyclicas suas Agapetus in Orientem misit, quibus Orientales Episcopos, de Anthimi depositione, & Mennæ subrogatione certiores reddidit. Extat epistola ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum lecta in synodo CP. sub Menna, qua post præfationem narrat: *Cum pervenimus ad comitatum serenissimi nostri Imperatoris filii nostri, invenimus Sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ contra omnem canonum honestatem ab Anthimo Ecclesiæ Trapezuntinorum Episcopo inconvenienter usurpatam, cujus animam non solum secundum istam partem, sed quod majus est, in confessione*

Epistola encyclica Agapeti ad Petrum.

JESU CHR. AN. 536. *veræ fidei a perditione reducere desideravimus: Sed Eutychis errori insistens ad viam veritatis venire contempsit. Unde cum ipsius in fide pœnitentiam isto modo expetemus, neque catholico, neque sacro nomine dignum esse sententiavimus, donec omnia a patribus tradita, per quæ veræ religionis fides, & disciplina custoditur, secundum congruentem satisfactionem suscipiat. Cæteros vero similis contumaciæ ipsius, & sententia Apostolicæ Sedis condemnatos, similiter caritas vestra aversetur, quorum ipse se ipsum participem fecit. Constantinopolitanæ vero Sedis injuriam, Apostolica auctoritate adjuvante, & adjutorio fidelissimorum Imperatorum emendabimus &c.*. De Mennæ autem ordinatione, post aliqua subdit: *Significo, quod Mennam*

Mennæ encomium. *fratrem, & Coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia Episcopum suscepit: cui licet præter cæteros serenissimorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius cleri, ac populi consensus accessit, ut a singulis eligi crederetur. Etenim alicui neque scientia, neque vita fuit ignotus, sed & fidei integritate, & sacrarum scripturarum studio, atque etiam piæ administrationis officio sic prædicta viri opinio resplenduit, ut ipse tardius venire videretur, quo dignus habitus erat &c.*. His

Bar. num. 31. enarratis lectorem admonet Baronius, ut aliquantisper hæc attentius consideret. Quis enim non mirabitur, dum videt Romanum Pontificem, quem furor barbaricus nomine pacis ab Urbe removet, ut Constantinopolim ad Imperatorem supplex accedat, eumdemque ipsum egentem, mutua collecta ex sacrorum vasorum oppignoratione pecunia; ubi Constantinopolim venit, imperare Imperatoribus, exigereque debitum fidei, & perperam ab illis facta rescindere, & quam cum ipsi, tum Orientales Episcopi probassent, Anthimi ordinationem irritam reddere, eumque e sublimi, quem conscenderat, throno deponere, jura dare, omnibusque jubere, litterasque publicas scribere, ejusque successorem deligere & ordinare; hæcque omnia (ut dictum est) absque coacto ullo Synodali conventu: cum antea in simili causa Cœlestinus Papa ejusdem Ecclesiæ Pontificem deponendum Nestorium scripserit, & per Theodosium Imperatorem ea de re non provinciale dumtaxat, sed Œcumenicum Ephesi concilium convocandum curarit? Quibus intelligas majori tunc niti solere auctoritate Apostolicæ Sedis Antistitem, quando magis ea vide-

videtur oppressa; quod certo sciat omnia illi cedere opus esse, si ea uti velit. In quibus & commendes Justiniani Imp. moderationem, animique demissionem, utpote qui mari terraque victor, barbarorumque domitor, ab uno Rom. Pontifice vinci patiatur, accipiatque ab ipso leges, qui Romanis ac barbaris leges sanciebat, & exercitibus imperaret. Sed jam, quæ reliqua sunt rerum gestarum Agapeti Pontificis Constantinopoli, prosequamur.

Jesu Chr. an. 536.

Basnagii nota refellitur. *Basnag. annal ann. 536. num. 13.*

9. Cum hæc gesta, quæ Romani Pontificis in tota ecclesia Primatum sole clarius ostendunt, narrat Basnagius, lectorem admonet, ne credat hæc pro summa, qua Agapetus potestate fruebatur, facta fuisse, quia inquit *paria & alii fecere; a Theophilo Alexandrino Crisosthomus, a Dioscoro Anatolius CP. Præsul creatus fuerat, Calendionem Antiochenum ordinarat Acacius*. Sed quid hæc exempla cum gestis ab Agapeto commune habent? Quid Anthimi depositio cum Crisosthomi exauctoratione? certe a Theophilo contra S. Crisosthomum gesta in exemplum adducere, nil aliud est, quam lucem æquiparare tenebris. Quis enim ignorat per summam injuriam, per nefas ea in Crisosthomum tentata fuisse, Theophilus tamen eum deponere non præsumpsit, sed convocato concilio perfecit, ut si justitia deesset, saltem juris forma servaretur? Insuper a Theophilo ejusque concilio contra Crisosthomum acta, totius orbis consensu irrita fuerunt. At ab Agapeto contra Anthimum gesta, ab omnibus summa veneratione probata sunt. Quæ vero ibidem addit, de ordinatione Anatolii per Dioscorum, vel Calendionis per Acacium, toto Cœlo a gestis Agapeti distant; illæ etenim ordinationes, nonnisi coacto Concilio, & cum Orientalium consensu ab Episcopis facta sunt: econtra Agapetus Pontifex, pro summa potestate, qua in ecclesia Primatum obtinet, Anthimum sede sua dejecit, ac Mennam subrogavit, & qui hæc tam clara non vident, cimeriis tenebris teneri dicendum est. Sed historiam prosequimur.

Severus ab Agapeto excommunicatus.

10. Eamdem cum Anthimo CP. Episcopo excommunicationis sententiam subiit Severus Antiochenus Episcopus, aliique ejusdem Eutychianæ hæresis patroni, inter eos Petrus Zoaras, & Isacius Persa. Statim enim ac Anthimus Constantinopolitanam sedem obtinuerat, Severus, qui Justini tempore Antiochena sede pulsus delituerat, sedis suæ recupe-

JESU CHR. AN. 536. Evag. lib. 4. cap. 11.

randæ spe illectus, CPolim transierat, ut Theodoræ Augustæ, & Anthimi patrocinio, in suam ecclesiam redire posset: *Extant*, inquit Evagrius, *adhuc epistolæ Severi ad Justinianum, & Theodoram scriptæ, ex quibus intelligi potest, eum ab initio, postquam sedem Episcopatus Antiocheni deseruerat, iter suum Constantinopolim versus distulisse, postea tamen eo se contulisse*. Sed dum inimici homines in ecclesiæ agrum supra bonum semen zizaniam disseminassent, eaque eousque crevisset, ut bonum semen catholicæ fidei suffocare videretur, orthodoxi Antistites CP. tum degentes, tantam impietatem grassari ægre ferentes, libellum obtulerunt Agapeto Romano Pontifici contra impietatis antesignanos, Severum, Petrum, Zoaram, atque Isacium Persam, quo hæc habent: *Domino nostro per omnia Sanctissimo, ac Beatissimo Patri Patrum, Archiepiscopo Romanorum & Patriarchæ Agapeto, ab Episcopis Orientalis Diœcesis, & ab his qui sunt sub sanctis locis Christi Dei nostri, nec non Ambasciatoribus, & ceteris clericis in hac regia urbe congregatis &c.*, ac se quatuor Œcumenica concilia Nicænum scilicet, CPolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense recipere, & cum Justiniano Imp. venerari testantur. Eamque ob causam Anthimum, qui propria relicta ecclesia CPolitanam sedem contra divinos canones invadere ausus fuerat, se dejecisse narrant, unaque cum ipso impium Severum, Zoaram, Isacium, Petrum, ceterosque impietatis ejusdem participes, quorum etiam errores, & scelera longa oratione exponunt, se condemnasse addunt, atque ut eorum sententiam confirmare dignaretur enixe exorant, ut ibidem videre est.

Tom. 5. concil. pag. Libellus Orientalium ad Agapetum.

Libellus Monachorum oblatus Agapeto

11. His subjicitur in actis subscriptio Episcoporum Secundæ Syriæ, qui eam dederunt epistolam, primoque loco positus Thalassius Episcopus Berytorum. At non ii tantum, sed alii etiam qui erant CPoli Episcopi & Archimandritæ orthodoxi itidem libellum obtulerunt eidem Pontifici Agapeto, qui & ipse pariter habetur intextus primæ actioni ejusdem Synodi; hic vero ob multa notatu digna in eo posita recitandus est: in primis enim quam deploratissimus esset hujus temporis Ecclesiæ status, cum adeo ubique in Oriente hæretici invalescerent, ostendit: *Domino nostro Sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ, & œcumenico Patriarchæ Agapeto, Marianus presbyter, & Primas monasteriorum regiæ*

regiæ urbis, & cæteri Archimandritæ ejusdem, & Archimandritæ, ac monachi Hierosolymorum, ac Orientales in eadem Synodo congregati. Eos qui Sanctas Dei Ecclesias opprimunt considerantes, & inimicos Dei quotidie adversus eam scribere conspicientes, lamentationes Sancti Gregorii in proœmium facimus opportune ad vestram beatitudinem, dicentes: Visa est cura Dei penitus dereliquisse præsentem vitam, quæ temporibus ante nos Ecclesiam custodiebat. Habet enim hæc Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Nectarium Constantinopolitanum Episcopum data, ipso ejus exordio, cum dolet Constantinopolitanam Ecclesiam a se derelictam, diversorum commercio hæreticorum labefactari. Sed pergunt: *Et jam tantum cujuslibet anima immersa est calamitatibus, ut quidem proprios dolores vitæ nostræ non in malis esse putetur. Tot & tanta sunt communia mala Ecclesiarum ad singula respiciendo, quorum nisi aliqua in præsenti tempore fieret diligentia ad reformationem, ad omnimodam desperationis confusionem paulatim perveniretur. Cum multis itaque modis jam hæc enarraverimus, non minus vero & nunc magnas, & incredibiles insidias adversus Dei Ecclesiam factas multiplicavimus. Schismatici, & Acephali, qui a furia Dioscori, & Eutychetis descenderunt (nescimus quis eos ad amentiam moverit) qui veluti quadam audacia freti, suo proprio morbo triumphant, synagogas facientes & parabaptismata innovantes, & tamquam ex eversione hoc facientes, & nomen Episcoporum sibi ipsis in nostris diffamantes, aperte ingruescunt, & licenter omnia audent non contra Ecclesias solum, sed etiam contra ipsum piissimum Imperatorem nostrum, & vestrum honorabile caput, sicut tanta prædictorum insania vestræ beatitudini manifesta fuit.* Admiratione quidem dignum est, sub Imperatore Catholico leges quotidie adversus hæreticos sanciente, & pro fide recta patrocinium suscipiente, adeo coaluisse, invaluisseque in Oriente, ac potissimum ubi ipse Imperator erat, Constantinopoli, nefandos hæreticos, ut Catholici qui ibi erant (ut audis) tentati supra modum (ut ita dicam cum Apostolo) & ultra vires, in ultimam pene desperationem videri possent adducti. Sed unde malorum omnium in mundum olim fluxit origo, ex eodem fonte Diabolus modo tot damna in Ecclesiam derivavit, eosdem aliquando obstructos reserans aquæductus per malam feminam, utpote qui sciret, potentiori

JESU CHR. AN. 536.

Greg. Nazian. ad Nectarium.

2. Cor. 1.

Jesu Chr. An. 536.

Theodora Augusta cladem infert Eccl.

tiori nullo uti posse ad Ecclesiam demoliendum ariete, adhidens ad hoc ipsam impiam sæpe dictam Theodoram Augustam Severi discipulam, cujus arte, fraude, dolisque femineo ingenio comparatis, omnes leges in hæreticos latæ pressæ, faucibus strangulantur, ut sileant, cum & loquaces hæreses revivifcunt, atque hæretici majori audacia, spreta etiam Imperatoria Majestate, clamantes insurgunt. Ita plane secundum illud Ecclesiastici: *Unus ædificans, & unus destruens: quid prodest illis nisi labor? Unus orans, & unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* Sic igitur, quæ Justinianus Imperator sanctis legibus erigebat, impia femina occultis machinis destruebat; & quam ille voce, scriptoque sæpe professus est singulis ferme annis catholicam fidem, ista consueta perfidia abolere fategit. At non puto tanta ista jam in foris, atque triviis ubique vulgata, lacrymis, & lamentis catholicorum deplorata, altioribus (ut vides) dolentium declarata clamoribus, atque libellis scriptis toties ob oculos repræsentata, Justinianum Imperatorem latere penitus potuisse. Sed quid? Frangit Adam Eva, & Dalila Samsonem enervat, ut illi ipse licet non seductus, sed turpiter emollitus acquiescat, atque incaute caput in ejus sinum somno pressus inclinet. His subdunt monachi, quam contumeliosi facti sint hæretici in ipsa etiam primaria Imperii civitate ubi degebat Imperator, & quo tandem procaciæ venerint, ut in ejusdem Imperatoris imaginem insanierint; ut ibidem narrant his verbis: *Quoniam igitur ex hac causa in multas domos eorum, qui in excellentia sunt, intrant, & indecentia faciunt, captivantes mulierculas quasdam peccatis oneratas, quæ variis ducuntur desideriis, & semper addiscunt, & numquam ad cognitionem veritatis venire possunt: verum etiam in ipsis propriis domibus & suburbiis altaria, & baptisteria erigunt in oppositum veri altaris, & sancti fontis: & omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium ab his, qui in domo Domini, & aliquo alio modo potentes sunt.* Et procul dubio ista dicentes, significant, non ipsam unam dumtaxat Theodoram Augustam infectam Severi peste, sed alios ejusdem civitatis Optimates, eorumque conjuges eodem morbo pessime laborasse. Quod enim cuncta Theodoræ arbitrio volvi perspicerent, & hac ex parte prorsus imbellem esse nossent Imperatorem, cum minime repugnaret uxori; non damnum

Optimatum plures Heresi inquinati.

& pœ-

& pœnam timebant, sed gratiam se esse sperabant consecuturos, dum faverent hæreticis, quibus Augustam studere sciebant. Hæc igitur sanctissimæ fidei confessores monachi deplorantes, eumdem Agapetum Pontificem una simul interpellaverunt his verbis: *Nolite pati, beatissime, non uti solita fiducia ad reformandum tantum malum, sed sicut prius contra Anthimum insurrexistis, & lupum qui conabatur cooperiri per pellem ovis, & transcendere ostium Ecclesiasticorum ordinum, sanctionum, & canonum, & qui latrocinanter mandram ovium transcenderat pelle denudastis, & ipsummet demonstrastis, & procul a mandra expulistis: sic & nunc iterum vigilate, & ostendite piissimo Imperatori nostro, quod nullum lucrum exierit (ut inquit divinus Gregorius) studio reliquo suo circa Ecclesias, si tale malum in destructione sanæ fidei, per ipsorum fiduciam prævalebit, & permittantur adhuc isti ad corruptionem Ecclesiæ nidificare in domibus dominorum, & in propriis, & iniqua in ipsis facere.* Sed sicuti Simonem in altum se extollentem Petrus dejecerat, ita Agapetum rogant, ut Severum, Petrum, & Zoaram, eosque, qui cum eis communicant, eosque patrocinio fovebant, dejicere vellet, ac ab ecclesiis expelleret.

JESU CHR. AN. 536. De fugandis a civitate hæreticis.

12. His gestis Agapetus e vita migravit, tamquam opere expleto vocatus ad prœmium: *His peractis*, ait Liberatus, *constituens Papa apud Imperatorem Apocrisarium ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit.* Ejusdem mortem, & funus prosequitur Anonymus a Baronio editus, qui hæc habet: *Quis enim potuit siccis oculis Agapetum narrare morientem? Incidit in gravissimam valetudinem: immo quod optabat invenit, ut nos desereret, & temporum malis mox subsequentibus careret, & Domino plenius cum sanctis Patribus jungeretur. Defecerat spiritus, & anhelans in morte, anima erumpere gestiebat, ipsumque stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat. Necdum spiritum exhalaverat, necdum debitam Christo reddiderat animam, & jam fama volans tanti prænuncia luctus, totius orbis populos, quibus civitas repleta erat, ad exequias convocabat. Aderant diversarum Provinciarum numerosi Episcopi, & Sacerdotum, monachorumque chori pene urbem repleverant. Tota ad funus ejus Byzantium turba convenit: sacrilegium putabat, qui non tali Pon-*

Agapeti Papæ obitus. *Liberat. in breviar. c. 12.*

JESU CHR. AN. 536. *Pontifici ultimum reddidisset officium: sonabant psalmi, & excelsa tecta domorum roboans in sublime Alleluja quatiebat.* Locus iste ex epistola S. Hieronymi ad Aletium de funere Ruffinæ scripta desumptus, indicat auctorem fuisse latinum, atque latine scripsisse, qui pergit: *Hinc Juvenum cohors, hinc senum videres. Quæ carmina, laudes sacerdotales, & facta feruntur? Nemo quandoque totius orbis, vel Episcoporum, vel Imperatorem vita defunctus, inter tantas exequiarum copias funeratus visus est. Explorate procedentium & catervatim exequiis ejus multitudinem fluctuantem, non plateæ, non porticus, non eminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in unum populos urbs regia prospexit: favebant omnes sibi in gloriam defuncti sacerdotis. Nec mirum, si de ejus fide homines exultarent, de cujus prædicatione Angeli lætabantur in Cælo. Quodque mirum fit, nihil pallor mutarat in facie, sed ita dignitas quædam, & gravitas ejus ora compleverat, ut eum non mortuum, sed dormientem putarent.* Hucusque ibi, sed nonnulla deesse videntur. Impendit Oriens vivo, impendit & mortuo Agapeto, quæ tantum decere sciret Romanum Pontificem, orbis totius Antistitem: dum quam debuit eidem superstiti obedientiam exhibuit & observantiam, defuncto autem ut patri omnium parentavit. Quod vero ad tempus quo obiit spectat, etsi dies ignoretur, certum tamen est initio Aprilis obiisse: alii quidem die 2., alii 6., postquam sedisset mensem decem, & aliquot dies, & die 2. Maji vivere certo desierat, cum a synodo CP. habita *sanctæ memoriæ vir dicatur, cujus corpus in loculo plumbeo translatum est Romam usque ad basilicam B. Petri Apostoli, ubi & sepultus est 12. Kal. Octob.*, ut habet Anastasius, quo die ab ecclesia ejus memoria recolitur. At hic finis esto historiæ rerum ab eo gestarum, cui haud scio, ait Baronius, an similis alius inveniri possit, qui adeo brevi temporis spatio ecclesiæ catholicæ præsidens, talia, tantaque perfecerit, cujusque sint amplissima æque apud Occidentales, quam Orientales conclamata præconia, quique ex hac vita discedens, cunctis fidelibus maximum sui desiderium reliquerit.

De sumptuoso funere Agapeti.

13. Jam vero quæ post Agapeti decessum, antequam successor crearetur, facta sint Constantinopoli, hic enarremus. Aderant illic adhuc Apostolicæ Sedis legati illi, quos idem Pontifex (ut dictum est) præmiserat anno superiori ad res com-

componendas Constantinopolim, quos moriens nulla imminutos potestate reliquit. His autem ea potissimum cura fuit, ut quæ ab eodem Agapeto vivente constituta fuerant, nullo hæreticorum labefactarentur insultu, sed sarta tecta, atque in omnibus illibata, & integra permanerent: cujus rei causa suis ipsorum verbis, ut Orientales etiam Episcopi, cunctis subscriberent, ipsis in consilio fuit, atque in eamdem sententiam Mennam adduxerunt Constantinopolitanum Episcopum. Sic igitur pari consensu Synodum in eadem civitate ex vicinioribus Episcopis, & iis qui Constantinopoli morabantur, colligere quantocyus decreverunt, antequam rursus insurgerent potentia freti Imperatricis depositi nuper hæretici, qui fuerant Pontificia Agapeti auctoritate compressi. Pollebat ad hæc agenda viribus Mennas, utpote qui non legatorum tantum muniebatur auctoritate, sed & ipse præpotens erat vicaria Sedis Apostolicæ præfectura, qua ab eodem Rom. Pontifice adhuc vivente insignitus fuerat, prout ejusdem Synodi acta, de quibus sumus dicturi, declarant. Hinc evenit, ut, qui ex hac vita ad æternam migraverat Agapetus, vivere visus est in legatis, superstesque in vicario Menna Constantinopoli adhuc post obitum permanere. Horum opera atque labore, hoc anno, die secunda Maji, celebrari cœpta est dicta Synodus Constantinopoli, præsidentibus cum Menna Apost. Sedis legatis. Extant ejus Synodi acta recitata in Concilio Hierosolymitano, hoc item anno die XIX. Septembris habito, ubi hæc de ipsa Synodo Constantinopoli dicta die celebrata leguntur, quibus tempus, & personæ, quæ interfuerunt, describuntur, atque ita exordiuntur. *Post Consulatum Flavii Belisarii viri clarissimi, sexto Nonas Majas, Indictione decima quarta, in Deo amantissima & Imperiali Civitate Constantinopoli nova Roma, præsidente Domino nostro sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo, & Patriarcha Menna in Mesaulio Diitico venerabilis Domus dominæ nostræ Sanctæ, & gloriosæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, quæ est prope sanctissimam magnam Ecclesiam. Et a dextra quidem parte considentibus juxta pium jussum Christo amantissimi, & a Deo custoditi Imperatoris nostri Justiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis Sabino Canusino, Epiphanio Esculano, Asterio Salernitano, Rustico Fæsulano, Leone Nolano, omnibus ex Italiæ regione prius quidem missis a Sede Apostolica.* Et aliis

Jesu Chr. an. 536. ibi recitatis Episcopis omnibus 50. numero; post quorum nomina recensita, novissime recitantur, qui eodem ordine subscripsisse reperiuntur. Theophanes, atque Pelagius S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi cum dictis Episcopis eodem munere Apostolicæ legationis fungentibus, una cum aliis Menna scilicet, & Petro Apostolicæ Sedis Notariis, ac Subdiaconibus, & procuratoribus, ac ceteris qui aderant ejusdem Apostolicæ Sedis Clericis: interfuerunt legati quoque ab Antiocheno Patriarcha Ephræmio, nec non alii a Petro Episcopo Ecclesiæ Hierosolymitanæ, itemque Cæsarea Capadociæ, Ancyra, & ab aliis locis missi. Cum autem in Diitico synodus celebrata fuerit, putat Baronius, in Diitico idem esse, ac monasterio Sancti Dii celeberrimi Archimandritæ, cujus memoria Martyrologio Romano recensetur die 8. Februarii, verum ea habita est, ut interpretatur Valesius in notis ad caput 3. lib. 4. Evagrii, in Occidentali atrio Venerabilis ædis Beatæ Mariæ Virginis.

De prima Synodi actione. 14. Considentibus itaque Episcopis, lectus est libellus antea Imperatori Justiniano ab orthodoxis Archimandritis Constantinopolitanæ Urbis, & aliis Syriæ inferioris oblatus, qui etiam (ut nuper vidimus) alium Agapeto Papæ dedere libellum eodem argumento conscriptum, quibus omnibus petebant damnatos hæreticos procul expelli. His gestis, rursum legi eorumdem libellum datum Agapeto Papæ, Patres jusserunt, quo (ut dictum est) damnatos hæreticos non amplius audiri, sed procul relegari petebant; nec non alium eidem prius oblatum Pontifici, & scriptam ab eo epistolam ad Petrum Hierosolymorum Episcopum. His lectis, interlocutus Mennas, dixit conveniendum esse, & explorandum Anthimum, si resipiscere ab errore vellet, nec ne, ut si minus id faceret, expelli posset, hac usus benignitate ex voluntate (ut testatus est) Agapeti Papæ. Missique sunt ex Synodo ad eum accersendum tres Metropolitani Episcopi, duo Presbyteri, totidem Diaconi. Sicque finis impositus est primæ

Secunda actio actioni. Secundo convenerunt iidem Sanctissimi Patres Nonis Maji, sive (ut alia lectio habet) pridie nonas ejusdem. Tunc, qui missi fuerant, retulerunt se Anthimum quæsivisse, at non invenisse. His auditis, placuit Synodo rursum aliorum trium dierum terminum ad resipiscendum illi tribuere, cujus rei gratia alii legati sunt Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi,

qui

qui eum quærerent, atque hæc tantum in hac ſecunda ſeſſione geſta ſunt. Poſt hæc ſtatuta die rurſum ad Synodum Epiſcopi convenere ſexto Idus Maii: ubi vocatis, qui ad inquirendum Anthimum miſſi fuerant, iiſque teſtantibus majori cum diligentia perquiſitum non inveniſſe; interlocutus Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus una cum ſancta Synodo, tertia adhuc Anthimo ad reſipiſcendum dilatio conceſſa eſt, miſſique ſunt iterum totidem Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi, prorogato decem dierum ſpatio ad pœnitentiam Anthimo. Sed quid prætcrea a Patribus additum, ex actis iiſdem accipe quod interlocutus eſt Mennas, & univerſa Synodus poſt conceſſum decem dierum Anthimo ſpatium: *Et pro tollendo omnem ignorantiæ, ſeu (quod verius eſt) diſſimulationis occaſionem, ſlent, quæ a nobis ſententiata fuerint, manifeſta toti Chriſtianiſſimo populo hujus regiæ Civitatis, & proclamatio apponetur continens inquiſitionem eſſe factam ſuper Anthimum, & ipſum hortans ſero venire ad nos.* His dictis clauſa eſt tertia Synodi hujus actio, atque ipſa proclamatio lecta eſt in quarta Seſſione.

Jesu Chr. an. 536. Tertia actio. Ibid. act. 3.

15. Duodecimo etiam Kalendas Junii, eodem anno, & indictione, iterum convenere Patres: ubi auditis Epiſcopis, & aliis qui ad perquirendum Anthimum miſſi fuerant, cum nuſquam eum eſſe inventum, ſingulorum relatione innotuiſſet; tum Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad Anthimum proclamationem directam publice legi juſſit, quæ ſic ſe habet: *Mennas Archiepiſcopus Conſtantinopolis Romæ, & Oecumenicus Patriarcha, & tota Synodus, in ipſa Deo amata Roma Conſtantinopoli congregata, Anthimo venerabili. Siquidem aliqua ratio conveniens tibi fuiſſet, & ſpes pœnitentiæ de peccatis commiſſis, nihil certe opus fuiſſet præſentium proclamationum, ſed olim ſanctæ memoriæ Agapito Papæ antiquæ Romæ manifeſtam feciſti opinionem tuam, & jam in ipſis reprehenſibilibus dogmatibus incuſationem emeruiſti, cum Pontifex Trapezuntinus eſſes, ſed neque inquiſitionem illius ſuſtinuiſti, & cum a nobis tanto tempore ad pœnitentiam evocatus fueris, non moderatior te ipſo factus es, & inobedientiam tuam meliorem ſacerdotali humanitate, ſicut viſum eſt, oſtendiſti. Et quidem quæ a te geſta ſunt, nulla venia digna ſunt: verumtamen adhuc hominum lubrico peccata adſcribendo, & clementiam uſque ad multum tempus erga eos, qui pecca-*

Quarta actio. Proclamatio ad Anthimum

Jesu Chr. An. 536.

peccaverunt, & occasionem emendationis, licet tarde, sæpius factam invenientes, præsenti littera te provocamus admonentes tuam venerabilitatem, non stare in ipsa contentione usque ad finem, & venire ad sanctam synodum intra numerum sex dierum, & opinionem quam in rectis dogmatibus adeptus es, pura voce ostendere, palamque facere universis aliis, quanta potest ad revocationem hic, qui lapsi sunt, patrum nitidissimorum, & judicum clementissimorum admonitio. Si vero & hanc nostram vocationem despexeris, tibi de cætero non in tempore locus pœnitentiæ erit, nobis etiam non aliunde, quam ex his quæ fecisti, ea quæ judicii sunt, inducentur. Subsignavit. Proposita Mensis Maii die quintadecima, Indictione quartadecima, post Consulatum Flavii Belisarii viri clarissimi. Hactenus ad Anthimum captantem latebras proclamatio. Termino autem præscripto jam elapso, in eumdem Anthimum sententia lata est, immo pronunciata antea ab Agapeto Papa firmata, ac eum tamquam Eutychianæ hæresis patrocinatorem Episcopali honore excidisse, juxta Agapeti sententiam narrant, ut ibidem videre est. Post hæc, cum multa adversus Anthimum dixisset Mennas, ac in eum sententiam tulisset, lectæ sunt acclamationes Episcoporum, clericorum, & monachorum, ac ut adversus collegas Anthimi, Severum, Petrum, atque Zoaram, jam ab Agapeto Papa prædamnatos, eadem sententia diceretur, Episcopi, & monachi congregati rogarunt.

Causam dilationis affert Mennas.

16. His autem dictis, Mennas dilationem petiit his verbis. *Putamus, charissimi, vestram pietatem non ignorare voluntatem & zelum pii Imperatoris nostri, quem habet ad orthodoxam fidem nostram, & nihil eorum, quæ in sanctissima Ecclesia moventur, convenit fieri præter opinionem & jussum ipsius. Rogamus itaque vestram charitatem in præsentiarum acquiescere, ut nos tempus accipiamus adducere ad pias suas aures ea, quæ a vobis exclamata fuerunt.* Hæc ipse dicens, ne de Imperatoris voluntate nimis profuse locutus esse videri posset, addit: *Nos enim (sicut scit vestra charitas) Apostolicam Sedem sequimur, & ei obedimus.* Quod igitur ad Imperatorem se dictorum hæreticorum causam relaturum Mennas Constantinopolitanus Episcopus dixisset, oblati sunt adversus eos libelli eidem Imperatori, quos Synodo cognoscendos idem miserat Augustus, cui rei causa opus sit, ut rursum Syno-

Synodus conveniret; quonam vero die, Acta ipsa declarant: *Post Consulatum Flavii Belisarii, pridie Nonas Junias, Indictione decima quarta, in Deo amata Civitate Constantinopoli, præsidente autem sanctissimo, ac beatissimo Domino nostro Menna &c.*. Notandum autem, quod in Actis Hierosolymitani Concilii, hæc ultima Actio, Synodus secunda nominatur; prima vero quam recitavimus contra Anthimum: ita namque ob diversas utriusque actiones distingui placuit, utpote priorem illam esse dicendam contra Anthimum celebratam, posteriorem vero illam, quæ adversus Severum, Petrum, atque Zoaram collecta est. Sed cum revera eodem in loco fuerit congregata, ab iisdem Episcopis celebrata, & eadem ex causa, nempe adversus hæreticos habita, actionem hanc potius ejusdem Synodi esse dixerimus, quam Synodum a superiore distinctam. Cum igitur dicta die & loco convenissent Episcopi, jussus est ingredi Theodorus Tribunus & Notarius, atque Referendarius Imperatoris, qui secum ferret ab ipso ad Synodum missos libellos, quos a diversis acceperat, vocatique pariter monachi, & clerici eorumdem hæreticorum accusatores, qui libellos obtulerant Imperatori. Primum itaque lectus est libellus Pauli Episcopi Apameæ, cujus Antistes antea fuit Petrus, habens subscriptionem sex aliorum Episcoporum Secundæ Syriæ, cujus est exordium: *Magnificavit etiam, & nunc Dominus facere nobiscum &c.*. Continet autem eorumdem libellus confessionem fidei orthodoxæ, laudesque ipsius Imperatoris, quem commoveri suadent adversus Severum, Petrum, atque Zoaram; mentionem pariter habet de epistola eodem argumento scripta ad Romanum Pontificem Agapetum, quam ipse morte præventus non acceperat. Eo lecto libello, oblatus est alter, qui a Monachis Constantinopolitanis, & aliis Secundæ Syriæ eidem oblatus fuerat Imperatori, qui incipit: *Cor vestræ pietatis in manu Dei, & ad quodcumque ipse vult inclinari conspicientes &c.*. Illud enixius exposcentibus, ut dictos damnatos hæreticos judicio Synodali subjiciat, & de medio tollat omnes non communicantes Apostolicæ Sedi. His lectis dimissus est Theodorus Referendarius, qui ab Imperatore eosdem ad Synodum libellos attulerat.

JESU CHR. AN. 536. Tom. 4. ibid.

Ultima actio Synodi Constant. sub Menna.

17. Cum autem ipse recessisset, jussit Synodus, ut eorumdem Monachorum libellus legeretur adversus eosdem hæreticos ad Syno-

Synodi sententia adversus Severum, Petrum, & Zoaram lata.

Jesu Chr. an. 536. Synodum datus, cujus est initium: *Cum judicium adversus Anthimum finem acceperit &c.*. Versantur in eodem argumento, ut sicut Anthimum, ita reliquos damnet hæreticos Dei Ecclesiam perturbantes, in memoriam pariter revocantes impia atque nefanda scelera ab iisdem ipsis perpetrata; quæ cum a nobis superius sint suo loco, & tempore, quo facta sunt, recensita, hic eadem iterum repetere superfluum judicavimus. Perlecto libello, quo in memoriam revocaverant olim agitatum adversus eosdem Apostolicæ Sedis judicium, lecta sunt quæ adversus eosdem rescripta fuerant ab Hormisda Rom. Pontifice ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, necnon ea, quæ idem Pontifex scripserat ad Monachos Secundæ Syriæ: de quibus epistolis a nobis pariter actum est superius. Juncta his lectio est libelli supplicis Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Hierosolymorum Episcopum adversus eosdem hæreticos tempore Justini Imperatoris, cum pax reddita esset Ecclesiæ: cui subjecta est relatio a Joanne Constantinopolitano Episcopo tunc temporis data de pace composita, & alia ejusdem temporis acta, de quibus nos suo loco abunde egimus. Cumque ex iis constaret, tum a Romano Pontifice, tum in Oriente in Synodis Antiochiæ, Constantinopoli, Hierosolymisque, & ubique locorum ab Orthodoxis eosdem jam esse damnatos hæreticos; ea propter in eosdem ab ipso Menna Episcopo Constantinopolitano, & universa quæ congregata erat Synodo, in eos iterum depositionis, & excommunicationis sententia lata est.

Mennæ Episcopi epist. ad Petrum Hierosol. Episcop

18. His peractis, dedit litteras de damnatione dictorum hæreticorum Mennas Episcopus CP. ad Petrum Hierosolymorum Episcopum, cujus initium est: *Recordantes solum venerabilem virorum*, qua ob ejus egregias dotes, & pastoralem sollicitudinem, multis eum laudibus exornat. Deinde ne perditorum hominum consortio pollueretur, admonet, se in CPolitana synodo condemnasse Anthimum, Severum, Zoaram, narratque omnia, quæ in eorum causa gesta fuerant, ac ut iis consensum præberet rogat: *Scitis igitur ejusdem sententiæ in judicatis a nobis*, neque in iis damnandis moram faceret, ac ut eadem gesta cunctis Episcopis sibi subditis nota quantocius faceret, hortatur. His vero acceptis, Petrus Hierosolymorum Episcopus synodum congregavit, cui interfuere

Synodus Hierosolym.

Episcopi 45. *Post Coss. Flavii Belisarii gloriosissimi, XIII. Kal. Octo-*

Octobris, Indictione XV. in Colonia Ælia Metropoli, & Hierosolymis, præsidente sanctissimo Patriarcha Petro . . . & assistentibus sanctissimis Episcopis trium Palæstinarum. Tum Elisæus Petri Diaconus retulit sacram Imperatoris, & epistolam Mennæ ad Petrum: scripti utriusque lectione ab Elisæo peracta, Synodus jussit, quæ Constantinopoli primum adversus Anthimum, ac adversus Severum, Petrum, & Zoaram gesta fuerant, recitari. Quo facto, Petrus contra Anthimum sententiam promulgavit suam, ac non solum ab Episcopatu Trapezuntino dejectum esse dixit, sed etiam ab omni Pontificali dignitate, tamquam ab ecclesiæ corpore disjunctum, & anathemate percussum. Eamdemque sententiam adversus Severum, Petrum, Zoaram dictam fuisse dubitari vix potest, etsi hæc in actis desiderentur. JESU CHR. AN. 536.

19. Cum autem Justinianus Imperator cuncta, quæ in synodo CP. gesta fuerant, perspecta haberet, eaque iis consentientia, quæ jam adversus hæreticos Agapetus definierat, invenisset, intelligens nullam amplius spem adesse, ut Anthimus suum emendaret errorem, qui latebras captans, ne audire quidem salutis consilia dignabatur; eadem religione, qua hactenus ecclesiæ fidem, ac sacros canones tueri studuerat, edita sanctione, quæcumque contra Anthimum, Severum, Petrum, Zoaram a concilio decreta fuerant, sua lege confirmavit, ipsosque, eorumque fautores subjiciens pœnis a legibus contra hæreticos vulgatis. Data ea lex est idus Augusti, quam Mennæ CP. Archiepiscopo inscripsit, in hunc modum: *Imperator Cæsar Flavius Justinianus &c. Mennæ Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo, ac universali Patriarchæ.* Dum audis Mennam universalem Patriarcham, scias paulo ante hunc titulum a Joanne prius usurpatum, ut patet ex Constantinopolitano concilio anni 518., non tamen eo sensu accipiendum, quasi, vel solus, vel primus inter Patriarchas esset, nam ex dictis satis constat, hunc titulum Romano Pontifici tantum convenire, cujus in tota ecclesia Primatum nemo catholicorum negat. Cum autem plus æquo superbirent CP. Episcopi, ac universalis titulo ad ceterorum Episcoporum contemptum superbe nimis gloriarentur, S. Gregorius M., iis obstitit, præcipue Joanni jejunatori dicto, & Cyriaco ejus successori, ut ibidem videbimus. Sua autem constitutione narrat Justinianus, se exempla Imperatorum secutum, qui hære-

Justiniani Imp. constitutio adversus hæreticos.

hæreticos ab ecclesia damnatos, Arium scilicet, Nestorium, Eutychem, Macedonium, & Eunonium, aliosque variis pœnis affecerant, in Anthimum, ceterosque ab Agapeto primum, & a CP. synodo damnatos, eamdem sententiam confirmare, quos etiam exilio, aliisque pœnis subjicit. Quare post plurima de Anthimo: *Interdicimus ei, & commorari in hac felici civitate, & ejus districtu, & a quocumque alia insigni civitate, sancientes in quiete esse, & eos diligere quibus se ipsum digne supposuit, & non aliquibus communicare, neque eos imbuere in perditionem interdictorum dogmatum*. Graviora adhuc Severo minatur, præter enim excommunicationem, quam omnium consensu subiit, universis interdicit, *aliquid de libris ipsius possideri, & sicut non licet Nestorii libros scribere vel possidere, (quia prædecessoribus nostris Imperatoribus in suis Constitutionibus visum est statuere similia his, quæ dicta & scripta sunt a Porphirio in Christianos) sic nec dicta, & scripta Severi maneant penes aliquem Christianum, sed sint profana & aliena ab Ecclesia catholica, igneque comburantur a possidentibus: nisi, qui ista habent, velint periculum pati. A nemine ergo scribantur, neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem scribentium, sciendo quia amputatio manus his, qui scripta ejus scripserint, pœna erit. Neque enim volumus in futuro tempore ex illis blasphemiam protrahi*. Quem etiam non solum regia urbe, sed etiam quocumque insigniori loco ejiciendum esse jubet, cui in solitudine & silentio vivere vix permittitur. Iisdem teneri pœnis declarat Petrum Apameæ Episcopum, & Zoaram. *Si quis vero aliquis ipsorum deprehendatur de cetero facere aliquod præter constituta, sciat, incidisse in legibus Imperialibus, quæ minores pœnas declinantes, ad majores immittunt indignationes &c.*

De creatione Silverii Papæ.

20. Romana vero ecclesia pastore suo viduata, cum Agapitus CPoli, ut diximus obiisset, in luctu diu remansit, & in successoris electione graviter afflicta est, cum non expectato, aut exquisito cleri populique consensu, ex Theodati Gothorum Regis jussu Silverius Romanus Pontifex ordinatus est, de quibus hæc narrat Anastasius. *Silverius natione campanus ex Patre Hormisda Episcopo Romano*; quem ex legitimo matrimonio, ante susceptos ordines habuerat, *sedit annum unum, menses quinque, & dies undecim. Hic levatus est a Tyranno Theodato sine deliberatione decreti.*

Qui

Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem induxit clero, ut qui non consentirent in ejus ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non subscripserunt in eum secundum morem antiquum, neque decretum confirmaverunt ante ordinationem. Jam autem ordinato Silverio sub vi & metu, propter adunationem Ecclesiæ & religionis, postmodum subscripserunt presbyteri. Post menses vero duos, nutu divino extinguitur Theodatus Tyrannus, & elevatur Rex Vitigis &c.. Dum autem collata pecunia, Romanam Sedem Silverium occupasse adnotat Anastasius, apud eruditos fidem vix invenit, tum ob Liberati silentium, cum etiam eo quod, cum Vigilius eo superstite Romanam Sedem invadere conatus est, id tantum Silverio crimini objectum est, quod urbem Gothis tradere tentasset, cui sane gravius simoniæ crimen objecisset, si eo infamatus fuisset. Hinc Liberatus de Silverii ordinatione agens, nihil de illata vi, nec de collata a Silverio pecunia habet, sed hæc tantum adnotat: Audiens Romana civitas Agapeti obitum, *Silverium Subdiaconum, Hormisdæ quondam Papæ filium, elegit ordinandum: Augusta vero vocans Vigilium Agapeti Diaconum, profiteri sibi secreto ab eo flagitavit, ut si Papa fieret, tolleret Synodum, & scriberet Theodosio, Anthimo, & Severo, & per epistolam suam eorum firmaret fidem, promittens dare ei præceptum ad Belisarium, ut Papa ordinaretur, & dari centenaria septem. Lubenter ergo suscepit Vigilius promissum ejus, amore Episcopatus & auri, & facta professione, Romam profectus est, ubi veniens, invenit Silverium Papam ordinatum. Quin & Ravennæ reperit Belisarium in eadem urbe sedentem, eamque obtinentem: cui tradens præceptum Augustæ, promisit ei duo auri centenaria, si Silverio remoto, ordinaretur ipse pro eo*. Quæ deinde facta sint, quæque Silverio pro justitia pati contigerint, anno sequenti dicemus; quanto autem tempore post Agapeti mortem Sedes Romana vacaverit, quove die Silverius ordinatus fuerit, ob variantes Codices definiri vix potest: die 6. Junii Silverii ordinationem Papebrochius collocat, die 8. Papius, nobis eadem cum Baronio religio inest, nil indubitatum asserere sine certa majorum auctoritate.

21 Nunc gesta in Italia secundo anno belli Gothici addimus. Occupata anno superiori ut diximus Sicilia, Belisarius

Belisarius Neapolim occupat, & diripit.

JESU CHR. AN. 536.

ſarius relicta Panormo, & Meſſana, cum exercitu Rhegium transfretavit, quem Brutii, ob ingens in Gothos odium, expanſis ulnis exceperunt; quorum exemplum ſecutus eſt Ebredum Theodati gener una cum ſuis copiis, quem Beliſarius ad Imperatorem miſit, a quo muneribus locupletatus, ad Patriciam dignitatem evectus eſt. Cum itaque tam proſpere cuncta Beliſario cederent, Neapolim, etſi valido Gothorum præſidio munitam, obſidione cinxit, cumque vix ejus potiundæ ſpes eſſet, fortuito urbis capiendæ occaſio ſe ſe obtulit; per aquæductum quippe Iſauri quidam in urbe viam ſibi aperientes, murorum cuſtodibus aliquot obtruncatis, ceteri admotis ſcalis in urbem ingreſſi ſunt, quam direptionibus & ſtragibus compleverunt, nulli parcentes cujuſcumque ſexus, aut ætatis, nec ipſis ſacris, & Templis abſtinentes, ut pluribus narrat Procopius.

Theodatus Italiæ Rex occiditur.

22. Neapolitanæ urbis oppugnatio Theodato Regni, vitæque finem attulit, Gothi enim ea amiſſa, cum urbem jam jam occupandam fore cernerent, ac timerent ne Theodatus eorum Rex Gothicum Regnum Juſtiniano ultro cederet, in unum congregati, ut rebus ſuis conſulerent, Vitigem ſibi, Italiſque Regem crearunt, quo nuncio accepto, Theodatus fuga illico Ravennam contendit. Vitiges vero Optari juſſit, ut fugientem ſive vivum, ſive mortuum caperet. Optares qua potuit celeritate, Theodatum inſequitur, quem inventum, victimæ inſtar reſupinum occidit anno Regni tertio non completo: *Periit in loco, qui dicitur Quintus, juxta fluvium Saternum*; quo in loco Evagrio error eſt detegendus, dum ait Theodatum Regno ſe abdicaſſe. Vitiges autem Gothico Regno potitus, Romam ſe contulit, ubi audita deceſſoris cæde, Theodeſclium defuncti filium in carcere ſervari juſſit, ac inde Ravennam petens, vocatis Gothis conſilium exponit ſuum, ut ſcilicet in Galliæ Ciſalpinæ defenſionem Gothorum vis omnis, armorumque apparatus verteretur. Diſceſſurus Silverio, qui Agapeto Papæ ſucceſſerat, Senatuique Romano in memoriam revocavit iniquiſſimum imperium Theodorici, eoſque ad ſervandam ſibi fidem ſacramento adegit: impoſitiſque urbi militibus quatuor mille, quibus Leuderem virum prudentia celebrem præfecit, Ravennam ipſe cum exercitu contendit, ac multos ex ordine Senatorio, qui

Vitiges Italiæ Rex creatur.

Procop. cap. 9. ut ſup.
Evag. lib. 4. cap. 19.

qui obsidum loco forent, secum duxit. Dum per Tusciam iter agit, omnes Theodati opes diripuit, quas in Insula, vel in urbe congregaverat. Magnum humanæ cæcitatis exemplum, quæ hostibus sæpe suis profuturas opes colligit.

Vitigis matrimonium cum Matassuntha.

23. Ingressus Ravennam Vitiges, Matassuntham Amalazunthæ filiam, eximiæ pulchritudinis virginem, invitam sibi matrimonio copulavit, ut ex affinitate Theodorici firmius imperium sibi compararet. Gothos quoque suis litteris de sua inauguratione admonuit, cujus epistola audacem animum spirat, ait enim: *Non in cubilibus angustis, sed in campis late patentibus electum me esse noveritis, nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus, ut tali fremitu concitatus, desiderio virtutis ingenitæ, Regem sibi Martium Geticus populus inveniret.* Porro cum ad novum Regnum, quod arma Justiniani concutiebant, stabiliendum cunctis viribus egeret, quam in Gallia obtinebat ditionem, Francis concessit, ne cum Belisario juncti labentem Gothorum in Italia Principatum prorsus attererent, ac statim Legatos ad Childebertum, Clotharium, Theodebertumque misit, ab iisque petiit, ut nempe concessis, quas in Gallia Gothi tenebant, Provinciis, Franci socia in Justinianum arma conjungerent. Iis conditionibus Francorum Principes suam Vitigi amicitiam polliciti sunt, auxilium tamen negarunt, utpote qui paulo ante promiserant Imperatori, se in eo bello venturos auxilio, clam tamen ex aliis gentibus copias Gothis se missuros promiserunt. Icto fœdere Legati magnis itineribus Ravennam reversi sunt; Vitiges vero Martium Transalpinæ Ostrogothorum ditioni Præfectum ad se revocavit, ut in unum conjunctis viribus hostiles impetus sustineret.

Belisarius Romam occupat

24. Dum hæc gererentur, Belisarius Romam progressus, nullo resistente urbe potitus est. Verebantur enim Romani, ne eadem clade, qua Neapolitani affecti fuerant, afficerentur; quamobrem sponte se se Belisario dederunt, qui per Asininam portam ingressus est cum exercitu, eodemque momento, per Flaminiam Gothi, quos Romæ Vitiges reliquerat egressi sunt, ut Ravennam irent; eorum tamen Dux Zeudemaris Romæ permansit, quem una cum clavibus urbis Belisarius Constantinopolim misit. Tempus quo Belisarius urbem ingressus est, his verbis Evagrius notavit: *Ita Ro-*

JESU CHR. AN. 536. *mani citra pugnam urbem Belisario tradiderunt ; ac denuo urbs Roma in potestatem Romanorum venit, post annos demum sexaginta, mense appelleo, quem latini Decembrem vocant, cum Justinianus annum Imperii sui undecimum ageret.* Diem etiam Malretus indicat, sic enim vertit Procopii textum: *Atque ita recepta est Roma, die IX. Decembris, anno postquam capta fuerat sexagesimo, qui fuit XI. Imperii Justiniani*, quam lectionem de die nona Decembris, utpote veteribus Evagrio & Nicephoro ignotam, Pagius rejicit. Nec de die solum, quo Belisarius Romam ingressus est, diffident eruditi, sed etiam de anno. Nam cum anno undecimo Justiniani id contigisse Evagrius tradat, anno sequenti, qui undecimus Justiniani annus erat, urbem in Belisarii potestatem venisse tradunt. At alii Neapolitanam expugnationem, & Romæ deditionem labenti alligant, nec levibus conjecturis confirmant. Primo enim Marcellini continuator omnia hæc hoc anno narrat: *Post Consulatum Belisarii Gothorum exercitus Teodatum Regem habens suspectum, Vitigem in Regnum adscivit, qui mox in campo barbarico regnum pervasit. Expeditione soluta Romam ingreditur, ibique residens dirigit Ravennam, Theodatum occidit . . . Belisarius favente Domino Romam ingreditur.* His adde ex sua ipsorum chronologia refelli Procopium, & Evagrium, dum habent: *Roma recepta est sexagesimo anno, mense eodem, postquam a barbaris capta fuerat*, quod anno 476. contigit. Basilisco, & Armato Coss., unde si annis 476. 60. addantur, ad annum pervenimus 536., qui decimus Justiniani fuit, non 537., qui undecimus erat, uti Procopius, Evagriusque tradidere. Id etiam notandum, Procopium duorum annorum gesta in unum referre, narrata quippe Romana deditione, addere pro more suo debuerat: *Sic hyems exiit, finemque imposuit anno secundo belli*, quod Procopius descripsit. Sed omissa ea clausula ad ea transit, quomodo Vitiges cum centum quinquaginta millibus militum ad urbis obsidionem rediit anno hujus belli tertio, Domini 537. sequenti, deinde scribit: *exacta hyeme & hujus belli, quod Procopius scripsit, anno secundo jam finem adepto*, quæ certissime anno hujus belli tertio peracta sunt, legendumque profecto *anno tertio*, cum ex ipso Procopio, Mario Aventicensi, Marcellini continuatore exploratum sit, anno Imperii Justiniani 9. Belisario Coss., captam esse Siciliam. Igitur

tur anno decimo Justiniani, hujus belli secundo Neapolis, & Roma a Belisario occupata fuit, & Vitiges creatus est in Regem, quem Procopii errorem adnotavit eruditissimus Norisius in differt. de synodo 5. cap. 6., licet Pagius notis 2. 3. 4. anni 538. hunc errorem exscriptori potius, quam Procopio adscribendum censeat. JESU CHR. AN. 536.

25. Belisario id etiam gloriæ, ac felicitatis hoc anno accessit, quod dum in Sicilia esset, ad eum Salomon, quem Africæ præfecerat, advenit, auxilium petens adversus Romanos milites, qui rebellione facta Carthaginem obsidebant, ob quam causam in Africam Belisarius rediit, quo cum pervenisset, sola pene præsentia sua contumaces rebellesque in fugam conjecit, eademque celeritate in Siciliam reversus est, de quibus plura narrat Procopius. Belisarius in Africam navigat, rebelles comprimit.

26. Dum autem Gothi Ravennam ex Campania, aut Roma iter agerent, cum ad S. Bonifacium Ferentinæ civitatis Episcopum ex iis duo pervenissent, hospitio ab eo excepti, Bonifacius parvum vas ligneum vino plenum manu sua prebuit. *Ex quo illi quousque Ravennam venirent, biberunt*, ait Gregorius, *ac si in illo vase ligneo, quod Episcopus eis dederat, vinum non augeretur, sed nasceretur*. Hæc de his Gregorius. De Fortunato autem Tudertino Episcopo narrat, quod cum semel iterumque Gothum rogasset, ut duos pueros, quos iter Ravennam agendo rapuerant, accepto prætio restitueret, ille vero pertinaciter renuisset; *Contristatus Episcopus dixit: Scio quia tibi non expedit, quod me contristato discedis: Quæ Gothus verba despiciens, ad hospitium reversus, eosdem pueros, de quibus agebatur, equis superimpositos cum suis hominibus præmisit, ipse vero statim ascendens equum subsecutus est. Cumque in eadem civitate ante beati Petri Apostoli Ecclesiam venisset, equi ejus pes lapsus est, qui cum eo corruit, & ejus coxa mox fracta est, ita in duabus partibus os esset divisum, levatusque in manibus reductus est ad hospitium*. Eoque flagello eruditus Gothus, ad sanctum virum cito misit, ut Diaconum suum ad recipiendos pueros mitteret, & ut pro se Deum precaretur. *Cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus statim dedit, dicens: Vade citius, & eam super jacentis corpus projice. Perrexit itaque Diaconus, atque ad Gothum introgressus, benedictam aquam super membra illius aspersit*. Et illico sanatus est, ita ut eadem hora

De S. Bonifacio Episcopo.

Greg. Dialog. lib.

Quid S. Fortunatus cum Gotho pervicace.

iter

Jesu Chr. an. 537.

iter suum lætissime profectus est, non aliter, ac si nullam unquam læsionem corporis pertulisset. Hæc Gregorius, quæ se accepisse testatur a sene, cive Tudertino, viro fideli. Plura alia præterea narrat de eodem viro sanctissimo Fortunato, cujus virtus miraculorum exuberans etiam in Gothos Arianos large aquæ benedictæ aspersione manavit, quam novatores infelicissimi, Arianisque deteriores contemnunt. Floruerunt his temporibus inter tot Italiæ clades viri sanctitate illustres, quorum pluribus in locis idem Sanctus Gregorius in Dialogis meminit, nosque, opportuna se offerente occasione, suis locis mentionem habebimus.

JESU CHRISTI AN. 537. SILVERII PP. 1.
JUSTINIANI IMP. 11. VITIGIS REGIS 2.

Roma a Vitige obsessa.

1. Insequens annus quingentesimus trigesimus septimus, nullis creatis consulibus, post Coss. Belisarii secundum inscribitur, in Occidente vero aliquando postcss. Paulini tertium, quo Vitiges ut audivit Belisarium Romam occupasse, sero pœnitens se Ravennam recepit, ac revocatis in Italiam Gothis, qui apud Francos erant, exercitu centumquinquaginta millium militum, omni armorum genere instructissimo comparato, Mense Martio Romam properavit, eamque obsedit. Quæ autem inter utramque partem gesta fuerint, distincta satis, ac fusiori stylo narrat Procopius, quem lector curiosus consulere poterit. Sat nobis erit quædam ab instituto haud aliena hic inserere, quæ ad pietatem spectare posse pius quisque censebit. Inter cetera de moenium custodia ait: *Inter hanc Portam & Pincianam (sic porta minor appellatur ad Flaminiæ dexteram posita) pars quædam muri, non a solo usque, sed a medio ad summum, compage pridem soluta sponte & diducta bifariam, haud corruit quidem, nec penitus convulsa est, verum adeo inclinata huc atque illuc prominet, ut partim ultra, partim cis reliquum murum existat. Quamobrem a multo jam tempore locum illum Romani lingua patria murum ruptum vocarunt: & tum eam partem initio demoliri Belisarius atque instaurare vellet, obstiterunt, firmissime asseverantes Petrum Apostolum ipsis dixisse, curæ sibi fore ejus loci munitionem. Hunc autem Apostolum venerantur omnium maxime, ac demirantur Romani: quorum opinioni expectationique ibi plane respon-*

respondit exitus. Nam nec eo die, nec deinceps, quamdiu Romam Gothi circumsederunt, vim hostilem locus ille excepit, sed prorsus belli tumultu vacuus fuit. Certe incessit nos admiratio, quod hostis, qui toties aperta vi, toties nocturnis fraudibus aggressus est mœnia, hanc eorum partem oblivione, vel negligentia semper prætermiserit. Quocirca nec postmodum quisquam ausus est eam reficere; sed fissa, ut erat, stat adhuc. Hæc Procopius. Cernitur usque hodie ipse paries ab alio divisus, & quasi jam jam casurus deorsum inclinatus, ut qui nesciat, timeat illac pertransire. Extant & ibi proximæ venerandæ imagines, indices veteris ejusdem loci sacri cultus, ac murus tortus dicitur.

JESU CHR. AN. 537.

2. Sed illud majoris miraculi obtinet locum, quod cum per annum & amplius, Urbe obsessa, in suburbiis moram fecerint barbari, iidemque Ariani, atque Romanæ Ecclesiæ hostes, nihil tamen contumeliæ, damnive intulere ipsis Apostolorum Basilicis extra Urbem positis, sinentes illic catholico ritu libere sacra peragi, ut idem narrat Procopius. *Templum est Pauli Apostoli* (inquit), *quod a mœnibus Romæ stadiis* 14. *distat. Alluitur fluvio Tiberi, nullis septum operibus: quamquam ab Urbe pertinens ad templum hoc porticus, & vicina utrique ædificia, faciles negant ad locum aditus. Porro Gothi sacram hanc Pauli ædem Apostoli, itemque alteram Apostoli Petri sic reverentur, ut neutram toto belli tempore, ne minimum quidem violarint, at Sacerdotibus de more sacra illic omnia procurare licuerit.* Hæc Procopius: quibus vehementer redarguas merito recentes hæreticos, sacra Deo dicata loca, ac Sanctorum monumenta rapinis incendiisque vastantes.

In basilicas Apostolorum Gothorum reverentia.

3. At audi Portentum, attende facinus (verba Baronii sunt) omni execratione dignum Romæ hoc tempore perpetratum ab eo, qui se catholicæ fidei esse cultorem præseferebat, ac defensorem hactenus laudatissimum. Pro monstro plane habitum est, ut cum qui foris erant barbari hostes Gothi, Ariani, ne clericulum quidem injuria damnove affecerint, nec impedierint quominus Apostolis sacri ibi consistentes Deo dicati ministri diversi ordinis clerici consuetum cultum impenderent, Apostolorumque basilicis nec leve damnum attulerint: eodem tempore, qui intus degebat, pius, justusque hactenus semper visus, ab Imperatore

Quid Theodora adversus Silverium molita sit.

tore missus expugnare barbaros, Urbemque ab eorum tyrannide vindicatam tueri, Dux exercitus Belisarius, idem ex improviso tyrannus apparuerit, atque sacrilegus in cathedram Petri, & in universam Romanam Ecclesiam, eam barbarice tyranniceque injuriis damnoque afficiens, atque profanas violentasque manus in ipsum Romanum Pontificem injiciens, deturpans inhonestansque ipsum visibile loco Christi positum Ecclesiæ caput. Quomodo autem id acciderit, in primis Procopium audi, ita rem tantam paucis absolventem: *Deinde*, inquit, *oborta suspicione, Silverium Urbis Romæ Pontificem defecturum ad Gothos, hunc quidem confestim transmittit in Græciam, alterum vero quempiam illi sufficit Vigilium nomine, non secus & alios quosdam, & hos Senatorios viros*. Hæc ipse. Sed dolosæ fraudis iste prætextus fuit: ejusmodi enim velamento obtegebatur, quod impia Theodora (ut dictum est ex Liberato Diacono) cum Vigilio ab Urbe Constantinopolim accersito molita fuerat, nempe se effecturam, ut ipse Pontifex, expulso Silverio, crearetur, dummodo quod spoponderat insana cupiditate ac ambitione flagrans Vigilius, Anthimum ab Agapeto damnatum, in Constantinopolitanam Sedem restitueret.

Theodoræ Augustæ insidiæ in Silverium Papam.

Anast. p. 171. tom. 3.

4. Eadem narrat Marcellini continuator sub indictione decimaquinta, quæ hoc anno ad Septembrem usque in cursu fuit, dum ait, *indict. XV. iterum postcons. Belisarii, Vitiges Tyrannus exercitu aggregato Romam obsidet, qui tunc faventem Papam Silverium Belisarius ab Episcopatu submovit, & loco ejus Vigilium Diaconum ordinavit*. Anastasius vero: *Postmodum venit* (Belisarius) *Romam, qui susceptus a Domno Silverio benigne, & abiit in Palatium Pincianum, idib. Maji indict. XV. Tunc erat Vigilius Diaconus Apocrisarius Constantinopoli. Dolens autem Augusta pro Anthimo Patriarcha, quod depositus fuisset a sanctissimo Agapito Papa, qui eum hæreticum reperisset, & in locum ejus constituisset Mennam servum Dei: tunc Augusta consilio usa cum Vigilio Diacono, misit epistolas suas Romam Silverio Papæ rogans, & obsecrans, ne pigriteris ad nos venire, aut certe revoca Anthimum in locum suum. Qui dum legisset beatissimus Silverius litteras, ingemuit, & dixit: Modo scio, quia hæc causa finem vitæ meæ adducit. Sed beatissimus Silverius fiduciam habens in Deo, & beato Petro Apostolo rescripsit Augustæ: Domina Augusta, ego rem istam facturus nunquam ero, ut revocem hominem hære-*

hæreticam in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit jussiones ad Belisarium Patricium per Vigilium Diaconum ita continentes: Vide aliquas occasiones in Silverium Papam, & depone illum ab Episcopatu, aut certe festinus transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum, & Apocrisarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est revocare Anthimum Patriarcham. Et tunc suscepit jussionem Belisarius Patricius, dicens: Ego quidem jussionem facio, sed ille qui interest in nece Silverii Papæ, ipse rationem reddet de factis suis Domino nostro Jesu Christo. Et urgente jussione exierunt quidam falsi testes, qui & dixerunt: Quia nos multis civibus invenimus Silverium Papam scripta mittentem ad Regem Gothorum: Veni ad portam, quæ appellatur asinaria, juxta Lateranas, & Civitatem tibi trado, & Belisarium Patricium. Quod audiens Belisarius non credebat. Sciebat enim, quod per invidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit. Tunc fecit Beatum Silverium Papam venire ad se in Palatium Pincis. Et in primum, & secundum velum retinuit omnem Clerum. Quo ingresso Silverius cum Vigilio soli in Mausole, Antonina Patricia jacebat in lecto, & Belisarius sedebat ad pedes ejus. Et dum eum vidisset Antonina Patricia, dixit ad eum: Dic Domine Silveri Papa, quid fecimus tibi, & Romanis, ut tu velis nos in manus Gothorum tradere? Adhuc eo loquente ingressus Joannes Subdiaconus regionarius primæ regionis, tulit pallium de collo ejus, & duxit in cubiculum. Et expolians eum, induit eum veste monachica, & abscondit eum. Tunc Sixtus Subdiaconus regionarius regionis sextæ, videns eum jam monachum, egressus foras, nunciavit ad Clerum, dicens: Quia Dominus Papa depositus est, & factus est monachus. Qui etiam audientes fugerunt omnes, quem suscepit Vigilius Archidiaconus in sua quasi fide, & misit eum in exilium in Pontias. Eamdem tragœdiam Liberatus hujus temporis scriptor exponit, ac addit, quod cum Silverius a Belisario in Palatium vocatus rogaretur, ut Chalcedonensem synodum abrogaret, ac datis litteris cum hæreticis communionem iniret, Silverius e Palatio egressus, se in basilicam beatæ martyris Sabinæ recepit, ubi directus est ad eum Photis filius Antoninæ patriciæ, & præstito Sacramento, invitabat eum venire ad palatium. *Qui autem Silverio asta-*

JESU CHR. AN. 537. *astabant, persuadebant ei, ne Græcorum crederet juramentis: ille tamen exiit, & ad palatium venit. Et illa quidem die pro juramento ad Ecclesiam redire permissus est: ad quem rursus mandavit Belisarius, ut ad Palatium veniret, qui de Ecclesia exire nolebat, dolos sibi præparatos agnoscens. Sed postea orans, & causam suam Domino commendans, exiit, & ad palatium venit: qui solus ingressus, a suis ulterius non est visus. Et alia die Belisarius convocatis Presbyteris, & Diaconibus, & clericis omnibus, mandavit eis, ut alium sibi Papam eligerent: quibus dubitantibus, & nonnullis renitentibus, favore Belisarii ordinatus est Vigilius. Silverius autem in exilium missus est in Civitatem Provinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur.* Hactenus Liberatus de Silverii exilio, & Vigilii in Romanam Sedem invasione; Anastasius quidem in Palmariam relegatum asserit, ubi Sanctissimus Pontifex mortuus est, sed Anastasius omisso exilio in Græciam, de quo Procopius & Liberatus loquuntur, de altero exilio agit, quando Justiniani jussu Romæ restitutus, eumdem Belisarius Vigilii servis tradidit, quibus in Palmariam insulam perductus, inedia vivere desiit. Porro tanti facinoris in Romanum Pontificem perpetrati minister fuit quidam Eugenius, teste Procopio, qui de morte Theodosii Antoniæ Amasii hæc narrat: *Fuit ille minister sceleris, quidam ex famulis, Eugenius nomine, qui commissi contra Silverium satelles fuerat.*

Procop. hist. arcana pag. 4.

Justinianus Silverium suæ ecclesiæ restitui jubet.

5. Sed Silverii vestigia sectandum. Id plane teste Liberato accidit, ut cum adversus ipsum Romanum Pontificem insurrexisset is, qui inhœrebat lateri ejus Diaconus ipse Vigilius; Deus excitaverit spiritum unius ex Græcis Episcopis, qui magno sumptu animo pro ejus defensione surrexerit, steteritque contra Imperatorem ipsum de sacrilegio perpetrato redarguens. *Multos dicens esse in hoc mundo Reges, & non esse unum, sicut ille Papa est super Ecclesiam Mundi totius a sua Sede expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium jussit, & de litteris illius judicium ferri, ut si approbaretur ab ipso fuisse scriptas in quacumque Civitate Episcopus degeret, si autem falsæ fuissent approbatæ, restitueretur suæ Sedi.* Ita quidem Justinianus Imperator, suæ potestatis non esse profitens Episcopos damnare, multo minus Romanum Pontificem, quem etiam si errasse convinceretur, Romanam tamen cathedram tenere voluit, etsi non Romæ, ne

ne videlicet, quod ei objectum fuerat, ipsius opera urbs Gothis traderetur. Sed quid non audet fœmineus furor Theodoræ Augustæ, cum qua consentiens erat ipse Pelagius, quem Apocrisarium CP. Silverius reliquerat. *Pelagius vero currens cum voluntate Augustæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Silverius Romam reverteretur, sed prævalente Imperatoris jussione, Silverius ad Italiam reversus est. Cujus adventu territus Vigilius, ne sede polleretur, Belisario mandavit: trade mihi Silverium, alioquin non possum facere quod a me exigis. Ita Silverius traditus est duobus Vigilii defensoribus, & servis ejus. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia defuit inedia*, cujus mors anno tantum sequenti contigit, de quibus ibidem agemus.

Vigilii epistola ad hæreticos.

6. Vigilius vero his gestis, ait Liberatus, cum a Belisario compelleretur, ut juxta sponsionem suam duo auri centenaria daret, ob metum Romanorum dare distulit, hoc tantum ad leniendum Belisarii, & Theodoræ Augustæ animum. *Implens promissionem suam, quam Augustæ fecerat, talem scripsit epistolam: Dominis, & in Christi Dei Salvatoris nostri charitate conjunctis Fratribus, Theodosio*, Alexandrino Episcopo: *Anthemio* CP., & *Severo*, qui Antiochenus Episcopus fuerat, pluries damnatus, & anathemate percussus, *Episcopis. Vigilius Episcopus*, sic inscriptio legitur, *Scio quidem, quod ad sanctitatem vestram antea fidei meæ credulitas, Deo adjuvante, pervenit, sed quia modo gloriosa filia mea patricia Antonina Christianissima desideria mea fecit impleri, quod fraternitati vestræ præsentia scripta transmitterem. Salutans ergo vos gratia, qua nos Deo nostro Christo Salvatori conjungimur, me eam fidem, quam tenetis, Deo adjuvante, & tenuisse, & tenere significo; sciens, quia illud inter vos prædicamus, & legimus, ut & anima una sit & cor unum in Deo. Provectus mei, qui vester est, Deo adjuvante, nunciare vobis gaudia maturavi ex meo animo, sciens fraternitatem vestram, quæ optabat, libenter amplecti. Oportet ergo, ut hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat, sed magis tamquam suspectum me sapientia vestra ante alios existimet habere, ut facilius possim, hæc quæ cœpi, operari, & perficere. Et subscriptio: Orate pro nobis Deum: mihi fratres in Christo Domino nostro caritate conjuncti*. Utinam, ut optaverat Vigilius, in obscuro remansissent hæ litteræ, tanquam tene-

 bra-

Jesu Chr. An. 537.

brarum opus, easque nullus agnovisset; at malo fato Liberati opera posteritati traditæ sunt, in quibus ut impietatis mensuram compleret, dignum patellæ operculum apponeret, scriptum S. Leonis, seu epistolam ad Flavianum, de duabus in Christo naturis prorsus rescindit, *sub hac epistola*, sequitur Liberatus, *Vigilius fidem suam scripsit, & revolvens tomum Papæ Leonis, sic dixit: Nos non duas naturas in Christo confitemur, sed ex duabus naturis compositum, Deum filium, unum Christum, unum Dominum*. Ejusdem epistolæ a Vigilio scriptæ meminit Victor Tunonensis in chronico postcoss. Basilii anno secundo (legendum Belisarii) dum ait: *Hic itaque Papa effectus ab Antonia Patricia Belisarii uxore compellitur, ut Theodosio Alexandrino, Anthemio Constantinopolitano, & Severo Antiocheno, jam ab Apostolica Sede damnatis, tamquam catholicis scriberet, & ita de fide, quemadmodum & illi, sentiret, cujus epistolæ illius tenor ita se habere probatur*, his Vigilii epistolam ex Liberato exscripsit. Hanc quidem epistolam doctissimi viri Baronius, Binnius, Labbeus, aliique Vigilio suppositam fuisse asserunt. At Liberati, & Victoris Tunonensis, qui eam recitant, tanta est auctoritas, dum eam Vigilio tribuunt, ait Pagius, ut iis coævis scriptoribus virorum doctorum conjecturæ cedere debeant. Eamque ob rem in totam pene ecclesiam Vigilium anathema dixisse, testatur Facundus libro contra Mocianum. *Ob hoc etiam de ipsius Episcopi Romani chirographis, vel prius ambitionis impulsu, cum fieri arderet Episcopus, vel postea venalitate parti alteri factis, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis ejus præjudicium fides vera sufferret. Quod si hoc non fuisset, neque ipse prius universam anathematizasset Ecclesiam, servare nos in illo oportuit sententiam suam, sequi quod nobis præbuit priscæ antiquitatis exemplum*. Quibus verbis Facundus confirmat, quod post relatam illam Epistolam Liberatus subjicit: *Sub hac epistola Vigilius fidem suam scripsit, in qua duas in Christo damnavit Naturas, & resolvens Tomum Papæ Leonis, sic dixit: Non duas in Christo Naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum Unum Filium, Unum Christum, Unum Dominum*. De hujus itaque epistola, tam a Liberato, quam a Victore Tunonensi Scriptoribus coævis recitata, nullus superesse dubitandi locus videtur, ex qua tamen nullum penitus Apostolicæ Sedi præjudicium

Victor Tunon. chron.

An Vigilii sit necne ea epistola.

cium illatum est, cum ejus tunc *Vigilius* invasor, *Silverius* autem germanus Pontifex esset. Porro ea data non est anno II. Post Consulatum Basilii, idest anno 542., ut perperam habet Tunonensis, qui Silverii exilium usque ad illum annum magno errore differt; sed sub finem anni 537., vel insequentis initio, ut ex dictis liquet. Jesu Chr. an. 538.

7. Hoc anno, qui 26. a Clodovei morte numeratur, gravissima dissentio inter Francorum Reges exarxit, ac civile bellum, teste Sigeberto, quod divinitus extinctum est. Hujus dissidii meminit Gregorius Turon. de quo ad hunc annum hæc adnotat: *Childebertus Rex cum patruele Theodeberto in fratrem Clotharium insurgit, sed matre eorum satis agente Clotilde apud Deum, ne inter fratres fieret civile bellum, horrenda tempestate coerciti, cum super Clotharium ne signum quidem apparuerit horroris hujuscemodi, reddunt se fraternæ paci*. Cujus autem virtute hæc gesta sint, Gregorius Turonensis narrat, ac inter cetera adnotat, quod cum Clotildis Regina hæc audisset, beati Martini sepulchrum adiit, ibique in oratione prostrata, tota nocte vigilavit, orans ne inter filios bellum civile consurgeret. Advenientes interea Theodebertus, & Childebertus cum exercitu, ut adversus Clotharium pugnarent; & interficerent, tanta vis tempestatis, grandinis, ac fulgurum exorta est, tantique lapides immissi, ut cum nullo loco Theodeberti, & Childeberti milites consistere possent, multique lapidum ictu percussi interiissent, dispersi undique ceteri in fugam versi sunt. *Super Clotharium vero, neque una quidem pluviæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus, sed nec anhelitum ullius venti in illo loco censere. Hi quoque mittentes nuncios ad eum, pacem & concordiam petierunt: qua data, ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum Reginæ beati Martini fuisse virtutem*. Hucusque Gregorius: quæ quidem & alii, qui res Francorum sunt prosecuti, testantur. S. Clotildis pietas sedat civile bellum.

JESU CHRISTI an. 538. Vigilii Papæ 1. Justiniani Imp. 11. Vitigis Regis 2.

1. Annus Domini quingentesimus trigesimus octavus, consulatu Joannis inscribitur, quem tantum fasti omnes retinent, cui immerito Volusianus additus est a Panvinio, & Baro- De Joanne Consule.

JESU CHR. AN. 538. Baronio; nam in Occidente, vel eo solo consule acta signata sunt, vel hac formula postcons. Paulini quartum, uti in concilio Aurelianensi III. hoc anno habito. Hic consul Joannes, Cappadox dictus, homo Ethnicus religione erat, moribus perditissimus, sed Justiniano carissimus, de quo plura Procopius in historia arcana, aliisque locis, quem tandem Justinianus ob cædem Eusebii Episcopi Ciziceni, velut latronem, ac grassatorem debita multavit pœna. Sed quis ingenii humani inconstantiam, & infirmitatem non condoleat, cum eodem tempore Justinianum audit in Ethnicos suis legibus sævire, eosdemque ad primos Imperii honores evehere. Hic autem Joannes *Prætorii præfecturam gesserat*, *Patriciorum ordini fuerat adscriptus*, *ad sellam consularem*, *qua nihil majus in Rep. Romana videtur esse*, *ascenderat*, ait Procopius, nec solus Joannes ex Ethnicorum grege erat, qui Justiniani gratia frueretur, Tribonianus etiam inter jurisperitos celeberrimus, aliique quos non sine nominis sui infamia, & christianæ religionis injuria Justinianus ad primas in Republica dignates evexit.

Procop. de bello Persico lib. 1. cap.

Romanorum religio commendatur.

2. Jam quæ gesta sint hoc anno videamus. Urbem Gothi anno superiori obsederant, & quidem *ineunte martio*, in cujus oppugnatione *annum unum*, *dies novem consumpserunt*. Hoc autem anno, eodem mense liberata est. De hac urbis obsidione agens Procopius, Romanorum studium erga Religionis christianæ cultum mirifice commendat, his verbis: *Per id tempus Romani quidam Jani Fanum aperire*, *foribus vi occulte illata tentarunt*. Quis Janus fuerit, quæve templi, & Idoli structura esset, deinde describit, mox addit: *Sed Christianam religionem amplexi*, *cum tam eam colerent*, *quam qui maxime*, *nunquam*, *ne bello quidem ardente*, *fores illas aperiebant*. *In hac tandem obsidione*, *quidam superstitione prisca*, *ut reor*, *imbuti*, *ipsas pandere occulte aggressi sunt*; *at consilium omnino exequi non potuerunt*; *ita solum impulsis foribus*, *ut minus quam antea cohærerent*. Ea tamen durante, innumeris cladibus Romani affecti sunt, ac peste, & fame laborarunt. *Æstivo Solstitio*, ait Procopius, *ineunte*, *cum fame pestis urbem invasit*, *militibus rei cibariæ nihil erat reliquum præter panem*, *quo ipso defecti Romani*, *ceteris fame simul*, *&* *lue gravissime conflictabantur*, nec minora Gothi patiebantur. *Jam ipsos quoque*, ait idem auctor, *urgeret fames*

Procop. de bello Goth. lib. 1. cap. 25. & lib. 2. cap. 3.

Procop. de bello Goth. lib. 2. cap. 3.

mes &c. accessit pestilentia, quæ cum eos invasisset, multos necabat. Cum autem auxiliares copiæ, ac frumenti copia in urbem advenissent, de obtinenda urbe desperantes Gothi discessere. *Jam annus circa vernum æquinoctium se vertebat, in obsidione contritus totus cum diebus præterea novem, quando Gothi castris suis omnibus incensis, prima luce se in viam dederunt*. Vitiges vero Gothorum Rex, missa ad Justinianum cum litteris suis legatione, pacem, quibus sibi placuisset conditionibus, petiit, ut in dicta epistola videre est. At ea legatione, scriptisque litteris nil Vitiges profecit, ut ex dicendis infra constabit. JESU CHR. AN. 538.

3. Interea Silverius, quem Justinianus Italiæ restituerat, ut anno superiori diximus, non justum judicium, sed mortem invenit; traditus enim a Belisario Vigilii servis seu potius carnificibus, ærumnis confectus die 12. Kal. Julii, martyrii corona donatus occubuit, cujus memoria eadem die recolitur. *Sepultus est*, ait Anastasius, *in eodem loco 12. Kal. Julii, ibique occurrit multitudo male habentium, & salvantur*, quod ad locum Liberatus ab Anastasio dissidet, dum ille in Palmaria insula obiisse tradit, iste vero in Pontia, cum eæ insulæ vicinæ sint, unam pro altera Anastasius scripsit, sed Liberatus hujus temporis scriptor, majorem sibi vindicat fidem. Sedem tenuit Silverius *annum unum, menses quinque*, & aliquot dies, ordinatus mense Junio anni 536. Depositus anno proximo, mense Novembris, hoc anno in Cœlum evolavit, non enim verosimile est ad annum usque 540. vitam prorogasse, ut tradunt post Baronium, Petavius, Natalis Alex., nam vix sua sede pulsus (quod certe superiori anno contigit, dum urbs Gothis obsidebatur) in Græciam missus est, quem illico Justinianus in Italiam redire jussit: quo cum pervenisset, eum Vigilius, qui tot sceleribus veluti gradibus Pontificium thronum conscenderat, sibi timens, ne cognita Silverii innocentia, descendere cogeretur, per suos servos, & Eugenium Antoninæ uxoris Belisarii sicarium, sive vi adhibita, sive inedia mori coegerunt. Insuper dum apud Anastasium legitur, ipsum sedisse *annum unum menses quinque* dies aliquot, usque ad tempus quo depositus inique fuit, ejus sedem numerat, tempus autem, quod depositionem inter & mortem intercurrit, a mense Novembris superioris anni ad 12. Kal. Julii, quo obiit, præteriit, quod ejusdem sedi adden-

Silverii Papæ obitus.

ne laudabili de rebus sibi dubiis ad studium veniunt consulendi, competenti necesse est ordine respondere? Hinc est quod gloriosi filii nostri Regis Theodeberti interrogationem, qua nos per Modericum virum illustrem Legatum suum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam suam desiderat informari, cujusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum præsumpsit inire conjugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in subjectis inveniet, hoc indicare curavimus, quoniam tale commissum non parva cordis afflictione valeat expiari. Sed quia (sicut caritatem tuam bene nosse confidimus) modus pœnitentiæ præsentium potius sacerdotum inspectioni committitur, ut juxta compunctionis meritum, veniæ quoque possit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æstimationi credimus relinquendum &c., ut scilicet totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, ea remedia suggereret, quibus lapsum erigeret, & ne imposterum id fieret caveretur. *Illud quam maxime præcavendum, ut ne ipse, qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus revertatur, sed divisis etiam habitationibus commanentes, ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime. Datum pridie Nonarum Martiarum, Joanne viro Clarissimo Consule.* Hactenus ad Cæsarium Vigilius. Cum autem Baronius sciret Theodebertum luxuriæ vitio inquinatum fuisse, de pœnitentia Theodeberto injungenda consultum fuisse Vigilium credidit. At etsi hic Rex cum *Deutria* per triennium in adulterio vixisset, ab eo scelere jam resipuerat, nec umquam lapsus est in incestum. Quare hæc Vigilii verba, quibus dicit Theodebertum edoceri anxium: *cujusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum præsumpsit inire conjugium*, de Theodeberto intelligi nullatenus possunt, sed de quodam Franco Theodeberti subdito.

7. Alteram Profuturo Bracarensi Episcopo epistola dedit Vigilius *III. Kal. Julii*, *Flavio Joanne VC. Consule*, quæ inscripta legebatur Eutherio, sive Eleutherio Episcopo Kal. Martii, Volusiano & Joanne VV. CC. Coss., unde Baronius Volusianum inter consules hujus anni numeravit, sed MSS. Codices vetustissimi ecclesiæ Lugdunensis, & duo Colbertini unum tantum Joannem Coss. præferunt, & Profuturo

Vigilii epist. ad Profuturum.

Baluz. nova collect. concil. tom. I.

JESU CHR. AN. 538. turo Episcopo inscriptam testantur. De quibusdam capitulis Vigilium consulerat Profuturus, cui in hunc modum respondit.

Tom. 5. pag.

Dilectissimo Fratri Profuturo Vigilius.

Directas ad nos tuæ caritatis epistolas plenas catholicæ inquisitionis sollicitudine, gratanter accepimus, benedicentes Dei nostri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatus est suis ovibus providere pastores, per quos & pascuis valeant salutaribus abundare, & ab antiqui hostis rapacitate servari, ut insidias nequeant ejus subreptionis incurrere &c. Unde post plurima in ejus laudem dicta, subdit: *Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis quid juxta catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis auctoritas, subjectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum; te credimus instruendum. Ac primum de his, quos Priscillianæ hæresis indicasti vitiis inquinari, sancta & conveniente religioni catholicæ eos detestatione judicas arguendos, qui ita se sub abstinentiæ simulatæ prætextu ab escis videntur carnium submovere, ut hoc execrationis potius animo, quam devotionis probentur efficere. In qua re, quia nefandissimis Manichæis esse consimiles approbantur, juste patrum venerabilium constitutis ab hac superstitione sub anathematis sunt interminatione probibiti, quando aliquid ciborum contagione carnium credunt esse pollutum.* Et post multa, quibus ex divinæ Scripturæ sententiis ejusmodi confutat impietatem, ista mox subjicit de alio eorumdem errore.

De Priscillianistarum erroribus.

De ciborum delectu.

Integre servanda forma baptismi.

8. *De baptismo quoque solemniter adimplendo, similiter quid Apostolica vel sanxerit, vel observet auctoritas, in subjectis tua Caritas evidenter agnoscet. Illud autem novelli esse judicamus erroris, quod cum in fine psalmorum ab omnibus catholicis ex more dicatur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Quamvis ergo ipsa nos ratio evidenter edoceat, quia subducta una syllaba, personam Filii, & Spiritus Sancti unam quodammodo esse designent; tamen ad errorem talium convincendum sufficit, quod Dominus Jesus Christus designans in invocatione Trinitatis credentium debere baptisma celebrari, dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ergo cum non dixerit: In nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti, sed*

ſed æqualibus diſtinctionibus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum juſſerit nominari, conſtat illos omnino a doctrina dominica deviare, qui aliquid huic voluerint confeſſioni derogare. Qui ſi in errore permanſerint, ſocii nobis eſſe non poſſunt. Hæc cum damnet Vigilius, ſi quis cauſam hujus erroris indagare voluerit, conſulat citatam ſuperius S. Leonis Papæ epiſtolam ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem eodem argumento, nempe contra Priſcillianiſtas in Hiſpania commorantes conſcriptam. Quod autem una ex parte ob Priſcillianiſtas, altera vero ob Arianos, Arianis Principibus in Hiſpaniis regnantibus, Hiſpana anguſtiaretur Eccleſia, Catholicis adverſus utramque peſtem fuerunt remedia conquirenda: Vigilius iſta de Apoſtolico fonte, quæ a majoribus tradita reperit, petenti propinat: *De his etiam*, inquit, *qui baptiſmatis gratia ſalutaris accepta apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis ſunt morte demerſi, quid per ſingulos ordines, vel ætates anteceſſorum noſtrorum decreta cenſuerunt, quæ multiplici ſunt digeſta ratione, e noſtro ſcrinio revelata capitula his ſubjecta direximus. In quibus tamen illud ſpeciali caritate etiam convenit obſervari, ut quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas illa ſubrexit, in æſtimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per ſuas Diœceſes relinquatur, ut ſi qualitas & pœnitentis devotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio ſit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem Sancti Spiritus, operatur, ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus adquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur.* Poſt hæc autem ſubjicit de eccleſiis dedicandis, quando nempe ſolemnis deberet in eis dedicatio iterari, vel fieri reconciliatio cum Miſſis, vel tantum aqua benedicta ædes fuerint conſpergendæ. His addit de tempore Paſchatis celebrando his verbis: *Paſcha vero futurum nos, ſi Deus voluerit, XI. Kal. Majarum die celebraturos eſſe cognoſcite.* Subdit & de ordine precum, qui ſervari ſolitus eſſet ab Eccleſia Romana in celebritate Miſſarum ex Apoſtolica traditione; nam ait: *Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum, nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum, ſed ſemper eodem tenore, oblata Deo munera conſecrare. Quoties vero Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula capitula*

[Margin: De pœnitentia iis imponenda, qui bis baptiſmum ſuſceperant.]

[Margin: De die Paſchatis.]

JESU CHR. AN. 538. *tula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalia celebramus: cetera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius canonicæ precis textum direximus super adjectum, quem (Deo propitio) ex apostolica traditione suscepimus. Et ut caritas tua cognoscat, quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, paschalis diei preces similiter adjecimus.* Et post exhortationem ad Fidem Catholicam illibate servandam, hæc de missis reliquiis jungit: *Significatur etiam beatorum Apostolorum, vel martyrum (sicut speramus) sancto nos affectui tuo direxisse reliquias, præsumentes fidem vestram eorum deinceps plenius esse meritis adjuvandam.* Et post aliqua de baptismi forma corrupta in integrum restituta, de Romanæ Ecclesiæ primatu, & auctoritate supra ceteras nonnulla addit. *Ipsa namque*, ait, *Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia causarum, eidem S. Sedi reservata esse liquet: præsertim cum in his omnibus ejus semper sit expectandum consultum, cujus tramiti si quis obviare tentaverit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo, apud eamdem sanctam Sedem noverit redditurum. Data III. Kal. Julii, Joanne VC. Coss.*

Synodus Aurelianensis tertia.

9. Labenti anno celebritatem addidit Synodus Aurelianensis tertia, mense Majo celebrata, cui interfuere Episcopi novemdecim cum presbyteris septem ex omnibus Galliæ provinciis, quorum nomina ibidem leguntur. Synodo Lupus Lugdunensis Episcopus præfuit, atque his verbis subscripsit: *Lupus in Christi nomine ecclesiæ Lugdunensis Metropolitanus Episcopus, juxta id quod omnibus Sanctis Coepiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, Patrum statuta secutus his constitutionibus subscripsi. Not. die nonarum mensis tertii quarto postcons. Paulini Junioris VC., anno XXVII. Regni Domini Childeberti Regis*, sic ex probatissimis monumentis eam notam restituit Sirmondus, unde tempus synodi consularis nota, & annus 27. Childeberti hunc annum indicant. Ad tuendam ecclesiæ disciplinam canones triginta tres ediderunt Aurelianenses Patres, quorum hæc summa est.

Aurelianensis synodi summa canonum.

Primo synodum singulis annis celebrari statuit a Metropolitano:

tano: quem suspendit a sacris, si intra biennium non convocaverit: Episcopos etiam, qui absque causa absfuerint, eidem sententiæ subjicit. 2. Clericos conjugatos, idest Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, qui continentiam non servaverint, ab Officio deponit, & ad laicam Communionem detrudit; Episcopum vero, qui ipsos ad ministerium admiserit, suspendit ab officio ad tres menses. 3. De ordinationibus Episcoporum statuit Metropolitanos a Metropolitanis omnibus, si fieri potest, præsentibus comprovincialibus ordinari, cum consensu Cleri, & civium: Comprovinciales vero cum populi, & Metropolitani consensu, secundum decreta Sedis Apostolicæ, & priorum Canonum statuta. 4. Familiaritatem extranearum mulierum cum Clericis prohibet: Episcopos, vel Clericos, hac in re Canonum transgressores triennii excommunicatione mulctat. 5. Oblationes collatas Basilicis in civitatibus constitutis ad potestatem Episcopi redigit, qui pro sua prudentia statuat, quid in Basilicæ reparationem, quid in alimoniam Clericorum in ea ministrantium cedere debeat. Oblationes vero Ecclesiis pagorum collatas, secundum locorum consuetudinem administrari permittit. 6. Renovat Canones antiquos prohibentes ne Neophyti, ætate juniores, bigami, pœnitentiam professi, semicorpore, idest, deformiter parvi, vel gibbosi, vel claudi, vel manii, & arreptitii, promoveantur ad ordines. Episcopos autem, qui hujusmodi homines ordinaverint, per annum integrum a Sacris suspendit. 7. Clericos, qui cum uxores non haberent ordinati sunt in legitima ætate absque ulla reclamatione, si postea uxores duxerint, cum uxoribus a communione pellit: si inviti, vel reclamantes ordinati fuerint, Officio, non communione privat. 8. Minores Clericos, qui ante ordinationem ex concubina filios susceperunt, eaque mortua duxerunt uxorem, aut vice versa, primum uxorem duxere, deinde concubinam, ab officio non removet, si per ignorantiam sunt ordinati, sed ulterius ordinari vetat. Concubinarum nomine hic non sunt intelligendæ fœminæ assumptæ ad tempus, libidinis explendæ causa, quæ in Concilio passim anathemate feriuntur, & dimitti jubentur: sed fæminæ conjugatæ sine dotalibus instrumentis.

Clerici incontinentes deponuntur.

S. Leo in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem.

10. 9. Qui nuptias incestas contraxerant ante baptismum excusat, nec eorum conjugia solvit. In posterum autem obser-

Ecclesiæ auctoritas in nuptiarum impedimentis.

JESU CHR. AN. 538. servari statuit ecclesiæ canones, ita ut nemo relictam Patris, fratris consobrinam, aut sobrinam, ducat uxorem. Qui id tentaverit, *quamdiu se non sequestraverint*, *a communione Ecclesiastica repellit*. 10. Matrimonia contra Canones contracta, Ecclesia dispensatione sua rata facit, contrahenda contra Canones irrita declarat. Unde probatur jus apponendi impedimenta dirimentia Matrimonio, ut Sacramentum est, Ecclesiæ soli convenire, non Principibus, ut *Launojus* contendit in opere: De jure Principum in Matrimoniis Christianorum. 11. Clericos Canonicos, ideft, in Canone seu matricula Ecclesiæ conscriptos, si Officium suum non impleverint, ex rebus Ecclesiasticis percipere stipendia prohibet. 12. Cavet ne facultates Ecclesiæ alienentur, alienatas aut in dispendium Ecclesiæ obligatas, ab injustis possessoribus revocari jubet. 13. Mancipiis Christianis in Judæorum servitio detentis prospicit: Christianos matrimonium cum Judæis contrahentes communione privat, donec separati fuerint: conviviis Judæorum inquinatos per annum excommunicat. 14. Missarum celebrationem in præcipuis solemnitatibus hora tertia inchoari statuit, ut Sacerdotes ad vespertina officia convenire possint. 15., Episcopum in Diœceses alienas, ad alienos Clericos ordinandos, vel Altaria consecranda irruentem, per annum a Missarum celebratione suspendit, his quos ordinavit, depositis. Clericis vero absque Episcopi sui litteris peregrinantibus communionem impendi vetat, secundum priores Canones. 16. Raptores Virginum sacrarum, aut Viduarum, communione privat ad exitum usque, Viatico in infirmitate dumtaxat concesso. Virginem aut viduam raptori consentientem pari pœna damnat. His communicantem Sacerdotem, anno integro a communione suspendit.

Præbendarum initia.

11. 17. Quod a Clericis ex Episcoporum decedentium munificentia possidetur, a successoribus auferri vetat: ut qui beneficiis hujusmodi gaudent, Officia Ecclesiæ, obedientiam, & affectum Sacerdotibus præbeant. Permittit tamen Episcopo rerum ita concessarum commutationem, absque Clericorum dispendio. Quæ vero ipse benemeritis contulit, contumacibus auferre potest. Hoc ex Canone perspicuum est, Episcopos Clericis concessisse agros, & prædia Ecclesiæ ad usumfructum, quoad viverent: quæ auferre ipsis Successor non poterat:

poterat, imo nec ipse qui concesserat, nisi contumaciæ rei essent. Quæ Præbendarum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ concessarum quædam fuerunt initia. 18. Permittit Episcopo, ut Clericos ab Ecclesia Cathedrali ad Abbatiam, Diœcesim sive Parochiam, aut ad basilicam Martyris translatos, aliqua parte fructuum prioris Beneficii frui sinat, si fructus ad honestam sustentationem sufficientes ex novis illis Beneficiis non percipiant. Si enim fructus posterioris Beneficii sufficiant, æquum esse censent Patres, ut nihil percipiat de eo, quod ante ex Ecclesiastico munere habebat. Quia facultas suscepti Monasterii, Diæcesis, vel Basilicæ, debet plena ratione sufficere. Notandum Clericos non ita fuisse ad Abbatiam translatos, ut Abbates essent, & Monachis præessent, sed ut Abbatiæ admiuistratores essent. Quæ administratio Clericis commissa, quædam erat Commendæ species.

Clerici Abbatiæ administratores.

12. 19. Contumaces Clericos, juxta priores Canones, laica communione mulctat, addita certa fiducia recipiendi gradum, si digna pœnitentia & supplicatione Episcopo satisfecerint; ita tamen ut consuetis stipendiis interim non priventur. Communio laica hic latiori modo usurpatur pro communione peregrina. Communio namque laica proprie dicta in ordinem Laicorum omnino redigebat Clericos, redeundi in Clerum spe sublata. 20. Permittit Clericis, qui se ab Episcopo suo injuste damnatos, aut durius exceptos putant, ut querimonias ad Synodum suas deferant. 21. Clericorum conjurationes in Synodis vindicandas decernit. 22. Eos, qui retinent rem Ecclesiæ, vel Episcopi, a Communione suspendit, donec facta restitutione, tam Ecclesiam, quam Sacerdotem reddant indemnem. A communione etiam excludit eos, qui oblationes defunctorum retinent, vel suas revocant. 23. Abbates, Presbyteros, cæterosque Ministros, res Ecclesiæ alienare, vel obligare vetat sine permissu & subscriptione Episcopi, sub pœna depositionis. 24. Benedictionem pœnitentiæ, idest, pœnitentiæ publicæ impositionem, juvenibus personis, aut conjugatis, nisi ex consensu partium, & ætate jam plena, non esse credendam statuit. Ratio est, quia Pœnitentiæ tempore continentia imperabatur. 25. Pænitentes ad sæcularem habitum, & militiam redeuntes, Viatico concesso, usque ad exitum excommunicatione plectit.

Communio laica.

13. 26, Servos ordinari vetat: qui ipsos ordinaverint, Epi-

Quæ opera Dominicis diebus prohibita.

JESU CHR. AN. 538. Episcopos, anni spatio a Missarum celebratione suspendit. 27. Deponit Clericos majores, usuram, aut negotiationem, proprio nomine, vel alieno, exercentes. 28. Ruralia opera diebus Dominicis illicita declarat, non quæ ad nitorem domus, vel hominis, vel præparationem victus pertinent, nec iis diebus iter agere cum equis, aut vehiculis prohibitum esse dicit. 29. E Missa discedere prohibet, antequam Dominica dicatur oratio, & detur benedictio ab Episcopo. Missam vero audire cum armis laicis prohibet. 30. Judæos a die Cœnæ Domini, usque ad Pascha inclusive, procedere inter Christianos, & eis misceri vetat. 31. Hæreticos qui Catholicum aliquem rebaptizaverint, a Judicibus puniendos esse admonet. 32. Mutua prohibitio fit Clerico, & Laico, ne alter alterum ad seculare judicium vocet inconsulto Episcopo. Non ita severa fuerat præcedentium conciliorum disciplina, quæ Clerico permiserant, ut pulsatus apud secularem Judicem responderet. (*Agathense Canone* 32., *& Epaonense Canone* 11.) De litibus, quæ sive a Clericis in laicos, sive a laicis in Clericos agitabantur, moneri, & edoceri suadent, ut eas in ipso exordio componere conarentur. 33. Antistites, qui eos canones violaverint, reos futuros declarat, quia canones suos nec ignorare, nec violare cuiquam licitum erat. Ex his autem Episcopis, qui huic synodo subscripserunt, novem Sanctorum catalogo inscripti sunt.

Missæ auditio

Timotheo Alex. Episcopo Theodosius, & Gajanus Eutychiani succedunt. *Liberat. brev. pag.* 141.

14. Cum Eutychianorum factioni nunc palam, nunc occulte patrocinaretur Theodora Augusta Justiniani uxor, fieri non poterat, quin Orientalis ecclesia hæresibus, & schismatibus undique obrueretur. De Alexandrina ecclesia narrat Liberatus, quod Timotheo hæretico defuncto, *qui Dioscoro juniori successerat*, quem annos 17. Nicephorus, & Theophanes in chronico, Eutychianis præfuisse, ac Joanne Coss. obiisse narrant, idest hoc anno, ut etiam Victor in chronico, & auctor historiæ Patriarcharum Coptitarum apud Renadotium, eo itaque defuncto, *Studio & promissione Cotolychi cubicularii perversi, ordinantur uno die Theodosius, & Gajanus partis Theodoræ Augustæ*, ait Liberatus, *Theodosius ordinatur, qui licet haberet cleri decretum, contradicere volentibus non permisit certamen populis: monachi, quos non habuit, pro Gajano fuerunt. Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum, qui Defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, ma-*

Renadot. hist. Patriarch. Alex. p. 132.

manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis accipere collo suo beati Marci pallium, & tunc legitime sedere: dum hæc Theodosius nocte pertentat, cognoverunt Populi, & monasteria, quid esset factum vespere in episcopio, studio Calotychii, & judicum, idest, Aristomachi Ducis & Dioscori Augustalis: mox Theodosio persecuti sunt, & expulerunt, ne colligeret funus Timothei. Intronizaverunt autem Gajanum, qui fuit tunc Archiepiscopus ex parte assertorum incorruptibilitatis, habens autem consentaneos aliquantos ex Clero, & possessores Civitatis, & corporatos, & milites, & nobiles, & omnem provinciam, permansit ita Gajanus in Episcopatu dies centum tres, posthæc a judicibus pulsus abscessit. Et post menses duos Narses cubicularius missus ab Augusta Theodora, Theodosium quidem intronizavit, porro Gajanum misit in exilium, qui adductus Carthaginem magnam, & inde quasi Sardiniam directus, quid de eo contigit, ignoratur. Mansit autem Theodosius in sede annum unum, & menses quatuor, paucis ei communicantibus: plurimi enim communicabant ad nomen Gajani.

JESU CHR. AN. 538.

16. Hæ quæstiones de corruptibili, & incorruptibili Severum inter, & Julianum Alicarnasseum Episcopum motæ jam fuerant sub Bonifacio 2., ideft circa annum 531. Liberatus ubi de his locutus est, capite sequenti addit: *Dum hæc Alexandriæ aguntur, defuncto Bonifacio Papa Romano, Joannes cognomento Mercurius Sedis Apostolicæ suscepit Præsulatum.* Quomodo autem, quave occasione exortæ sint, his verbis narrat: *Sub isto Timotheo de corruptibili, & incorruptibili apud ipsam ecclesiam quæstio mota est hoc modo. Requisivit quidam Monachus Severum, cujusmodi oporteret dicere Corpus Domini nostri Jesu Christi corruptibile, an incorruptibile. Ille respondit ei, Sanctos Patres corruptibile illud dixisse. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cum requisissent Julianum in alio loco sedentem, quid & ipse diceret de eadem quæstione, ille dixit sanctos Patres contraria dicere. Horum itaque singuli statuere responsum proprium volentes, scripserunt libros adversus alterutrum, qui venientes in multitudinem civitatis, ecclesiam illam diviserunt, & alios quidem fecerunt corrupticolas appellari, alios, nimirum incorruptibilis assertores, Phantasiastas; Timotheus vero magis sententiam Severi secutus est. Huic cum diceret Themistius Diaconus ejus:*

Quæstio exoritur de corruptibili corpore Christi.

Liberat. breviar. cap. 19.

JESU CHR. AN. 538.

Si corpus Christi corruptibile est, debemus eum dicere & aliqua ignorasse, sicut de Lazaro: hoc Timotheus negavit dicendum, a cujus communione Themistius desciscens, schisma fecit, & ab ipso dicti sunt in Ægypto Themistiani.

Quis Corrupticolarum error esset.

17. Incorrupticolarum autem error in eo potissimum erat, ut dicerent, corpus Christi natura sua incorruptibile fuisse, ita ut sola voluntate, & œconomia, cibo potuque, vel requie, ad reficiendas vires, uteretur, non necessitate naturæ; atque ita incorruptionem, quam vel resurgendo obtinuit, vel quam ex privilegio Christi corpus promeruit, ut corruptioni non subjaceret, naturæ tribuerent, ne duas in Christo naturas unam corruptibilem, alteram a corruptione alienam fateri cogerentur: sic quæstionis statum exponunt Nicephorus lib. 17. cap. 29. & Leontius de sectis actione 5. quorum errorem dissertatione singulari confutat Natalis Alex. in panoplia seculi sexti differt. 6. pag. 326.

Agnoitarum hæresis.

18. Theodosius vero Alexandrinus Episcopus, cum sua sede pulsus, ut ex Liberato audivimus, privatus Bizantii degeret, a suis ipsis divisus est: quomodo id acciderit Leontius scholasticus nos docet: *Cum autem privatus Bizantii Theodosius degeret, Agnistarum (sic ab ignoratione dictorum) dogma motum fuit; nam quia Dominus ait, neminem horam judicii scire, ne filium quidem, extra solum Patrem, quæsitum est, an Christus eam ignoraret ut homo. Theodosius Christum ignorare negabat, & adversus Agnoitas scripsit. Alii vero Christum horam ignorare tradebant, quemadmodum ipsum dolorem sensisse diximus. Inde divulsi sunt a Theodosio, qui Agnoitæ vocantur, cumque peculiarem sibi fecissent Ecclesiam, seorsum communicabant.* Sed adversabatur Agnoitis Theodosius, utpote Severianus, Agnoitisque contrarius.

De Jacobitarum origine, & hæresi.

19. Qui vero a Theodosio, Theodosiani sunt appellati, eosdem postea a Jacobo propagatore, Jacobitas dictos fuisse scimus. Auctor Historiæ Armenorum, apud Galanum testatur schisma apud Armenos introductum fuisse a Nierse Arcdacharensi, 21. Patriarcha Armenorum post Sanctum *Gregorium Illuminatorem* appellatum, & *Nierfen* istum Episcoporum Concilium apud Urbem *Thevim* convocasse, in quo decretum fuit, unam in Christo esse Naturam. Nam *Jacobus Syrius* mortiferum suæ impietatis venenum apud Syros superiores, Armenosque evomuerat. Porro annum su-

scepti

ſcepti ab *Armeniis* Schiſmatis nos edocet Photius in epiſtola ad Zacchariam Armenorum Patriarcham a Galano citata, in qua poſtquam dixit, Armenos ob perſecutionem, qua tunc temporis exagitabantur, ad Concilium Chalcedonenſe venire non potuiſſe, ſubjungit: *Nec tamen proinde contrarium quidquam ei oppoſuere, ſed omnes ſuſceperunt illud uſque ad Schiſma Thevinenſis Conciliabuli, per annos octoginta quatuor, videlicet ab anno ſecundo Marciani Imperatoris uſque ad decimum Juſtiniani, & ſextum Nierſeſis Aſchacharenſis*. Annus 2. Marciani anno Chriſti 452. deſinit; annus vero X. Juſtiniani Kalendis Aprilis anni ſuperioris. Jesu Chr. an. 538.

20. Ita quidem Severiani omnes hoſtes Concilii Chalcedonenſis, inter ſe ipſos, more hæreticorum pugnarunt, ut plane acciderit, hoc veluti portento quodam, ut bellua ſine capite Acephalorum hæreſis dicta, eadem pluribus prodierit armata capitibus inter ſe pugnantibus: nam ex eis primum ſurrexit caput Severus, ex quo denominati ſunt Severiani, ex hoc vero plura alia capita pullularunt, nempe Gajanus, ex quo Gajanitæ; Theodoſius, ex quo Theodoſiani; Jacobus, ex quo Jacobitæ; Themiſtius, ex quo Themiſtiani; numerat adhuc aliud caput Joannes Damaſcenus, nempe Barſacium, ex quo Barſaniani, ſive Semidalitæ, de quibus ait: *Hi cum omnia Gajanorum, & Theodoſianorum decreta defendant, aliquid tamen præterea addiderunt de ſuo, ſymbolis Dioſcori relictis, ut a reliquis Dioſcori ſectatoribus naſcerentur*. Adverſus has peſſimas Severi propagines Euthymius diſputat, idemque teſtatur adverſus Theodoſianos Anaſtaſium Sinaitam ſcripta edidiſſe, de quibus plura apud Aſſemannum videri poſſunt. Acephalorum capita multa. *Aſſem. biblioth. Orient. tom. lib.*

21. Acephalorum gregi adſcribendus eſt Joannes Grammaticus Alexandrinus, Philopponus dictus, qui cum eis unam tantum in Chriſto naturam confitebatur, etſi Acephalorum ſectæ ſe in ceteris adverſari gloriaretur, qui etiam Tritheitarum Princeps dictus eſt, utpote novæ auctor ſectæ, de quo hæc Leontius. *Hoc eodem tempore adhuc degente Theodoſio Bizantii, denuo motum fuit dogma Tritheitarum, cujus ſectæ Princeps Philopponus fuit. Quoniam enim objiciebat Eccleſiæ, ſi duas in Chriſto naturas diceret, neceſſario eſſe duas hypoſtaſes confeſſuram. Reſpondebat Eccleſia: Si natura, & hypoſtaſis idem ſint, neceſſario quoque fatendum individuum; ſin* De Philoppono ſive Joanne Grammatico. *Leontius de ſectis act. 5.*

Jesu Chr. an. 538. *alind natura, alind hypostasis, quænam illa sortitio fuerit, ut naturas duas statuentes, omnino duas quoque confiteamur hypostases &c.*. Pluribus ipse invicem adversantia altercationum argumenta retexens, ita plane Philopponum ad oppugnandam veritatem catholicæ fidei ex deliramentis hæreticorum mutuatum esse arma demonstrat. Magnam quidem sibi gloriam Philopponus comparaverat, dum adversus Proclum Lycium pro christiana religione egregie scripserat. Verum ingenio suo abutens in hæresim incidit, ac adversus Chalcedonensem synodum scribens, ut adnotat Photius in Bibliotheca Cod. 55. negavit, ut tradit Nicephorus lib. 18. cap. 47 futuram Resurrectionem mortuorum, ut assereret, corpora nostra corrumpi secundum formam, atque materiam, & futurum interitum visibilis hujus mundi, & rursus novi mundi creationem alteram. Quin Photius Cod. 43. cum dixisset eumdem Philoponum *in Hexameron scripsisse contra Theodorum Mopsuestenum*, & cum Basilio Magno utplurimum convenire, Codice 23. addit se legisse: *Cononis, Eugenii, & Themistii adversus Joannis Philopponi de carnis Resurrectione deliramenta, invectivas, quibus acriter adeo ipsum insectantur, ut etiam omnino a Christiana fide abhorrere hominem affirment, licet in eo cum illo sentirent, quod nec ipsi reciperent Chalcedonense Concilium. Tum in Codice 24. ait Photius: Lectus liber Acta continens disputationis initæ coram Joanne Regiæ Urbis Episcopo, Justino imperante, inter Cononem, & Eugenium Tritheitas, & Paulum, ac Stephanum, qui & ipsi Hæsitantium de numero erant. Hic visuntur Conon, & Eugenius Philoppono patrocinari. Cum enim Paulus, & Stephanus ab ipsis postularent, ut Philoppono anathema dicerent, recusarunt &c.*. De Joanne Philoppono loquitur etiam Photius Codice 55. 75. 215., & 240., cujus opera plurima adhuc extant, sive edita, sive MSS. in bibliothecis, de quibus vide Odinum, & Dupinium, quem ad annum 608. vixisse Dupinius asserit, non vero 708., ut typographi errore legitur. Certe ad hujus seculi finem superstes fuit, cum Georgio Pisidi, qui de Heraclii gestis scripsit, coævus fuerit.

Dupin. secul. 8. pag. 40.

Hæreticorum infelix conditio.

22. Adversus hujuscemodi hæreticos ex Severo prognatos, & præcipue contra Philopponum hæreticum, scripsit Leontius monachus, & Gregorius Pisides Diaconus, atque Referendarius, teste Nicephoro, dum ait. *Cum plerique alii scriptis*

suis

suis ea oppugnaverunt, *tum Leontius monachus omnium maxime egregium librum triginta capitum contra illum conscripsit*, *quo simul & haresim eam prorsus evertit*, *& piam nostram sententiam valde confirmat*. *Post hunc & admirabilis ille Diaconus*, *atque referendarius Georgius Pisides aequalis sive coaetaneus illius*, *quamvis aetate aliquanto junior*, *jambis pulcherrimis*, *quos scribere consueverat*. Contra eamdem hæresim alii plurimi scripserunt: ex his teste Photio Ephreem Episcopus Theopolitanus, sive Antiochenus, qui egregio commentario perstrinxit Jacobum Severi discipulum, a quo Jacobitæ, ut diximus, originem & nomen trahunt, ibique adversus Baradatum, Eutychetem, & alios Trisagitas pugnavit. Idem Ephreem commentarium adlaboravit adversus eos, qui verba S. Cyrilli oppugnabant, quo & hæresim Severi apertissime confutavit, addiditque his tractatum adversus Anatolium Sebastenum, ac pro sanctissimo Chalcedonensi concilio apologiam. En in quos vepres, ait Baronius, atque dumeta, invia loca, scabra, abditosque recessus, per rupes, & præcipitia, præruptaque scopula immanium ferarum latibula incurrerint a recto fidei tramite aberrantes humanæ mentes. At non hic finis portentorum, alia adhuc prodierunt ex cornuta bestia capita, ut longe ista superet tricipitia conficta a Gentilibus monstra, vel septem capitum hydram: præter enim eas superius recensitas ex Severo progenitas hæreses, ad eumdem pertinere tradit Nicephorus Caucobabditas a loco quodam ita denominatos hæreticos, Angelitas etiam, & Damianistas, ita dictos ab Episcopis, & locis iisdem nominibus appellatis; nam Angelitas ab Alexandriæ loco, cui nomen erat Angelii, dictos tradit, quibus præterea addit, & Tetraditas, Petritas, atque Paulitas, quorum alii Petrum, alii Paulum Severianos, sed ab invicem dissidentes consectabantur.

JESU CHR. AN. 538.

23. Ad hæc tempora Erulorum natio catholicam fidem suscepit, Evagrius etenim Vigilii ordinatione narrata, sequenti capite subdit: *Sub id tempus Eruli*, *qui jampridem Imperatoris Anastasii temporibus Danubium trajecerant*, *benigne excepti a Justiniano*, *& maximis opibus ab eodem locupletati*, *universi simul christianam fidem amplexi sunt*, *& pristina vivendi ratione deposita*, *mansuetiorem cultum induerunt*. De horum conversione Theophanes, & Procopius agunt,

Eruli christiani fiunt. *Evag. lib. 4. cap. 20.*

Theoph. pag. Procop. de bello Goth.

JESU CHR. AN. 539. agunt, hic vero adnotat eos post susceptam Christi fidem, mores improbos vix emendasse, quod aliis etiam barbaris gentibus sæpius accidisse scimus, & dolemus.

JESU CHRISTI AN. 539. VIGILII PAPÆ 2.
JUSTINIANI IMP. 13. VITIGIS REGIS 4.

Mediolanum expugnatur a Gothis.

1. Annus Domini 539., Appio Coss. Orientali absque collega, toti Italiæ fatalis fuit, ob innumeras calamitates ex bello, & fame illatas, ita ut verissime dici possit, Græcorum adventum in Italiam, per quos e Gothorum tyrannide liberanda erat, ipsius excidium fuisse, ob diutinum bellum vario marte, mutuisque cladibus per plures annos prorogatum. Hoc quidem anno Belisario feliciter res cesserunt, nam inito consilio de pellendis ex Piceno Gothis, ut iter sibi ad occupandam Ravennam aperiret, post innumera pericula, Fesulas, Oximumque obtinuit: *Belisarius obsidens Oximum, septimo mense ingreditur*, ait Marcellini continuator, eademque Procopius; quinimmo Ravennam usque victor pervenit, quam sequenti anno triumphans ingressus est. At Mediolani expugnatio a Gothis hoc anno facta Belisarii victorias fœdavit. Sponte se Justiniano dederant Mediolanenses Dacio eorum Episcopo suadente anno 537. & modico recepto præsidio cum Mundilla Duce, non considerantes, si cum mille viris occurrere iis poterant, qui cum decem millibus ad eos veniebant, interitum sibi imprudentia sua pararunt. Nam Vitiges misso illuc Orejo Duce cum magnis copiis Mediolanum obsedit, quo cum soli trecenti Romani milites essent, tandem urbe potitus est, civibus ad internecionem pene deletis, murisque eversis: *Appio Coss. Gothi Mediolanum ingressi, muros diruunt, prædaque potiti, omnes Romanos interficiunt (scilicet cives) Mundillam, Paulumque Duces adducunt Ravennam.* Hæc summatim Marcellinus.

De Mediolanensi excidio.

2. Marius vero Aventicensis, qui idem excidium anno superiori, quo obsessa civitas fuit, refert, hæc addit: *Joanne Coss. Mediolanus a Gothis, & Burgundionibus effracta est, ibique Senatores, & Sacerdotes cum reliquis populis, etiam in ipsa sacra loca interfecti sunt, ita ut sanguine eorum ipsa altaria cruentata sint.* Rem fusiori stylo narrat Procopius, qui deinde epilogo cuncta stringens, hæc addit. *Mediolanum urbem*

Procop. de bel. Goth. lib. 2. cap. 21.

urbem autem solo æquarunt, viris omnibus, sine ullo ætatis discrimine, ad trecenta minimum millia, peremptis, & multatis libertate fœminis, quas Burgundionibus donarunt, præstitum auxilium remunerantes. Cum Præfectum Prætorio Reparatum ibi offendissent, conciderunt in frusta, ejusque carnes canibus projecerunt. Cerventinus, qui & ipse Mediolani erat, per agrum Venetum, ac vicinarum gentium oras in Dalmatiam cum suis profectus, inde ad Imperatorem se contulit, cladem hanc Romanorum ingentem nuntiaturus. Exin Gothi cæteris urbibus, quæ Romana præsidia habebant, deditione potiti, universam Liguriam recepere. Martinus, & Uliaris Romam cum exercitu reversi sunt.

3. Quanta autem fame infelix oppidum obsidionis tempore laboraverit, hoc uno exemplo constabit, quod Miscellæ auctor refert, ex Dacii Mediolanensis Episcopi testimonio: *Tanta siquidem per universum Mundum eo anno, maximeque apud Liguriam fames excreverat, ut sicut vir Beatissimus Dacius Mediolanensis Antistes retulit, plerasque matres infelicium natorum comederent membra.* Dacius autem Mediolanensium Antistes, biennio ante ad Belisarium profectus, paulo post Constantinopolim transiit, ubi per annos plurimos 15. circiter moratus est, ut ex libello Clericorum Italiæ legatis Francorum CP. anno 551. proficiscentibus dato, constat, quo inter cetera hæc leguntur. *Sed & in civitate Regia, maxime Sancto Episcopo Datio adesse cum Dei auxilio festinate, postulantes, ut eum post XV. aut XVI. annos ad suam ecclesiam redire concedat, quare Dacius ab anno* 537. *a sua ecclesia jam exulabat.* Quem fidei causa exulasse S. Gregorius tradidit, hæc adnotans. *Ejusdem quoque Principis tempore*, nempe Justiniani, *cum Dacius Mediolanensis urbis Episcopus, causa fidei exactus, ad Constantinopolitanam Urbem pergeret, Corynthum devenit. Qui dum largam domum ad hospitandum quæreret, quæ comitatum illius totum ferre potuisset, & vix inveniret, aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque sibi præparari ad hospitandum jussit. Cumque ejusdem loci incolæ dicerent, in ea tunc manere non posse, quia multis jam annis, hanc diabolus inhabitaret, atque adeo vacua remansisset, vir venerabilis Dacius respondit, dicens: Immo ideo hospitari in eadem domo debemus, si hanc spiritus malignus invasit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea*

Matres filios suos edunt.

Greg. Dialog. lib. 3. cap. 4.

Jesu Chr. an. 539. *ea sibi igitur parari præcepit, securusque illam, antiqui hostis certamina toleraturus, intravit: Itaque intempestæ noctis silentio, cum vir Dei quiesceret, antiquus hostis immensis vocibus, magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentum, porcorum grunnitus, stridores soricum. Tunc repente Dacius tot bestiarum vocibus excitatus, surrexit vehementer iratus, & contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit, miser tu ille es qui dixisti: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Ecce per superbiam tuam porcis, & soricibus similis factus es, & qui imitari Deum indigne voluisti, ecce (ut dignus es) bestias imitaris. Ad quam ejus vocem (ut ita dicam) dejectionem suam malignus spiritus erubuit. An non erubuit, qui eamdem domum ad exhibenda monstra quæ consueverat, ulterius non intravit? Sicque postmodum Fidelium habitaculum facta est: quia dum eam unus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus, atque infidelis abscessit.* Hæc S. Gregorius, reliqua de Dacio inferius dicenda reservamus.

Dira fames Italiam vastat

4. Quantum dira fames Italiæ provincias hoc anno vexaverit, Procopius harum calamitatum ocularis testis enarrat. Inter cetera: *Quamobrem Incolæ, relictis laribus, in Picenum migrarunt, inopiam rati non sævire illic extremam, quod maritima sit ea regio. Nec levius eamdem ob causam Tuscos vexavit fames, quorum quicumque in montibus habitabant, ex querna glande, frumenti instar commolita, facto pane, victum tolerabant. Hinc plerique (quod fieri necesse erat) morbis implicabantur omnis generis: nonnulli sospites evadebant. In agro Piceno non minus quinquaginta millia agricolarum Romanorum interiisse fame dicuntur; ac multo etiam plures ultra sinum Jonium. Quanam autem essent specie, & quo modo morerentur, ego testis oculatus jam referam. Omnes macies occupabat & pallor, nimirum caro, deficientibus alimoniis, se ipsa, ut veteri fertur adagio, esitabat, absumebatque, & bilis redundans, ac late jam dominans in corpore, illud colore pallido inficiebat. Invalescente malo, abibat succus omnis, & cutis perarida, corii speciem induebat omnino, ossibusque hærere videbatur. In nigro verso colore lurido, tædis erant perustis similes. Vultu semper attonito, & furiosis horrendum in modum oculis contuebantur. Hos inedia, illos lar-*

largius ingesti cibi vis necabat. Etenim nativo intestinorum calore extincto penitus, si quis ipsos ad satietatem, non paulatim, ut infantes modo natos, cibaret, escam illi jam non valentes concoquere, multo citius extinguebantur. Nonnullos, ut mutua inter se carne vescerentur, fames perpulit, ac ferunt, in agro quodam ultra Urbem Ariminium viros 17. *a duabus comesos fœminis, quæ in vico solæ restabant. Quippe hinc fiebat, ut illac habentes iter externi apud ipsas diverterent. Eæ vero hos secundum quietem occisos vorabant. Tandem hospes decimus octavus, cum illi manus hæ mulieres jam jam essent illaturæ, evigilasse fertur, atque ubi rem omnem solerter indagando ab ipsis expressisset, utramque interfecisse. Hoc ita gestum fama est. Quamplurimi, adigente famis necessitate, in herbam, sicubi forte esset, magno ruebant impetu, nixique impresso genu, conabantur eam humo avellere. Subinde autem, cum exhausti omnino viribus id nequirent efficere, in herbam atque manum procidentes, animam efflabant. Neque humo quisquam illos mandabat, siquidem nemo erat, qui rationem haberet sepulturæ. Nulla tamen avium, quas cadavera solent pascere, eos morsu fœdabat. Quippe quod appeterent nihil erat, carnibus, ut supra dixi, jam ante prorsus fame absumptis. Sed de fame hactenus* Procopius.

Duæ mulieres 17. homines edunt.

5. Tantis licet calamitatibus oppressa Italia, alia adhuc accessit ex Theodeberti Francorum Regis invasione, ita ut quod Gothi, vel Romani intactum reliquerant, Franci, & Alemanni consumpserunt, ac quod *residuum erucæ fuerat, comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Hoc Coss.* (Appione scilicet) ait Marius Aventicensis, *Theudebertus Rex Francorum Italiam ingressus, Liguriam, Æmiliamque devastavit, ejusque exercitus, loci infirmitate gravatus, valde contribulatus est*. Marcellini autem continuator, eodem consule: *Theudibertus Francorum Rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam, totamque deprædat Æmiliam, Genuam oppidum in littore Tyrreni maris situm evertit, ac prædat. Exercitu dein suo morbo laborante, ut subveniat, paciscens cum Belisario ad Gallos revertitur*. Rem gestam pluribus Procopius prosequitur, dum ait Theodebertum violato fœdere, quod cum Imperatore æque, ac cum Gothis inierat, cum centum millium militum superatis alpibus in Italiam intrasse, ac Liguriam subi-

Theodebertus Rex Franc Italiam invadit.

Marius Avent & Marcell. contin. in chron.

Procop lib. 2. cap. 25.

JESU CHR. AN. 539. subito veluti torrente occupasse. Horum adventus, Gothis in Piceno commorantibus, perjucundus primum fuit, eo quod ad sublevandam eorum fortunam falso sibi blandiebantur. Hinc ut Padum trajicerent libere permiserunt, eaque omnia, quibus venientibus opus erant obtulerunt. At mutata scena, eorum gaudium in luctum convertitur, nam Franci præsidiis eorum in potestatem redactis, uxores, liberosque Gothorum immolaverunt, eorumque corpora, quasi belli primitias in flumen projecerunt ex avita, quam nondum deposuerant, superstitione. Deinde multitudine sua freti, Gothorum castra aperta vi invadunt, ac incantos magna clade afficiunt; Gothi vero tanta accepta clade, castrisque ejecti, Ravennam versus præcipiti fuga contenderunt. Neque æquius cum Romanis Galli egerunt. Hi quippe cognita Gothorum fuga, Agmine facto progressi sunt, ut se cum Francis conjungerent, quos sibi auxilio advenisse putabant. Ubi vero in hostes se dilapsos sensere, in Thusciam transierunt. At Franci captis duorum exercituum castris, inventam ciborum copiam, cito in usus proprios consumpserunt, ac ulterius progressi, vastatis ubique ferro, igneque regionibus, eo inopiæ brevi adacti sunt, ut præter boves, & Padi aquam nil prorsus haberent, quos illico bovillis carnibus ingurgitatos alvi cruditas pervasit, quo morbo cum pars exercitus afficeretur, nec præ rerum inopia remedium aliquod adesset, tertia pars exercitus periit. Acceptis deinde Belisarii epistolis, quibus Theodebertus perfidiæ postulabatur, monebaturque ne Imperatorem iniquis armis lacesseret, cum Francorum suorum reliquiis domum rediit, cum nullum ex ea expeditione fructum percepisset. Quæ autem Procopius refert de immolatis hominibus, id de Alemannis sub potestate Theodeberti militantibus intelligendum est, de quibus agens Agathias adnotat: *Sunt etiam his patria quædam instituta: in Reipublicæ vero administratione Francorum politiam sequuntur, tantum in iis, quæ ad Deum pertinent, sententia variant, arbores enim quasdam colunt, & fluminum lapsus, & colles, & saltus, atque his tamquam justa facientes, equos, aliaque quamplurima resectis capitibus immolant*. Erat cum Theodeberto in hac expeditione Butellenus, seu Butilinus Alemannorum Dux. Diversos autem omnino utriusque gentis mores fuisse, his verbis adnotat Agathias: *Quotquot eorum Franci erant indigenæ*,

Francorum in Gothos crudelitas.

Agathias lib. 1. hist. pag.

Alemannorum crudelitas, & Idolatria.

Agath. lib. 1.

genæ, multam reverentiam, pietatemque circa templa exercebant, utpote rectam de Deo amplexi sententiam &c. Alemannica vero gens universa, aliter enim hi circa religionem sunt affecti, templa irreverenter despiciebant. . . . fundamenta subvertebant, cruoreque & sanie delubra circumfluebant. Hæc Agathias, qui alibi Francorum pietatem commendat.

JESU CHR. AN. 539.

6. Italiæ calamitatibus recensitis, ad eas, quibus Oriens præmebatur, oratio convertitur, quæ sane gravissimæ erant, ex præcipue, quæ ecclesiam vexabant. Anno 538. diximus, Alexandrinam ecclesiam diro schismate Gajanos inter, & Theodosianos dilaceratam fuisse, Constantinopolitana vero Menna, Anthimo substituto vix respirabat, Hierosolymorum etiam ecclesia Origenistarum factionibus jam a pluribus annis tota conflagrabat, quæ hoc loco sunt exponenda, & altius repetenda. Circa annum Christi quadrigentesimum eadem regio Origenis causa, variis tumultibus afflicta fuit, aliis Origenem defendentibus, aliis aversantibus, quæ quidem suo loco sunt dicta. Ea porro dissentio mortuis Joanne Hierosolymitano, Ruffino Aquilejensi, ac Melania seniori Origenis defensoribus, sopita videbatur; at seculo vix elapso, Origenismi secta reviviscens, non Palæstinam modo, sed Orbem pene universum in novas, difficilesque quæstiones involvit. De dissidii hujus auctore, & progressu, hæc adnotat auctor vitæ S. Cyriaci. *Novimus horum malorum quale fuit initium: qui cum non ignavum ad hæc ministrum invenisset Leontium Byzantinum, post Beati Patris nostri Sabæ excessum, continuo tetrum tunc morbum in compluribus Ecclesiæ locis clam disseminavit.* Cumque Sabas maximam lauram condidisset, in Monachorum rigidioris disciplinæ impatientium odium incidit, ideoque alio divertere compulsus fuit; at Eliæ Patriarchæ Hierosolymitani hortatu paulo post revocatus, suæ iterum Lauræ præfectus est. Verum illi, quos livor in sanctissimum virum urebat, agmine facto discedentes, prope torrentem Thecuæ dejectas olim cellulas restaurantes, alteram Lauram fundarunt, quam etiam Lauram novam nuncuparunt. Hos tamen rebelles Monachos Sabas pluribus beneficiis ad obsequium reduxit, Joanne viro spectatæ virtutis eisdem præposito, qui cum sanctissime demandatum munus per septennium obiisset, fatis concessit, quem morti proximum hæc dixisse ferunt: *Ecce veniunt dies, in quibus, qui præ-*

Origenismus in Palæstina reviviscit.

Vita S. Cyriaci, apud Cotel. monum. ecclesiæ Græcæ tom. 4.

Jesu Chr. an. 539.

Abbates novæ lauræ post S. Sabam.

præsentem locum habitant, deficient a recta fide. Joanni successit Paulus origine Romanus, sub cujus Præfectura Nonnus Palæstinus cum Leontio quodam Byzantino Monachus factus est. Erat Nonnus jamdiu Origenianæ scholæ paradoxis innutritus, statimque pessimum virus in reliquorum animos instillare cœpit. Cæterum Paulo regiminis pertæso, ac proinde vix sexto Præfecturæ mense exacto, sponte in Arabiam secessit, Agapetus vero Lauræ regimen assumpsit, qui Nonnum una cum aliis tribus Monachis e Laura expulit. Nonnus Elia Patriarcha anno 518., decima post Anastasii Imp. diem mortem, defuncto, Joannem successorem adiit, rogavitque, ut iterum Lauræ restitueretur; Joannes vero audita ab Agapeto facti causa in lauram iterum admisit.

S. Sabas implorat auxilium Justiniani adversus Origenistas.

7. Agapeto intra quinquennium extincto, succedente Mammante homine simplicissimo, Nonnus ac Collegæ intra novam Lauram admittuntur, *malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantem circumferentes, sed quem metu Sabæ non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere*, ut inquit Cyrillus Scythopolitanus in Vita Sancti Sabæ. Sed ficta cito in naturam suam redeunt, neque diu Nonnus prava dogmata dissimulare potuit, sed initio quidem clanculum, postea ubi plurimos sectatores se habere intellexit, metu omni deposito, Origenianæ doctrinæ Magister palam evasit, itaut non modo novæ Lauræ, sed & reliquorum Monachorum animos sectæ adjicere per emissarios curavit, ut liquet ex Vita Sancti Cyriaci. Cæterum Sabas meliores in orthodoxo dogmate continebat, & quo validiori impetu Nonni machinas frangeret, circa annum 528. corpore licet imbecilli, & ob senectutem jam in curvitatem declinante, (erat enim nonagenarius) ex Palæstina Constantinopolim ad Justinianum Imp. profectus, ejus opem contra Origenistas totam Palæstinam turbantes imploravit, & ut habet Cyrillus in ejus Vita, ita Imperatorem allocutus est: *Arii, Nestorii, & Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate, & ideo a tua potentia magnum est adhibendum studium, ut omnibus viribus ea tollas de medio, & tantum malum procul expellas. Hæc si feceris, bonam spem concipio, & in Deo confido fore, ut dives sequatur remuneratio, Romaque universa, & Carthago, & quæcumque amiserunt, qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui Imperii*.

8. Ha-

8. Hactenus dicta ante annum 531., qui Sabæ ultimus fuit, contigerunt. Eo mortuo non secus ac fluvius, qui ruptis aggeribus ubique locorum diffunditur, Origenis errores in Palæstina sparguntur, teste Cyrillo: *Postquam vero optimus pastor migravit hinc, ovile ejus ad angustias redactum est, quod ab imperito duceretur pastore. Nonnus enim, & sectatores ipsius obitu patris nostri Sabæ in occasionem arrepto, errores, quos in imo corde occultabant, divulgaverunt, nec non propinabant proximo subversionem turbidam, neque solum cunctos novæ lauræ peritiores ad impuram suam Hæresim attraxerunt, sed etiam eos, qui Martyrii monasterium & Firmini lauram incolebant, jam eorum patribus mortuis, Firmino, ac Sozomeno beatis, qui divini senis discipuli, & concertatores fuerant. Neque hoc tantum, verum etiam brevi tempore in maximam Lauram, cæteraque solitudinis monasteria, pravam valuerunt Origenis doctrinam spargere. Eodem porro tempore Domitianus monasterio Martyrii præfectus, & Theodorus cognomento Ascidas Neolauritarum Dux & Princeps, uterque Origenis lue affatim infecti, ad Constantinopolim navigarunt, ubi simulantes pugnare se pro Synodo Chalcedonensi, ex commendatione supra memorati Leontii Byzantini Eusebio Papæ adjunguntur, ac per eum piissimo nostro Imperatori. Atque dum hypocrisi plurima malam sententiam obtegunt, & prima intimaque libertate in palatio fruuntur, Domitianus quidem Galatarum regionis Episcopatu donatus est, Theodorus vero Cæsureæ Cappadociæ præsulatum suscepit. Inde Nonnus, & Nonnani majori potentia accepta, studiose ac vigilanter Origenica semina per totam Palæstinam dispersere.* Theodorus, ac Domitianus inter Nonni asseclas primi erant, qui postea ad sacras insulas evecti, Sabæ monachos multis malis affecerunt, ut testatur Cyrillus, qui earum calamitatum & testis, & particeps fuit. Theodorus a Liberato cap. 23. Origenis defensor vocatur, de Domitiano vero scribit Facundus: *Domitianus Ancyrensis civitatis Episcopus provinciæ primæ Galatiæ, qui fuit Origenianæ hæresis manifestus assertor.* Quæ deinde Nonnus, horum patrocinio suffultus præsumpserit, inferius dicemus, circa annum 543., quo hæc patrata sunt.

Validius Originistæ insurgunt.

Vita Sabæ tom. 3. Cotel.

Facund Herm lib. 1. cap. 2. de tribus capitulis.

9. Nunc clades, quæ Orientale Imperium concusserunt, videamus, sub hoc enim anno XIII. Justiniani Imperatoris Hun-

Clades Orienti illatæ per Hunnos.

JESU CHR. AN. 539. Hunnos quamplurimas provincias vexasse narrat Procopius, eosque ab Jonio sinu ad ipsa Byzantii suburbia omnia vastasse addit, castella in Illyrico 32. cœperunt: *Urbem Cassandriam, dictam olim, quantum intelligere possumus Potidæam, vi occuparunt, antea soliti murorum oppugnationibus abstinere, & cum opulenta præda captivorumque centum, ac viginti millibus domum omnes obsistente nemine remigrarunt. Postmodum etiam crebris eruptionibus Romanos attriverunt. In Chersoneso murum adorti, qui ad Sinum Melanem extructus est, eum qua mari alluitur superaverunt, dejectis propugnatoribus, itaque muros longos transgressi, facto in Romanos Chersonesi incolas nec opinato impetu, multos vita, reliquos fere omnes libertate privarunt. Nonnulli freto, quod inter Sestum, & Abydum est, transito, populati sunt Asiam, revectique in Chersonesum, cum reliquo exercitu, cunctaque præda patriam repetierunt. Altera irruptione Illyrico, Thessaliaque vastatis, cum ad Thermopylas manum oppugnandis mœnibus admovissent, a custodibus fortissime repulsi, dum viarum anfractus explorant, præter opinionem invenere tramitem, quo in montem illic eminentem evaditur. Hinc Græcis pene universis, præter Peloponnensios, deletis remearunt.* Hæc de Hunnorum incursionibus Procopius. His addit annuam pecuniam, sicut & Sarracenis, iis Imperatorem promisisse, ac ignominiosam pacem tributi præstatione redemisse.

Persicum bellum cum Romanis exurgit.

10. Levia hæc sunt, si cum iis comparentur, quæ sequentibus annis contigerunt, hoc tamen fieri cœpta, quando Chosroes Persarum Rex, rupto cum Romanis fœdere, Orientale Imperium invasit, ac cladibus attrivit. Hujus belli incentor Vitiges Gothorum Rex fuit, teste Procopio, variis enim cladibus affectus, Bachem Longobardorum Principem primo tentavit, ut arma adversus Justinianum converteret, promissa sive oblata ingenti pecunia; at cum ille, utpote Justiniano fœdere junctus, renuisset, ad Chosroem se Vitiges convertit, ac legatos misit, ut expeditionem in Romanos persuaderent. Hanc legationem obiere, *Ligures Sacerdotes pecunia ad id magna inducti*, quorum unus Episcopus, alter Sacerdos erat: suo itaque munere functi, Chosroi persuaserunt, ut adversus Romanos arma inferret. Placuit ergo Chosroi, *inferre primo vere Romanis arma. Erat autumnus, agebatque*

batque annum Imperii Justinianus XIII., inquit Procopius. Quot inde mala Orientali Imper. obvenerint, inferius dicemus.

Jesu Chr. an. 540. *Procop. de bello Pers. lib. 2. cap. 3.*

JESU CHRISTI an. 540. Vigilii Pp. 2.
Justiniani Imp. 14. Theodebaldi Regis 1.

De Justino Coss.

1. Insequens Christi annus, Justino consule, in fastis inscribitur. Fuit hic Germani Patricii filius, consobrinus Imperatoris Justini, ut scribunt Blicariensis in chronico, Procopius, & Marcellini continuator, unde admitti nequit Norisii sententia, dum Justinum hujus anni Coss. cum Justino Justiniani in Imperio successore confundit, quem ex sorore Justiniani natum fuisse scimus patre *Dulcissimo*, ut ex victoriano chronico constat: *Justinus junior, Vigilantiæ sororis Justiniani Augusti filius, patre Dulcissimo natus, cum tranquillitate populi magna Imperii sumit sceptra.*

Belisarius Ravennam occupat, ac Vitigem Regem captivum CP. mittit.

2. Hoc itaque anno, cum Belisarius Ravennam obsessam (ut anno superiori diximus) teneret, tandem in suam potestatem redegit, una cum Vitige Rege, regiisque spoliis. *Eo anno*, Justini consulatu ait Marius, *Belisarius Patricius, Vitigem Regem Gothorum de Ravenna captivum abductum, Constantinopoli* cum uxore, & thesauris Justiniano Augusto præsentavit, *& apud Marcellinum hoc eodem Coss.* Belisarius Ravennam ingreditur, *Regem Vitigem, & Reginam, cunctasque opes, Gothosque nobiliores secum ad Imperatorem revertitur.* Justinianus quidem, instaurato a Persis bello (ut diximus anno superiori) cum utrisque sustinendis impar esset, indigeretque adversus Persas Belisarii opera, per Dominicum, ac Maximum Gothis pacem obtulit, ea conditione, ut sibi cispadanas regiones cederent, ipsi transpadanas obtinerent, sed ne ea pax firmaretur, Belisarius obsistit, qui ruentem jam Gothorum fortunam, ac eorum Regem, regiasque opes Ravennæ inclusas, tamquam prædam sibi debitam intuebatur. Interea cum Gothos Ravennæ obsessos dira fames urgeret, Regnum Belisario obtulerunt. At tanto viro major virtus inerat, quam ut datam Imperatori fidem frangeret; prudentia tamen adhibita, Gothis vitam, fortunasque omnes concedit, cui sine mora Ravennam tradunt. Belisarius vero Vitigem honorifice custoditum servavit, Gothos agris excolendis vacare jussit, Regiam pœcuniam Imperatori deferendam destinavit,

Jesu Chr. an. 540.

vit, præsidia, urbesque a Gothis occupatas recepit, sicque finitum jam Gothicum bellum videbatur. At Gothi, ut Belisarium oblatum sibi Regnum respuere viderunt, alterum suæ gentis virum Regem sibi crearunt Hildebaldum; *Gothi transpadum residentes*, ait Marcellini continuator, *Orajo Vitigis nepote, & Heldebado ductantibus, Vitigem Regem cum Regina, opibusque Palatii, nec non & Gothos audientes sedibus propriis pulsos, Orientemque per Belisarium abductos, rebellare disponunt, regem sibi statuentes Hildebaldum*; at Hildebaldus Regnum cum vita anno proximo perdidit, ut ibidem dicturi sumus. Vigilius interea Rom. Pontifex, acceptis hoc anno a Justiniano, & Menna CP. Episcopo epistolis per Dominicum exconsulem, atque Patricium (fuit hic ex legatis ad Vitigem hoc anno missis) iis rescribens, cum legitimus jam in Petri cathedra sederet Pontifex, veluti novus homo, novas voces edidit, & consona Sanctis Patribus prophetavit, mutatus mira transformatione in virum alterum, nempe ex hoste in defensorem, ex persecutore in prædicatorem, ex blasphemo in Confessorem, itaut præ admiratione concini illud poterat, ait Baronius, vetus proverbium: *Num & Saul inter Prophetas*.

Vigilii epist. ad Justinianum Imp. *Tom.5.concil.*

3. Epistolæ autem Vigilii hæc est inscriptio. Gloriosissimo, & Clementissimo Filio Justiniano, Vigilius Episcopus: *Litteris Clementiæ vestræ, glorioso viro, filio nostro Dominico exconsule, atque Patricio deferente, assueta veneratione susceptis, jucunditate multiplici universali Ecclesiæ gaudendum esse perspeximus, quod Christianam fidem, qua divina Trinitas honoratur & colitur, in nullo dissimilem, in nullo permittitis esse discordem, & hanc clementissimo imperio vestro Dei, cui serviendo regnatis, & regnando servitis, gratiam indefessis cumulatis operibus, ut in his, quæ vobis pro integritate, & devotione fidei vestræ Dominus singulari pietate concessit, agnoscantur juste ac convenienter impleri, quam prædicationem docet Apostolus: Quia sancti per fidem vicerunt regna. Qualia enim regna plus armis fidei, quam corporea fortitudine viceritis, docet immensitas gentium subjectarum, quæ quanto major assurgit numero, tanto mystici solius perfecta operatione miraculi superatur. Unde nos in Domino nimium convenit gloriari, quod non imperialem solum, sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est*,

est, quod omnes Pontifices antiqua in offerendo sacrificia traditione depoſcimus, exorantes, ut catholicam fidem adunare, regere Dominus, & cuſtodire toto Orbe dignetur, ſummis hoc pietas veſtra viribus effecit; cum per omnes regni veſtri partes, & univerſos fines terræ, eam fidem, quam per venerabiles ſemper Chriſtianæ confeſſionis judicio complectendas Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, ſed & Chalcedonenſem ſynodos conſtat irreprehenſibiliter ſolidatam, inconcuſſa jubeatis pace ſervari &c.. Cetera, quæ in eamdem rem ſcribit, longum eſſet exſcribere, cum Juſtiniano, quod catholicam fidem teneret, ac tueretur, gratulatur, ac ut iis impenſe incumberet hortatur, & ut quatuor conciliis Nicæno, CPolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, ſicuti & litteris Cæleſtini, & Leonis Papæ adverſus Neſtorianam, & Eutychianam hæreſim ſcriptis, debitam reverentiam ubique exhiberi curaret, admonet; latam vero adverſus hæreticos ſententiam, & præcipue adverſus Severum Apamenſem, Anthimum, qui Conſtantinopolitanam eccleſiam prava ambitione pervaſerat, Zoaram, ſed & Theodoſium Alexandrinum, & Conſtantium Laodicenſem, atque Antonium Verſentanum, & Dioſcorum, eorumqne ſectatores, ſe ſubſcripſiſſe, ac confirmaſſe teſtatur. Hæc & alia ad Juſtinianum Vigilius Papa.

4. Epiſtola altera ad Mennam CP. Epiſcopum hoc eodem anno data, de rebus ad eccleſiam, & catholicam fidem ſpectantibus ad Imperatorem ſcripſiſſe narrat: *Neceſſarium tamen*, addit, *judicavimus, & caritati veſtræ per Chriſtianiſſimi filii noſtri Patricii Dominici perſonam ſcripta dirigere, quibus nos grandi exultatione & gaudio ſuſcepiſſe cognoſcite, quod Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem ſanctiſſimas Synodos, in quibus fidei orthodoxæ, atque Apoſtolicæ fundamenta monſtrantur, ſicut pollicitationis veſtræ tunc ad Prædeceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Agapetum lectio data teſtatur, inviolabiliter vos aſſeritis cuſtodire, & maxime beati Leonis prædeceſſoris noſtri ſequi in omnibus conſtituta*. Deinde poſt plurima: *De his vero, quibus te memorem libelli, quem ſuprafcripto prædeceſſori noſtro tradideras, & ſequentes Apoſtolicæ conſtituta doctrinæ in hæreticos inferius comprehenſos, ideſt in Severum Antiochenum, Petrum Apamenum, Anthimum quoque pervaſorem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & Theodoſium Alexandrinæ Civitatis,* Vigilii epiſt. ad Mennam. Tom.5.p.318.

JESU CHR. AN. 540. *nec non & Constantinum, atque Antonium Versentanum Eutychianæ hæresis, sed & Dioscorum, qui in Chalcedonensi synodo inter alios legitur fuisse damnatum, cum defensoribus, atque sequacibus, anathema dixisse cognovimus, in quibus non aliquid novum sententiæ olim a patribus decretæ junxisti, nec talibus præsulibus beati Petri Vicarii in auctores hæresum ipsarum data sententia penitus indigebat, quia qui damnatæ hæreseos sectator agnoscitur, non tantum ex novella lege, sed ex ipsa jam auctoris sui damnatione perculsus est, grate admodum & libenter amplectimur, & auctoritatis Sedis Apostolicæ, cui nos Deus præsidere voluit, interpositione firmamus, & universi eorum complices, vel omnes hæretici pari damnationis sententiæ subjacebunt &c.*, ita tamen ut pœnitentes ea conditione admitterentur, ut quatuor conciliis, & epistolæ S. Leonis ad Flavianum scriptæ subscriberent. Et manu Domini Papæ: *Deo juvante per ipsius gratiam Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ has schedas epistolarum suprascriptarum, quas ego, Deo juvante, dictavi, ipso auxiliante cognovi, atque subscripsi*. Et alia manu subscriptio Flavii Dominici patricii. *Flavius Dominicus vir clarissimus Comes domesticorum, exconsul, ac patricius, has schedas a beatissimo, atque Apostolico Papa Vigilio in causa fidei factas ad domnum nostrum Justinianum piissimum, & Christianissimum Principem, sed & ad Mennam virum beatissimum Constantinopolitanæ Archiepiscopum Civitatis relegens, conferens, consentiensque subscripsi, die XV. Kalendas Octobris, Justino V. C. Consule*. Porro Flavius Dominicus iste, qui hac ad Vigilium Papam legatione functus est, illum existimamus esse Dominicum, qui Præfecturam Prætorii agebat Illyrici, ut patet ex Novella 162.. Vides igitur, qualia quantaque ipso suæ Sedis ingressu Vigilius præstitit, ut nihil minus habuisse appareat ab omnibus sanctissimis prædecessoribus, nihil veritus Theodoræ Augustæ insidias, ad cujus nutum sciebat Belisarium Ducem exercitus cuncta movere, prout ex his, quæ in Silverium facta essent, poterat didicisse, quanto namque ista ipse tentaret periculo, optime conscius erat; verum fidei catholicæ causa etiam vitam ipsam prodigendam esse, si opus esset ex Petra, veluti grandi miraculo petræ soliditate percepta, jam firmiter mente conceperat.

5. Sed

5. Sed Persici belli strepitus ex Occidente in Orientem nos revocant. *Exacto enim*, inquit Procopius, *cum hyeme anno Imperii Justiniani Aug. XIII. Chosroes Cabadis filius magno instructus exercitu, Romanorum fines primo vere irrupit, pacem perpetuam aperte solvens*. Summatim tantum a Procopio narrata describimus. Surenorum urbem ad Euphratem sitam primo aggreditur, ubi Arsaces Præsidii præfectus fortissime pugnans, sagitta percussus interiit. Quare Romani Episcopum suum ad Chosroem deprecatorem delegarunt. At Chosroes Episcopum, ejusque munera benigne accepit, cives Suranos fefellit, urbemque ingressus eam solo æquavit, cæsis vel in captivitatem hominibus adductis. Aliquid tamen humanitatis postea præbuit; nam captivos Sergiopolim misit, ubi Candidus Episcopus erat, cui Chosroes Suranorum millia XII. ducentis aureis se mutuo daturum dixit. Cum vero eam pœcuniæ summam non haberet Episcopus, se eam anno sequenti daturum pollicetur. Expugnatis Surenis, Hierapolim Chosroes transiit, quem Magnus suppliciter rogavit, ut innocentibus parceret, hisque precibus instando obtinuit a Chosroe, ut mille pondo auri acceptis, Romanam ditionem a metu liberaret, & Antiochiam reversus Magnus, cives hortatus est, ut promissa pecunia, ab instante periculo se liberarent. Verum Justinianus, qui Imperatori a secretis erat, pecuniam hostibus numerandam negavit; quo imprudenti consilio maximam Antiochenis cladem peperit. Intellecto periculo Euphremius Episcopus, ac Germanus Dux, aliique fuga sibi consuluerunt. Chosroes autem adveniens ea urbe potitus, civibus ad internecionem deletis, civitatem flammis tradidit, Majorem tantum ecclesiam legatorum precibus redemptam salvam esse permisit. Suburbia quoque ab iisdem incensa, Procopius tradit, salvo dumtaxat S. Juliani templo, & conjunctis illi domibus, in quas legati ab Imp. missi diverterant. Hujus autem Antiochenæ civitatis cladis tempore accidisse creditur, ut inde Romam translatum fuerit corpus S. Ignatii ejusdem civitatis Episcopi.

JESU CHR. AN. 540.

Persarum adversus Romanos strages, & victoriæ.

Procop. de bello Pers. lib. 2. cap. 5.

6. Cumque extremum Romano Imperio excidium minaretur Chosroes, pax tandem cum eo ab Justiniano, & quidem cum maxima Romanorum ignominia firmata est, qua qninquaginta millia nummorum aureorum per singulos annos se daturos esse promiserunt, ut pluribus narrat Procopius,

Pax ignominiosa Romanis.

 qui

JESU CHR. AN. 540.

Procop. de bello Pers. lib. 2.

qui de his, quæ Apameæ acciderunt, hæc addit: *Post hæc, inquit, Chosroes cum Exercitu Apameam venit, ubi pars Crucis Dominicæ magnitudine cubitali visitur, ab homine Syro huc clam delata, quam oppidani magnam ejus loci tutelam esse existimant, ac venerantur, theca ei condita lignea, quam auro multo ac gemmis tectam sacerdotibus tribus custodiendam tradiderunt, insuper quotannis certa die adorant. Tunc itaque*

Lignum S. Crucis adoratur.

Apamensis populus, videns Persarum exercitum ad se venientem, in magna trepidatione fuere, Chosroemque audientes, ut minime promissis maneret, Thomam Urbis Episcopum adeuntes, rogaverunt Crucis lignum eis ostendi, ut eo viso, feliciter morerentur. Ille vero cum eis morem gessisset, spectaculum fieri contigit sermone, ac fide majus. Præsule enim id tenente, ignis jubar supra ferebatur, unde in templi tholo splendor præter solitum apparens, illum continuo circumeuntem sequebatur. Hucusque Procopius. Sed de liberatis virtute

Evag. lib. 4. cap. 25.

Crucis Apamensibus a Chosroe Rege Persarum, Evagrius, qui his interfuit, ista addit: *Eo autem parentes mei cum aliis convenerunt, meque id temporis ad scholam euntem secum duxerunt. Postquam vero nobis data fuit potestas honoratam Cru-*

Per Crucem Apameenses liberantur.

cem adorandi, amplexandique, Thomas sublatis manibus, lignum Crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum Sanctuarium circumiens (ut satis adorationis diebus fieri solebat) omnibus ostendit, ac Thomam de loco ad locum progredientem ingens flamma ignis splendentis non ardentis sequebatur. Quæ res salutem, quæ postea Apamensibus contigit, significavit. Ob quam causam imago in testudine Sanctuarii statuta fuit, quæ inscriptione in basi incisa hoc miraculum illis, qui ejus rei ignari essent, commonstravit. Hæc de miraculo Evagrius, qui de eodem Episcopo Thoma ista

De Thoma Episcopo Apameæ.

præmisit: *Thomas autem non doctrina modo, sed recte factis etiam præstantissimus, qui forte una cum Chosroe certamen equorum in Circo spectare (licet hoc Ecclesiæ Canon vetaret), neutiquam recusavit. Quod propterea ab eo factum est, uti omnibus modis Chosrois furorem molliret, mitigaretque. Quem percunctanti Chosroi, vellet ne eum in sua videre civitate? Respondisse ferunt vere & animo, nolle lubenter eum ibi videre. Quod ejus dictum Chosroem admiratum esse, hominemque veritatis causa (uti merebatur) admodum amplexatum.* Hæc Evagrius.

7. Ad

Jesu Chr. an. 540.

Barcinonense concilium ejusque canones.

7. Ad hunc annum conciliorum editores Barcinonense concilium, quod certam temporis notam non exhibet, alligant, quo Patres sic præfantur. Cum convenissent in Dei nomine Barcinone Sancti Episcopi, idest Sergis Metropolitanus, Nembridius Barcinonensis, aliique numero quinque, decem canonibus hæc observanda statuerunt. Primo, *ut psalmus quinquagesimus ante canticum dicatur*. 2. *Ut benedictio in matutinis, fidelibus sicut in vespera, tribuatur*, quod etiam Agathense concilium can. 30. statuerat. Cur autem dubitaretur, an populo in matutinis officiis impertienda esset benedictio, sicuti in vespertinis fiebat, ea fortasse ratio suadebat, quod solum benedicendi videbantur fideles cum dimitterentur, sicuti Discipulis Christus benedixit, cum eos a se dimitteret, dum in Cœlum elevaretur, cum vero post matutina officia, iterum ad missam redeundum esset, ideo quibusdam congruum videbatur, ut in missa tantum, vesperisque populo benediceretur. 3. *Ut nullus clericorum comam nutriat, aut barbam radat*. 4. *Ut Diaconus in consessu presbyteri non sedeat*. 5. *Ut Episcopo præsente orationes Presbyteri in ordine colligant*. 6. *Pœnitentes viri tonso capite, & religioso babitu utentes, jejuniis, & obsecrationibus vitæ tempus peragant*. 7. *Ut pœnitentes* epulis non intersint, nec negotiis operam dent in datis, & acceptis, sed tantum in suis domibus vitam frugalem agere debeant. 8. De his qui in infirmitatibus poscunt pœnitentiam, & a Sacerdote accipiunt, si postea convaluerint, plenam pœnitentiam peragant, excepta manus impositione, segregati a communione, quamdiu probabilem Sacerdos eorum approbaverit vitam. Pœnitentia de qua hoc canone agitur, ut Alphabineus conjicit, non erat castigatio peccatorum, sed religiosæ vitæ quædam professio, ideo impositioni manuum, qua pœnitentes subjiciebantur, non subjacebant. 9. *Jubemus vero in infirmitate positis, beaticam*: alii (Viaticam) benedictionem percipiant. Decimo: *De monachis vero id observari præcipimus, quæ synodus Chalcedonensis constituit*.

Concil. tom. 5. pag. 378.

JE-

Jesu Chr. an. 541.

JESU CHRISTI an. 541. Vigilii Papæ 4.
Justiniani Imp. 15. Evarici Regis 1.

Justinianus privatos a consulari dignitate excludit.

1. Annus Christi quingentesimus quadragesimus primus Basilii junioris sine collega consulatu notatur, quem Romanum fuisse eruditi conjiciunt, & quidem ex Deciana familia: id etiam singulare in ejusdem consulatu notatur, quod ex privatis ultimus fuit, qui eam dignitatem obtinuerit. Imposterum enim novi Imperatores purpuram induentes, perpetuum veluti consulatum gesserunt, qui fastis addebatur, sic exempli gratia: *Anno primo consulatus Justini junioris Augusti*, ut habet Aventicensis in chronico, & chronicum Alex. *Tiberio Juniore Constantino Augusto primum consule, vel Mauritio Tiberio Augusto primum consule*. Aliquando tamen hæc formula adhibita fuit postconſ. Basilii, ut Marii chronicon, & Alexandrinum nos docent. Cur autem Justinianus hanc per consules numerandi annos notam, sui antiquitate venerandam sustulerit, in dubio est. Baronio placet (nec sua deest conjecturæ vis), id Imperatorem jussisse, ob immoderatas expensas, quas in consulatus dignitate obtinenda fiebant, cujus rei causa Marcianus Augustus lege lata vetuerat, ne consules in populum pecunias spargerent. Justinianus vero lege altera anno 536. edita, ne aurum ea occasione spargerent, jussit. Sed cum neque his limitibus se contineret humana superbia, privatos imposterum consulatum inire prohibuit. Qua de re graviter a Procopio Justinianus vapulat, dum ait: *Singulis annis duo Romani consules creabantur; Romæ quidem alter, alter Bizantii, ad eam dignitatem vocato in publicam rem amplius bis mille auri pondo erant insumenda, de suo quidem pauca, plurima de publico ex Imperatoris largitate. Ceterum illud est cum ad ea, quæ dixi, munera exhibenda, tum in egenos, tum præcipue in scenicos actores erogatum, mirum quantum Civitatibus rem sustentavit. Postea vero quam obtinuit Justinianus Imperium, haud est his rebus statutum tempus, diu quis multumque Consulatum gerit, vel non est omnino Comitia videre Consularia. Quare extrema mortales oppressi sunt egestate, simul consueta subditis Cæsare negante, simul eos locis, modisque omnibus deturbante fortuna*. Sed de his hactenus.

Procop. hist. arcan. cap. 26.

De sublato consulatu Procopii judicium.

2. Hoc

2. Hoc eodem anno Bizacenum in Africa concilium celebratum fuit, cujus acta perierunt. Ejusdem memoria extat in Justiniani rescripto ad concilium dato, cum etenim Bizaceni Episcopi petiissent a Justiniano, ut Africanæ ecclesiæ privilegia confirmaret, eorum votis annuens, hæc rescripsit. *Imp. Justinianus Alemannicus, Gothicus. Daciano Metropolitano Bizacii, & omni concilio Bizaceno. Restitutus, & Heracleus reverendissimi viri omnium quodammodo vestri Concilii Sacerdotum non relationem tantum, sed suam visi sunt attulisse præsentiam, relucebat namque in eis puritas vestræ auctoritatis & vitæ. Non solum Ecclesiasticis causis, sed totius provinciæ utilitatibus præfuerunt, dicentes quibus jam beneficiis gaudeatis, & quæ a nostra sunt mansuetudine conferenda. Unde precibus eorum summa cum benignitate susceptis, ad universa respondimus, & quantum apud nos eorum legatio valuit, ipsa testatur exhibitio præstitorum. Quæcumque igitur ad privilegia vestra, vestrique Concilii pertinent, juxta veterem firmamus disciplinam. Orate igitur divinam misericordiam, ut & nos Reipublicæ, & ipsam nobis servet incolumem, & quos a jugo subripuimus Vandalicorum, ultro florem felicitatis antiquæ (sicut volumus) erigamus. Data pridie Nonas Octobris, Constantinopoli, Imperii Domini nostri Justiniani Aug. anno XV.* Rursum vero ad eumdem Dacianum, anno sequenti, lege altera jussit, ut ecclesiæ veneranda statuta integra servarentur, ita ut: *Si quid igitur Metropolitano Carthaginis, vel Primatibus Numidiæ, vel Bizacii Conciliorum auctoritas præstitit, & inoffensa consuetudo servavit, hoc sibi quisque optet, sibi vendicet, hoc nostra sperent sanctione firmari. Nos tutores tantum sumus vetustatis, & vindices &c.*. Vidisti lector, quantum deferat Imperator sacris Conciliorum Canonibus, quorum se custodem & vindicem profitetur, atque ad hoc se de illis leges sancire, non ut confirmet, secundum alia ab eodem Imperatore in aliis editis constitutionibus sæpius repetita. Unde lege altera hoc anno data de Episcoporum, aliorumque clericorum vita hæc præfatur: *Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum Canonum, & divinarum Legum custodiam, quæ super salute nostrarum animarum defini-*

Jesu Chr. an. 541. Justiniani ep. Daciano Episcopo, aliisque Episcop. Bizacii congregatis.

De sanctorum canonum observantia.

JESU CHR. AN. 541. *finitæ sunt? Qui enim Sacros Canones custodiunt, Domini Dei adjutorio digni sunt, qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos judicio reddunt obnoxios. Majori igitur condemnationi subjacent sanctissimi Episcopi, quibus concreditum, & commissum est, & Canones inquirere, & conservare, si quod eorum prætermissum fuerit, indemnatum, atque impunitum reliquerint. Sane cum hactenus Canones observati non recte fuerunt, diversas ex eo passi sumus interpellationes contra Clericos, & Monachos, & quosdam Episcopos, ut qui secundum divinos canones non viverent, & quidam etiam inter eos invenirentur, qui nec ipsam quidem vel sanctæ oblationis, vel sancti baptismatis orationem tenerent, aut scirent. Dei igitur intelligentes, & animo infigentes judicium, singulorum, quæ nobis delata sunt, inquisitionem simul & correctionem jussimus canonice procedere. Si enim illa, quæ a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem, & vindictam manere: quomodo a Sanctis Apostolis, & Patribus super omnium hominum salute canonice statuta despici patiemur? Sane multos ex eo maxime deprehendimus in peccatu fuisse prolapsos, quod non sunt factæ Synodi sanctissimorum Sacerdotum, juxta ea, quæ a Sanctis Apostolis, & Patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset observatum, quilibet metuens gravem in Synodo accusationem, studuisset utique, & sacras edifcere liturgias, & temperanter vivere, ne condemnationi divinorum canonum subjaceret &c.*. Pergit dicere de ordinatione Episcoporum, quæ in Constitutione Novella 123. habentur inserta. Data autem hæc lex reperitur hoc anno sub Consulatu Basilii, decimo Kalend. Martii.

Justinianus dum canones servare jubet, eosdem violat.

3. Accidit vero, ut aliquando idem Imperator invigilans vehementissimo studio super sacrorum custodiam canonum, dum videret eos ab iis conculcari, qui magis observare deberent, Episcopis; nonnihil commotus, adversus ipsos insurgens, ne ex mutua indulgentia licentius peccaretur, Præfectos jusserit accurrere provinciarum, qui ejusmodi Episcopos coercerent. Ad hæc plane spectat illa, quam hoc eodem anno ipsis Kalendis Februarii Novellam promulgavit Constitutionem de appellationibus, qua quidem cum ipse Justinianus Imp. Dei zelum se habere præseferat, non tamen fuit ille secundum scientiam. Etenim cum negligentes Episcopos debita pœna peccantes vult emendari, eo incaute prolabi-

labitur, ut præter jus fasque, per provinciarum Præfectos ipsorum judicia voluerit exerceri; & ab ipsis eosdem ad majores appellare Præfectos, & si opus esset, ab iis ad Imperatorem provocare. Hæc quidem ita se habuisse, docent, quæ in exordio ejus Constitutionis narrat his verbis: *Pervenit ad scientiam nostræ serenitatis, quod cum inter Eustachium virum reverendissimum Tholonæ in Lycia maritimæ Civitatis fuisset causa commota, processit a Rectore provinciæ definitiva sententia, contra quam appellatio porrecta est. Judices igitur, apud quos appellatio ventilabatur, dubitantes ad nostram clementiam retulerunt &c.*. Hæc ibi: quibus videas ipsum Imperatorem sibi nimium de Ecclesiasticis juribus arrogasse; qui dum se canonum vindicem præsefert, atque pro Ecclesiæ disciplina illibata servanda invigilare profitetur, eosdem ipse canones conculcat, & disciplinam evertit. Etenim non seculares Judices causas judicare Episcoporum, & inferioris ordinis Clericorum, sed synodos Episcoporum, deinde cum appellationi sit locus, non ad Imperatorem, sed ad majores Sedes, ac denique ad ipsum Romanum Pontificem recurrendum docent sacræ Sanctorum Patrum regulæ, traditio ostendit, ususque probat. Tunc vero laicis his se immiscere concessum, cum vel ad hæreticos, aut schismaticos comprimendos, vel adversus potentiores, vel discordes ab Episcopis in auxilium sunt vocati. Porro hæc ipsa fuerunt obiter pertractata, quæ tamen videntur esse ab eodem Imperatore correcta, nam si qua de his fuerat ab ipso lex sancita, ab eodem pariter est abrogata: siquidem nulla ejus sanctio invenitur, qua Episcoporum causas a Præfectis cognosci voluerit, & ab iis ad alios seculares itidem Judices appellari, atque ab his ad Imperatorem.

Capita Constitutionis Justiniani.

4. At revocemus orationem ad ejusdem Imperatoris Novellam Constitutionem 123., cujus est titulus: *De sanctissimis Episcopis, ac Deo amabilibus, & reverendissimis Clericis, & monachis*. Cui intexta sunt ea, quæ diximus haberi in Novella 131. data hoc anno sub eodem Consulatu Basilii, decimo Kalendas Martias. Hæc autem, de qua nunc sermo, hoc anno sub Consulatu Basilii data cognoscitur Kalend. Maii, ipsaque 44. distincta capitibus constat, quam ob vitandam prolixitatem hic describere prætermittimus: satis ad institutum esse putantes, si capitum singulorum index hic appo-

 natur,

JESU CHR. AN. 541. natur, qui singulis ita defixus habetur. *De ordinatione Episcoporum*. 1. De accusationibus Episcoporum. 2. De Episcopis, qui ante ordinationem Ecclesiæ res suas obtulerint. Et quid pro cathedratico dari conveniat. 3. Ut Episcopatus a servili, & ascriptitia fortuna hominem liberet. 4. De Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis cognationis jure ad tutelam, vel curam vocatis. 5. Ut Clerici a muneribus personalibus, & negotiis secularibus abstineant. 6. Ne Episcopus dicendi testimonii causa evocetur. 7. Ne propter quamlibet causam Episcopus ad sæcularem Judicem trahatur. 8. Ne Episcopi proprias Ecclesias relinquant. 9. Ut Archiepiscopi, & Patriarchæ sæpius in annis singulis Concilia & Synodos celebrent. 10. Ne quis ante causæ exitum excommunicetur. 11. Quales esse debent, qui in Clericos ordinantur. 12. De ætate presbyterorum, & cœterorum Clericorum. 13. De uxoribus Clericorum, ne videlicet Diaconus, vel Subdiaconus quis ordinetur, nisi antea pollicitus sit, absque uxore continentem vitam ducere. 14. Quibus causis Curiales clerici ordinari possint. 15. Ut ordinationes gratis fiant. 16. Quomodo servus ordinari possit, aut ascriptitius. 17. De ædificationibus Ecclesiarum. 18. Ut omnes Clerici res suas in sua potestate habeant. 19. Quibus pœnis subjiciantur Clerici, qui falsum tulerint testimonium. 20. Ut Clerici apud proprium conveniantur Episcopum. 21. Ut Episcopi apud proprium conveniantur Metropolitanum. 22. Ut œconomi, & similes apud proprium Episcopum conveniantur. 23. Ut Episcopi illic, ubi deliquerint, conveniantur. 24. De Apocrisariis. 25. Ne Episcopi legationis nomine conveniantur. 26. Ut Monachi per Procuratorem se defendant, & de quantitate sportularum. 27. De modo sportularum in persona Clericorum. 28. Ne Clerici mulieres superinductas in propriis domibus habeant. 29. De Diaconissis. 30. De his, qui in Ecclesia Episcopo, vel aliis clericis injuriam inferunt. Ne laici faciant litanias sine Episcopo & Clericis, & Crucibus. 32. De monasteriis, & Monachis. 33. Ut Abbas non tam antiquitate, quam bona æstimatione censendus sit, & eligendus. 34. De Monachis non statim vestiendis. 35. Ut Monachi in uno Conclavi habitent. 36. Conditionem nuptiarum vel liberorum non obstare, si quis monasterium ingrediatur. 37. Ut qui monasteria ingrediuntur, se suaque dedicent monasterio.

38. Ut

38. Ut solutis sponsalibus per monasterii ingressum, simplæ tantum arrhæ reddantur. 39. Si vir, aut uxor ingrediatur monasterium. 40. Non licere parentibus exhæredare filios, qui ingrediuntur monasteria velut ingratos. 41. De Monacho monasterium deserente. 42. De raptoribus Sanctimonialium. 43. *Ne liceat laicis & scenicis uti monachi schemate*. 44. Atque demum ad Petrum Præfectum Prætorio ista habet epilogus: *Tua igitur gloria, quæ per præsentem legem in perpetuum valitura nostra sanxit tranquillitas, per omnia custodiri provideat. Data Kal. Maii, Constantinopoli, Justiniano. PP. Augusto. Basilio V. C. Consule. Missa Petro Præfecto Prætorio.* JESU CHR. AN. 541.

5. Mense autem martio alteram constitutionem promulgavit, quæ inscribitur: *De Regulis ecclesiasticis, & privilegiis, aliisque capitulis ad sacrosanctas ecclesias, & reliquas venerabiles Domos pertinentibus*, quæ capitibus quindecim constat, quorum primo profitetur se quatuor synodorum œcumenicarum dogmata, sicut sanctas scripturas accipere. 2. Patriarcharum ordinem statuit, Romanum scilicet Pontificem primum esse omnium Sacerdotum, Archiepiscopum Constantinopoleos Novæ Romæ secundum habere locum. 3. Deinde locum tribuit Archiepiscopo primæ Justinianæ. 4. Episcopo Carginensi, & Metropolitanis privilegia, nec non beneficia ex imperiali munificentia Ecclesiis concessa servanda esse jubet. 5. Ecclesias Monasteriaque, *sordidis functionibus, extraordinariisque descriptionibus eximit, non vero itineris sternendi, aut pontium ædificii sumptibus*. 6. *Venerabilibus locis solam* 40. *annorum præscriptionem apponit*. 7. De ædificandis Ecclesiis mandat, ne Oratorium, Monasteriumve extruatur, *nisi locorum Sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem*. Qui vero Basilicam, aut resarcierit, aut condiderit, ad perficiendum opus compellatur a Præsule, aut œconomis. 8. Si quis in sua domo, aut suburbano sine Clericis, aut sine Episcopi licentia sacra celebrari fecerit, ea domus ditionis erit Antistitis, qui loco præest. 9. Legatum in nomine Dei relictum, illius Ecclesiæ fit, in quo Testator domicilium habet. Si vero in nomine Martyris alicujus testamentum condiderit, inveniantur que in eodem loco plura ejusdem Sancti Oratoria, pauperiori Domo legatum tribuatur. 10. Si quis Oratorium ædificari jussit, intra

De ecclesiastica disciplina.

Jesu Chr. an. 541. quinque annos quidem, si vero Xenodochium, Prochinmve, intra unum annum compleatur. Hæredes, quæ a testatore definita sunt, complere teneantur. 11. Si quis pro redimendis captivis, vel alendis pauperibus aliquid reliquit, non expresso nomine, id ab Episcopis impleatur. 12. In piis Legatis si hæres dicat, relictam sibi substantiam non sufficere, Lex Falcidia cesset. 13. Quæ Episcopi sive mobilia, sive immobilia compararint, in neminem transferant, licentiam tamen habeant ea in pias causas expendere. Quæ ante Episcopatum habuisse probantur, qnibus voluerint, ea relinquant. 14. Hæreticorum nullus res vel Ecclesiæ, vel privatorum immobiles, quoque titulo accipiat, expelletur de possessionibus ejusmodi, ejusque substantia Fisco adscribatur. Si quis Hæreticorum speluncam suæ incredulitatis ædificet, eam Ecclesia occupet. 15. Orphanotrophi sint tutoribus similes, & ad instar eorum inventarium conficiant. Missa est Novella hæc *Petro gloriosissimo Præfecto sacrorum Prætoriorum*. Data est Constantinopoli XV. Kal. Aprilis.

De institutione Justinianeæ inMetropolim.

6. Justinianus patriæ suæ Achridæ (quæ civitas in Dardania Europea erat) ornandæ cupidus, Justinianeam vocari jussit Novella undecima, eamdemque privilegiis plurimis exornavit, ut scilicet primæ Justinianæ Antistes, non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus esset, & ut sub ejus auctoritate essent Provinciæ Illyricianæ, *Dacia* nimirum mediterranea, *Dacia* Ripensis, Mœsia secunda, Dardania, Prævalis, & pars aliqua secundæ Pannoniæ, quæ Bacensi Civitati contributa erat. Jus autem omne quod in Provincias illas Episcopus Thessalonicensis, tam pro celebratione Conciliorum, quam pro ordinationibus Metropolitanorum, exercuerat, ad Archiepiscopum Primæ Justinianeæ transtulit; ita ut ipse a generali Provinciarum illarum Synodo ordinaretur, eodemque tempore apud Agapetum Papam egit, ut novo huic Archiepiscopo vices Apostolicæ Sedis injungeret, videlicet per illas provincias, quæ supra nominatæ sunt. Quid ad hanc petitionem rescripserit Agapetus, non constat, ex epistola autem ejus ad Justinianum, quæ inter alias hujus Pontificis ordine IV. est, rem totam se per Legatos significasse ait, & ex Novella 131. data XV. Kal. Aprilis, Basilio V. C. Consule, idest, 541., in qua Vicariatum illum revocat ad beneficium Vigilii

secun-

secundum ea, inquit, *quæ definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio*, nulla Agapeti mentione facta, colligere est illum vices suas noluisse concedere Archiepiscopo Primæ Justinianæ. Mortuo Agapeto successit Silverius, huic autem Vigilius, ad quem Justinianus Legationem misit, ut liquet ex prima Vigilii epistola. Videtur autem Justinianus simul ab eo petiisse per Dominum Exconsulem, atque Patricium, (nam is Justiniani Legatus erat), ut vices Apostolicæ Sedis committeret Archiepiscopo Primæ Justinianæ, Vicariatus vero istius meminit ipse Justinianus in Novella 131. anno sequenti data, in qua sic loquitur. *Per tempus autem beatissimum Primæ Justinianæ nostræ patriæ Archiepiscopum semper sub sua jurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, & Prævalis, & Dardaniæ, & Mysiæ superioris, atque Panoniæ, & ab eo hos ordinari; ipsum vero a proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi Provinciis locum obtinere eum Sedis Apostolicæ Romæ, secundum ea, quæ definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio*; ex quibus liquet, Vigilium sive importunitate, sive precibus tandem victum, vices suas Episcopo primæ Justinianeæ commisisse, non sine Thessalonicensis Episcopi injuria, qui hactenus Romanæ Sedis vices gesserat; hinc seculo nondum elapso, S. Gregorius Magnus Joanni Episcopo primæ Justinianeæ una cum pallio vices suas commisit.

Aliæ Justiniani leges.

7. Hoc etiam anno Kal. Junii, idem Justinianus Imperator constitutionem edidit de præscriptione, qua antiquavit privilegium concessum Ecclesiis centum annorum, quod videlicet esset litium seminarium, satis existimans fore quadraginta annorum periodum, ut Ecclesia sua sibi valeat vendicare. Quo item anno idem Imperator, qui adversus Samaritanos Christianorum hostes leges scripserat, monitus a Sergio Episcopo Cæsariensi, qui eos ad meliorem frugem reduxerat, nova edita sanctione, pænas in eos sancitas revocavit. Aliis etiam constitutionibus hoc anno vulgatis pœnas in hæreticos latas confirmavit & auxit; ita ut filii etiam a parentibus exheredari possent, mulieres vero hæreticæ privilegiis dotalibus privarentur, ut ibidem videre est.

Justinianus adversus Persas bellum restaurat,

8. Quid nunc Persico bello gestum sit, Belisario Duce, videamus. Anno superiori de pace inter Chosroen Persarum Re-

JESU CHR. AN. 541. gem, & legatos Romanos conventum fuerat, quas pacis conditiones etsi Justinianus ratas habuisset, Chosroes tamen Daram obsidione cinxerat. Unde Justinianus pacta exequi noluit, quæ aliunde Romanis erant ignominiosa, ac ex Italia Belisarium revocavit, eumque bello Persico præfecit, ait Procopius, cujus expeditio ad præsentem annum pertinet. Ubi Belisarius in Mesopotamiam pervenit, copias undique collegit, ac Ducibus Daræ convocatis significavit consilium suum esse, ut in terram hostilem irrumperent. Dum vero necessaria ad id pararet, Chosres Petram. Urbem maritimam Colchidis ad littus Ponti Euxini expugnavit. Belisarius autem Nisibim usque progressus, cum eam expugnare non potuisset, ulterius contendit, at cum Romani milites maxima ex parte febribus laborarent, *Belisarius Byzantium accitu Imperatoris reversus, ibi hyemen egit*, inquit Procopius cap. 19. qui addit hanc secundam in Romanos Chosrois expeditionem fuisse. Hujus expeditionis infaustum exitum Belisarii culpæ Procopius adscribit, quem nullo prohibente Clesiphontem usque pervenire potuisse asserit, & capite sequenti subdit, ea de causa Theodoram Augustam Belisarium, ejusque uxorem Antoninam, Bizantium revocasse Anno 538

Procop. de bello Pers. lib. 2. 14.

Procop. hist. arcan. lib. cap.

Paulus catholicus Alex. Episcopus ordinatur.

9. Alexandrinam Sedem Theodosius, & Gajanus invaserant, ut suo loco diximus; at iis paulo post utpote Eutychianis, & Severi asseclis Mennæ CP. Episcopi sententia damnatis, & Justiniani Imp. auctoritate exauctoratis, Paulus quidam Tabennensium monachus, & Pelagii apocrysarii Vigilii Papæ opera, Alexandrinus Episcopus a Menna ordinatus est, ut ex Liberato scimus. *Postquam ergo Theodosius Alexandrinus in exilium missus est, Paulus quidam, unus Abbatum Tebannensium monachorum, ad Alexandrinam sedem ordinatur Episcopus plane Orthodoxus, suscipiens Chalcedonensem Synodum: ordinatus est a Menna Constantinopoli, præsente Pelagio responsario Vigilii, & Apocrisarii Petri Hierosolymorum. Hoc ergo modo unitio facta est Ecclesiarum Anno Imperatoris gloriosi Justiniani Augusti decimo*. De Pauli inexpectata electione, deque tumultibus Alexandrinis, hæc subdit: *Iste Paulus spretus erat ab aliquibus Monachis suis, & venerat Constantinopolim pro se agere apud Imperatorem, qui divino nutu cathedram vacantem inveniens, meruit per Pelagium Diaconum Alexandriæ Episcopatum*. Hanc quidem Pauli consecrationem anno 539. Baronius

nius alligat; Garnerius anno 538., quam ad labentem annum 541. pertinere ait Norisius: Pagius vero *in tanta rerum obscuritate, non habeo quid dicam*, ait. Quid in ea dignitate positus egerit Paulus, & quomodo biennio exacto dejectus fuerit, suo loco videbimus.

Bar. an. 536. num. 116. Garner. de synod. 5.

10. Hildebadus interea Gothicum adeptus Regnum, ut anno superiori diximus, contractis undique viribus labentem dominationem firmare fategit, quam diu obtinere non potuit; nam hoc ipso anno Regno, & vita privatus est a Bella quodam interfectus in vindictam illatæ sibi injuriæ, eoque interempto Evarico Gothorum Regnum delatum est. At is cum in Regno vixisset menses quinque, nihilque dignum memoria gessisset, peremptus est, ac Totilas Regnum obtinuit, ut pluribus Procopius narrat. Theodebaldi sive Ildebaldi Nepos Totilas fuit, ingenio, & viribus præstans, ut ab eo gesta declarabunt.

Hildebadus Goth. Rex occiditur.

Evaricus Ildebado succedit, deinde Totilas.

11. Dum tota Italia Gothico bello exardesceret, Galliæ etsi in multa regna divisæ, summa pace fruebantur: unde Galliarum Episcopi in unum ad restaurandam ecclesiæ disciplinam facile convenire potuerunt, atque hoc anno Aurelianensis synodus quarta celebrata est; qua Episcopi 38. cum presbyteris aliquot convenerunt, cui in hæc verba Leontius synodi præses subscripsit. *Leontius in Christi nomine Episcopus Burdigalensis consensi cum universis comprovincialibus meis, indict. IV., Basilio V.C. Coss.*, idest hoc anno; Canones vero 38. conditi sunt, quibus Ecclesiæ disciplina, ac præcedentium conciliorum canones confirmantur, ex quibus hæc præcipue notanda veniunt. Canone primo decernitur, ut Pascha ab omnibus uno die celebretur, & dies Epiphaniæ singulis annis ab Episcopo denuncietur juxta canonem Paschalem Victorii, (Victorii Aquitani, intellige non Capuani, ut ait Baronius anno 541. num. 35., nam Victor Capuanus decennio post cyclum suum edidit). 2. Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter celebretur, neque absque infirmitate quadragesimalia sabbata solvantur, solis diebus Dominicis prandium sumatur. 3. Illustres viri extra civitatem neque Pasqua, neque solemniora festa celebrent. Hoc si quis implere non possit, ab Episcopo postulet commeatum. 4. In sacri calicis oblatione vinum dumtaxat aqua mixtum offeratur. 5. Episcopus in Ecclesia, cui præficiendus est, consecretur. 6. Parochiani Cle-

Aurelianensis synodi 4. ejusque canones.

De quadragesimali jejunio

JESU CHR. AN. 541. Clerici ab Episcopis suis necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, 7. In Oratoriis prædiorum, contra votum Episcopi, Clericos domini eorum non admittant. 8. Qui accepto baptismo in hæresim labuntur, eorum & pœnitentia, & in integrum restitutio, Episcopi arbitrio permittitur. 9. Episcopus, qui de suis facultatibus nil Ecclesiæ reliquit, si de bonis Ecclesiæ quidpiam distraxerit, revocetur, quod si servis libertatem dederit, ea ita utantur, ut ab Ecclesiæ officio non recedant. 10. Episcopus, qui bigamum, aut viduæ virum ad Presbyteratum, Diaconatumve promovit, ab officio per annum abstineat: quam si forte sententiam spernat, ab ipsius communione cæteri Episcopi ad magnam usque Synodum divellantur. 11. Quod Dei contemplatione Abbatibus, Monasteriis, Parochiis collatum est, non sit proprium, neque urgente necessitate distrahi potest, nisi consensu Episcopi. 12. Si de rebus terrenis inter Episcopos lis exoriatur, Epistolis collegarum moniti, arbitros sibi constituant. Qui distulerit, fraternæ communionis alienus habeatur, quia injustum est, ut qui cunctis præsunt, inter se quacumque ex causa dissentiant. 13. Judex qui clericos, quorum nomina in matricula Ecclesiæ inscribuntur, publicis actionibus applicare præsumpserit, si a Sacerdote monitus emendari noluerit, excommunicatione feriatur. 14. Quæ Ecclesiis, aut Pontificibus relicta sunt, ab hæredibus Dei contemplatione distribuantur. 15. Baptizati, qui immolata Dæmonibus sumunt, si moniti non emendentur, communione pellantur. 16. Christianus, qui apud exta cujuscumque feræ, vel pecudis Paganorum more juraverit, nisi emendetur, ut sacrilegus Ecclesiæ communione careat.

Bigami ab ordinibus arceantur.

12. Canon. 17. prohibet Sacerdotes, & Diaconos communi cum suis uxoribus, lecto, & cellula uti. 18. Si quid utendum acceperit Clericus, si alienare præsumpserit, irritum habeatur. 19. Quod in vineolis, aut prædiolis, vel sine scripto Ecclesiæ datum est, hæredes non revocent, secus ab Ecclesiæ communione suspendantur. 20. Clericos cujuscumque ordinis ad secularia judicia trahi prohibet. Sed quæcumque causa, quoties inter Clericum, & Secularem agitur absque Presbytero, aut Archidiacono, Judex publicus audire negotium non præsumat. Sane si causam habentibus placuit ire ad judicium fori, ex voluntate communi, permit-

Cæteri Aurelianenses Canones.

mittente præposito Ecclesiæ, Clerico licentia tribuatur. 21. Qui de locis sacris vi, vel dolo aliquem abstrahere præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur, donec indicta pœnitentia emendatio subsequatur. 22. Per vim nemo puellam sibi uxorem conjungat, ne conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur. Qui fecerit, excommunicatione percutitur. 23. Servis Ecclesiæ prædas, & captivitates exercere non liceat. 24. Mancipia, quæ sub specie conjugii ad Ecclesiæ septa confugiunt, dominis suis reddantur; qui si voluerint, propria voluntate conjungant. 25. Qui potentum patrociniis fretus, spreto Pontifice, res Ecclesiæ possederit, donec eas restituat, Ecclesiæ liminibus arceatur. 26. Clerici in Parochiis potentum constituti, Archidiaconi potestati subsint, solvantque quod Ecclesiæ debent: quod si implere neglexerint, corrigantur. 27. De incestis conjunctionibus Epaonensium Canonum severitas observetur. 28. Si homicidam Princeps pœna absolverit, pro modo tamen pœnitentiam agat. 29. Mulieres in adulterio cum Clericis deprehensæ, correctioni subjaceant, & a civitatibus, ut Sacerdos præceperit, repellantur. 30. Mancipia Christiana, quæ sunt apud Judæos, si redimi se postulaverint, oblato pretio liberentur. 31. Judæus, qui vel Proselytum fecerit, vel de Christianis natum sub libertatis promissione Judæum reddiderit, vel ancillam sibi sociandam putaverit, mancipiorum amissione mulctetur. 32. Servorum posteritas revocata arbitrio Sacerdotis, in ea, qua constituta est a defunctis, conditione permaneat. 33. Qui in agro suo postulat habere Diœcesim, & terras, & Clericos deputet sufficientes, ut sacris locis reverentia tribuatur. 34. Qui ex agello a Pontifice sibi concesso aliquid lucri fecerit, illud alienare non poterit. 35. In potestate Episcopi sit revocare decessoris sui voluntatem. 36. Post Episcopi obitum, quod quis ab eo acceperat, ad ecclesiam redeat. 37. Metropolitani annis singulis Synodum congregent. 38. Latæ Constitutiones serventur, ac Ecclesiastica disciplina observetur.

JESU CHR. AN. 541.

13. Hoc eodem anno martyrium SS. Placidi & sociorum accidisse in Sicilia narrat auctor vitæ S. Placidi Gordianus, quos quidem martyrium subiisse negari vix potest, cum eos antiquiores Ecclesiæ tabulæ inter sanctos Marty-

Martyrium SS. Placidi & Sociorum.

Jesu Chr. an. 541.

res recenseant die quinta Octobris, qua eorumdem natalis dies anniversaria memoria recolitur: confirmatur etiam ex historia inventionis eorumdem corporum una cum martyrii signis, quam Italico sermone Philippus Gothus Eques Messanensis descripsit, cujus relationis summam refert Mabilonius. Sed quoad acta eorumdem Martyrum, fabulis, & erroribus eo usque scalent, ut medicam manum non patiantur, eaque Petrum Diaconum Cassinensem monachum, ac bibliothecarium, qui initio duodecimi sæculi floruit, vulgasse creditur.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

 Aman-

Ba-

B

E

F

 Justi-

Per-

ADDENDA.

Monitos volumus lectores, quod dum pag. 140. num. 5. Sancti Fulgentii libros de remissione peccatorum retulimus; cumque ab illo nihil de ea quæstione statui diximus, quæ est de justis, quibus aliquid luendum superfit, post utrum hanc vitam pœnæ quædam temporariæ sint solvendæ, id tantum asseruimus; eam quæstionem a Fulgentio præteriri: etsi non solum theologi-

logiæ tyro, ſed etiam fidelium catholicorum rudior non ignoret, catholicam eccleſiam, Scripturarum, Patrumque (Auguſtini autem cum primis, quo Duce, atque Magiſtro ſemper eſt uſus Fulgentius) auctoritate nixam docere, fidelium animas a levioribus culpis Purgatorii igne torqueri, & purgari poſt obitum, e quibus catholicorum precibus, piiſque operibus, & præſertim Incruenti ſacrificii oblatione liberantur. Cum vero pag. 174. de concilio Carthaginenſi agentes, Monachos Epiſcoporum juriſdictioni, juxta Concilii Chalcedonenſis canonem ſubditos fuiſſe diximus; id ſine invidia, aut præjudicio dictum eſt privilegiorum, quæ jam inde ab antiquis temporibus Monachi, ac ceteri Regularium ordinum profeſſores, ab Apoſtolica Romana Sede, cui id etiam poteſtatis ineſt, obtinuerunt, quæ iis integra illœſaque ſervari, ac etiam augeri cupimus. Sicubi porro de gratia, deque alio quopiam doctrinæ capite ex ſententia S. Fulgentii, aut alterius cujuſquam SS. Patrum, differentes aliquod diximus, quod alicui Scholæ catholicorum minus placere poſſe videatur; non eo certe conſilio diximus, ut prævenire judicium Eccleſiæ, aut cenſuram cuiquam theologicam, ſecus atque Sedes Apoſtolica jubeat, vellemus; ſed ut explicaremus, quæ noſtra ſit probata de capite illo doctrinæ opinio.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. 6.	*Directam*	*Directum*
7.	*Qui quodam*	*Qui quondam*
9.	Secundi Alex.	Secundum Alex.
38.	*Terra venis*	*Terræ venis*
55.	*Nec nen electione*	*Nec non . . . :*
74.	Tranſmiſerant	Tranſmiſerat
79.	Anta falſa	Tanta falſa
135.	ob optimo	Ab optimo
155.	Marytii	Martyrii
184.	*Mercantur*	*Mereantur*
196.	Petractans	Pertractans
199.	*Celeritor*	*Celeriter*
318.	*Eum Beliſario*	*Cum Beliſario*
355.	*Polleretur*	*Pelleretur*
371.	*Naſcerentur*	*Noſcerentur*
372.	Scripſera	Scripſerat
381.	Inſulas	Inſulas